BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
20 — H
20

[redacted]

FERVENTISS.

VERBI DEI PRAECONIS

VIRIQVE SANCTISS.

D. SERAPHINI FIRMANI

CAN. REG. LATER.

Opuſcula, ad vitæ perfectionē apprimè facientia: ex Italico idiomate in Latinum nunc pri-mùm verſa.

GASPAR PLACENTINO,
eiuſdem inſtituti profeſſore, interprete.

Lege, ô, qui Chriſtum ſitis, lege & meditare, & rumina & deuora librum iſtum.
Et erit in ore tuo tanquam mel dulce:
Licet amaricari faciet ventrem tuum.
APOC. X.

PLACENTIAE
Apud Vincentium Comitem 1570.

CATALOGVS OPVSCV-
LORVM.

1 De interna oratione.
2 Problemata.
3 De vera conuerſione.
4 De aurea & regali diſcretione.
5 De ſuipſius cognitione atque victoria.
6 Speculum internum.
7 Modus confitendi.
8 Super Apocalypſin.

Duo Seraphim clamabant alter ad alterum Iſa. VI.

DELEGATIO REVERENdiſsimi P. Generalis Can. Reg. Lateran. Congregationis, in R. D. Paulum Plac. ad videnda &c.

ALIIS præpediti negocijs cùm minimè poſsimus ſupereſſe viſioni ac probationi verſionis Opuſculorum R. P. D. Seraphini Firmani Can. noſtri Reg., ac prefationum in ea, R. pariter noſtri &c. D. Gaſparis Placentini: ideò eligimus R. D. pariter noſtrum &c. Paulum Placentinum, cuius pietatem ſimul ac doctrinam planè perſpectam habemus: qui vice noſtra ea videat, examinet, ac probet, prout videbitur. Dat. Bononiæ, in Cœnobio noſtro S. Ioannis in Monte. pridie Cal. Auguſti. Ann. Sal. M D LXIX.

Archang. Roſcius Bonon. Congreg. Lateranen. Rector Generalis.

APPROBATIO R. P. D. Pauli Malchiodi Placentini C. R. Lateranen., Theologi, ac Concionatoris clariſsimi.

EGO vidi, ac diligenter examinaui, & verſionem iſtam, & ea quæ habentur in præfationibus ipſius interpretis. Eaq; omnia & ſingula arbitror, & cenſeo nedum Catholicæ veritati, morumque pietati congruere atq; conſonare: ſed & ijs præſertim, qui internam vitam profitentur, eſſe quammaximè vtilia atque neceſſaria: Ideoq; ea & probo, et edi quã maximè deſidero, In quorum fidem hæc manu propria & ſcripſi, & ſubſcripſi. Dat. Placentiæ in ędibus noſtris Sancti Auguſtini. Quartò Cal. Septemb. M D LXIX.

Paulus Malchiodus Placen. Can. Reg. Lateranen.

APPROBATIO REVERENdiſsimi D. Pauli de Aretio, Epi Placẽtini, religioſiſsimi ſimul, ac erudítiſsimi.

NOs quoq;, viſa, coramq́; ab eo fuſiùs audita, relatione R.P.D. Pauli Placẽtini ſupraſcripti, cuius pietatem ſimul, ac eruditionem claram & perſpectam habemus; & verſionem ipſam, & interpretis præfationes approbamus, ediq́; concedimus. Dat. Placen. In ædibus noſtris Epiſcopalibus. XXVI. Sept. 1569.

Paulus Epiſcopus Placen. & Co.

R. F. IOSEPHI PLACEN. Lectoris eruditiſs., ac S. Inquiſitionis Placentiæ Vicarij, approbatio.

EGO Fr. Ioſephus Orabonus de Placen. Ord. Præd. Vic. ſanctę Inquiſ. Placen., viſa approbatione Reueren. Epiſcopi, & audita relatione prefati R. D. Pauli vtſupra; verſionem dictam approbo, & vt Typis demandetur concedo. Placen. die pri. Octobr. 1569.

ARCHANGELO BONONIENSI,

LATERANEN. ORD.

Canonicorum Regularium Præfecto ac Moderatori vigilantiſs. patri ſuo cumprimis colendo,

GASPAR PLACEN. CAN.

ac filius ĩmeritus S. in Chriſto.

CVM poſt viginti tres,& eo amplius annos,in omni peccatorum ſorde miſerabiliter inſumptos,diuinę placuit benignitati,quę me ſegregauit ex vtero matris meæ,finesq; circũſcripſit immenſæ malitiæ meæ,vltra quos vel inuita non progrederetur: vt eò copioſiorem oſtenderet in me verè peccatorum primo, immò vni-

co omnis fonte peccati, ſupereffluentis gratiæ ſuæ miſericordiam, quò dirioribus cum atque inauditis ſexcẽties atque infinitis ꝑpè vicibus Cruci affixeram peccatis, ad ſuũ dulce me pertrahere iugum; tranſmiſſus ſui Reuerendiſsime Pater, ac mihi in Chriſto obſeruandiſsime, nõ ita multo pòſt Cremonam, ſanctiſsimi, ac planè diuini P. Seraphini Cremonenſis erudiendus ſanctiſsimis inſtitutis, ac moribus. Cuius è præſtãtiſsimi viri collocutione, monitisque pijſsimis: pro ut me ſemper ad heroicam virtutem, imitandaq; perfectiſsimorum exempla, nedum opere potiſsimùm, ſed & verbis admodum penetrantibus, quippe quæ ex fundo interiore prodibant Deo pleno, purgatiſsimoque, cohortabatur: cùm D. P. Seraphini Firmani Can. noſtri Reg. ſanctitatem ſimul, ac doctrinam admirabilem, quã ipſe intimè cognouerat, intellexiſſem; contuli me ad legenda ipſius Patris, quæ ſcripſit, ſpiritualia Opuſcula. Quorum è lectione Opuſculorum, vix dici queat, quãto fuerim feruore ſuccenſus, quanta ea legerim ac relegerim cum ſuauitate, quamq; mirum in modũ propoſuerim, diuino ſuffragãte

fragante auxilio, quod opere ipſe ſimul, & ore ſeu ſcripto docuerat, ipſe quoque pro modulo meo operi mancipares.

Hæc autem, vt & amplius deguſtarem, altiusq; meditando operi mandare nó deſinerem, omneq; aliud derelinquerem ſtudium, eidem placuit benigiſsimæ pietati tot me languoribus indiès magis cófici atque prægrauari, vt & ſenſim paulatimque coactus fuerim cœteris omnibus renuntiare, quæ aggredi mens erat, ſtudijs & occupationibus. Ita vt diuina ſuper me facta manu, ingraueſcentibusque quottidie languoribus, nihil aliud ferè mihi ſuperfuerit, cui me poſſem occupare, nihil aliud grauiſsimos inter externos, internosquecruciatus atq; derelictiones ſolatij, ſeu perfugij, quàm huius aſsidua libri lectio, atque meditatio. Vnde cùm maximá illius vtilitatem indiès magis opere deprehenderem atque ſentirem, cœpit mihi ens eſſe mirabili ſuccenſa deſiderio, vt non Italicis tantummodò hominibus, quibus ille propria eorũ loquebatur lingua, ſed & exteris quoque ſimul omnibus prodeſſet nationibus:

bus:

bus: immò & in Italia quoq; ipſa, illis qui Latina fortaſſe magis, quàm materna eorũ oblectarentur lectione. Cùm maximè eodem in tempore ſanctiſsimorum illorũ., ac nunquam ſatis collaudatorum Coloniæ Agrippinenſis Carthuſienſium opera, qui antea Germanis tantummodò Germanicè loquebantur, nobis quoq; communicati eſſent D. Io. Rusbrocchius Can. noſter Reg. & D. Io. Thaulerus, præcellentiſsimi planeq́; ſingulares internę vitę tractatores. Verùm diuino ita diſponente iudicio, vt & adhuc reliquis omnibus omiſsis, immò ipſa penè etiam deſtitutus omnino, ob excedentem præſertim capitis infirmitatem, viriũq́; omnium derelictionem, crucemq́; omniformem libri lectione (vt ſolet quos diligit caſtigare, Crucisq́; cum filio ſuo ſuſpendio affigere) huic ſoli vacarem praxi, vitiorumq́; meorum, quam ex libri hauſeram lectione, extirpationi, factum eſt, vt quò magis hoc mihi ſemper increuit deſideriũ, eò & minus ſemper vires ſuppeditauerint: Ita vt octo ferè annos ingens, & inceſſans huius rei fruſtra me tenuerit deſiderium.

Qua-

Quadriennio tamen antè, cum è balneis Villenſibus primò redijſſem, licet nihilo adhuc magis conualuiſſem, increſcēte gliſcenteq; mihi ſemper magis deſiderio, decreui diuino inuocato numine (licet omnino me huic imparem oneri viderem) quid hac tandem in re poſſem aggredi atque experiri: nactoq; nō inidonei vnius ex pueris ſeu neophytis noſtris (cui reddat Dominus mercedem (ſcriptoris auxilio (nullo enim pacto ego,præſertim frigore conſtringente preſſus,calamū manibus tenere potuiſſem) cœpi, vt melius poteram,ſcribenti dictare. Qua in re licet innumeris penè me vicibus coegerint dolorum increſcentes aculei inceptum opus abrumpere, deficiēte memoria, caligante intellectus acie, totoq; attrito penitus atq; omni ferè virium ac ſenſuū vſu deſtituto corpore: tamē omiſſa interim vbi minus ſæuiebant dolores, repetens,quę effugerant recolens, intermiſſa reſtituens, maxima, Deo dante, pro parte abſolui.

Verūtamen cùm ad finem minimè me poſſe perducere viderem, diuini ita arbitratus eſſe numinis, vt non tunc extrema ei

manus

manus imponeretur, edereturq; , ſtatui om nino ſuperſedere, donec ſi Deo eſſet placitum, recuperatis non nihil viribus, diuinæ agnoſcerem eſſe voluntatis illud ad finem perduci, alijsq; communicari. Fluxere itaq; anni ferè quatuor, neque ego melius habui. Cùm tandem diuino ita diſponente numine, ex Hetruria in patriam reuerſurus, Bononiaq; tranſiens, tecum nõnullos dies, quæ tua eſt humanitas & ſingularis beneuolentia, humaniſsimè ſum commoratus. Quo in tempore expoſuiſti mihi, mentis tuæ eſſe, præter alia multa, quæ reformandę adhuc in melius religionis noſtrę gratia, in animo habes atq; moliris: emendari, atq; in lucem edi denuò nõnulla Ordinis noſtri Patrum, tum antiqua, tum recentiora monumenta: velleq;, vt hac in re partes ego quoq; meas pro virili obirem. Quod ego tanquam diuinitus tibi allatum verbum accipiens, adueniſſeque tempus illud ratus quo & perficiendum, & edendum eſſet hoc qualecunq; opus meum; etſi me adhuc peſsimè haberem, prout & in præſenti habeo: nihilominus diuino fretus auxilio, ſpopondi excellentiſsima Patris Seraphini

phini noſtri Firmani Opuſcula, quæ tanto iam cũ animi ardore apud Hiſpanos in maternam eorum linguam fuere translata, ſæpiſsimeq́; iam prælo Salamanticę impreſſa, cum maxima excellẽtiſsimorum tum Salamantinæ Academiæ profeſſórum, tum & aliorum etiam collaudatione, vt verè ſunt aurea, & nullo vnquam ſatis collaudata eloquio; in Latinam linguam cõuerſurum, in omnem omnium omnino nationum cõmoditatem, & in noſtra etiam natione eorum qui fortaſſe magis Latina, quàm materna eorum tametſi pulcherrima, oblectarentur lectione: emendaturumq́; ea etiam in vulgari noſtra lingua, in integrumq́, reſtituturum, quę corruptiſsima, ac lacera paſsim, maximo tum eorum qui eorum delectãtur lectione incommodo atq; offendiculo circunferuntur; ac tanti nedũ viri, ſed & Ordinis ſimul noſtri non modica cum iniuria atq; dedecore.

Placentiam itaq; regreſſus, cùm nihilò melius haberem, maximaq́; præſertim capitis infirmitate conſtringerer; diuino tamẽ inuocato auxilio, qui mortuos excitat, cuiq́; nihil eſt factu impoſsibile; hoc quicquid iã

tandem

tandem eſt operis, Deo Opt. Max. cui ſoli omnis honor & gloria, adiuuante, vt vides abolitum, cancellatum, repoſitum, intermiſſum, ad finem perduxi atque abſolui.

Tibi igitur Reuerendiſs. Pater, cuius potiſsimùm hortatu ad finē perductus eſt hic liber, cuiusq́; opera & impenſis in lucem prodibit in gratiam omnium ſalutem ſitiētium: prout & alia multa emittere in animo habes & tu, & qui iam bis hac eadem Ordinis Præfectura honorificentiſsimè eſt perfunctus, vir præſtantiſsimus, ac planè ſapientiſsimus, omniq́; virtutum genere ornatiſsimus, MARCVS ANTONIVS BAGAROTVS, ABBAS in præſenti meus optimus, ſtudioſorumq́; omniū verè Mecœnas; tibi inquam quod tuū eſt iure trāſmitto, nominiq́; tuo ampliſsimo iure meritò nuncupatum ac conſecratum volo.

Accipe igitur mi pater, lucubratiunculā hanc, non meam: non meam quidem, ſed illius, de quo initio memini, ſanctiſsimi p̄ceptoris mei. Illius eſt enim, quòd viuā (quòd viuam inquam tantis in doloribus ac preſſuris, cum externis tū internis: tan-

tis

tis inquam non reipsà, ſed vt mihi videtur, imperfectiſsimo, minusq; Crucem ſitienti; peccataq; mea, præſertim preterita, enormiſsima, totaque Italia infinito cum ſcãdalo vulgatiſsima atq; famoſiſsima ponderanti: quas vtique illius abſque poſt Deum ſul cimento nunquam ſuſtinere potuiſſem ſiue *didiciſsẽ*) quòd viuã, vt ſpero, in Dei gratia, erutus è Diaboli faucibus, quòd ſitiam, licet ſemiplenè, Chriſti vitam graphycè hic pictam imitari. Deumq; Opt. Max., vt facis, tuis ſemper P. optime obſecrare p̃cibus non deſine, vt, quã mihi oſtendit viã, cum in D. Seraphini Firmani Opuſculis & doctrina, famaq; illuſtri, tum verò maximè in viuo illo exemplari Seraphini Cremonenſis vitæ crucifixæ: quod mihi vt cõtempler aſsiduè, & iuxta illud me componam, eſt oſtenſum; ſectari non deſinam. Deſidero enim; parcat parcat quæſo hic mihi pater: humilitas hic cedat ſua: nõ enim poſſum quæ vidi, & ſenſi, & perſenſi expertus in fundo meo, ſoli Deo, eiusq; intimis amicis ac verè familiaribus per eius Verbũ acceſsibili, non loqui: deſidero inquã, quod de D. noſtro Io. Rusbr. referente noſtro

pariter

pariter Tho. à Chempis, dicere ſolebat Magnus ille Gerardus: ſuorum & in præſenti & in futuro ſeculo fieri pedum ſcabellum. Siq́; non alia ſupereſt tutior (prout verè hactenus ſum expertus) hanc incedendi viã, omnemq́; aliam ſepiendi ſpinis & tribulis ratio, quàm vt hac maneã multiformi preſſus Cruce dulciſsima; illa dignetur ſuauiſſima ſua ex benignitate me ſemper aſſociare: ſin minus, id fiat, quod ſuæ gratisſimæ viſum ſit voluntati. Aliud enim non mihi eſt cordi, quàm vt eius ſemper sãctiſsimę morem geram voluntati & hic & in æternitatẽ omni. Vale. meq́; iterum complectere, vt facis, penes Deum, tuis Clariſsimis cũ collegis, COLVMBINO præſertim Cremonenſi, pręcipuo religionis noſtræ firmamẽto: cui debeo, æternumq́; debebo, quòd feliciſsimis eius ſub auſpicijs ac ſacro ducatu, ipſo nempe Abbate, tali ac tanto dignatus ſum præceptore: præter alia innumera, cum corporis, cum verò animæ totos octo annos mihi impenſa beneficia: ꝓpitit & illis debeo, æternumq́; debebo omnibus, qui præſertim me labentem, quottidiè, & ad barathrum infinito meo peccati

pondere

pondere, malitiaq; planè Luciferina tèdentem (nō enim alio poſſum loqui pater mi, modo: immò & arbitror longè me infra eā, quam ſentio, veritatem loqui: pro vt & norunt aliqui, et ego omnibus, ſi in rem eſſet, palàm aperirem: omnibusq;, vt ſpero, magno meo cum gaudio reuelabit Dominus in die iudicij) ſuis ipſi penes Deum æſtuantiſsimis orationibus, ac meritis in CHRISTO crucifixo ſuſtinent, atq; ſuffulciunt. Dat. Placentię, in cœnobio noſtro, D. P. Auguſtino ſacro, ipſo ſupergloriosiſsimæ Deiparę Virgini ad Niues ſacrò die, cui etiā præ cæteris ſanctorum intimè me cōmendari ſemper deſidero, pro ut præ cæteris eam omnibus ſanctis offendi ſemper vir ego ſpurciſsimus, omniq; immunditiæ genere ſordidatiſsimus, atq; aleator tota Italia famoſiſsimus. Anno ſal. M D LXIX.

PIO AC CHRISTVM SITIENTI LECTORI,

Gaſpar Plac. interpres. S.

LONGAM ſatis, & non inutilem fortaſſe lector mi, præfationem in hæc diuina prorſus, & admirabilia, quæ triginta iam annos Italicis tantùm Italicè, ſeu & nonnullis abhinc annis Hiſpanis Hiſpanicè loquuta ſunt, excellentiſsimi, ac planè diuinitus vncti huius viri, Seraphini noſtri C. R. Opuſcula, præmittere eſſet animus. Verùm toto fractus nimis, ac penè moribundus ſemper corpore, & maximè capitis nimia, atque incredibili infirmitate detentus, atque omninò præpeditus; quæ etiam cauſa fuit, vt duodecim iam annos dilata fuerit, quam animo cóceperá, quęq; in præſens prodit, ægerrimè licet à me dictata, hæc verſio; cùm id nullo pacto præſtare poſsim, excuſatum me habebis lector optimè. Nonnulla tamen interim omnino ſcitu neceſſaria, vt melius potero, monitũ te velim. Nos nempè non ſemper verbũ, è verbo, ſed magis ſubinde ſenſum è ſenſu,

ſu, vt D. docet Hieronymus, reddidiſſe; nō nullaq́;, præſertim difficiliora, hoc eſt altiſſimæ perfectionis in loca, aliquando, & verbum vnum, vel & alterum ad declarationem addidiſse, ſeu commutaſſe; vt exēpla afferrem, ſi liceret per infirmitatem: ex ipſiſsima tamen ſemper ipſiuſmet authoris alijs in locis apertiùs declarata intentione: ita vt ferè noſtra hæc verſio, non mera, & ſimplex ſit verſio, ſed ſimul aliquando, & paraphraſis quoque; ex ipſius tamen, vt dixi, ſemper ſeipſum elucidantis autoris alijs in locis verborum, atque ſententiarū collatione, elicita, atque deſumpta.

Illud etiam es commonendus, autorem noſtrum ſcripſiſſe alia nonnulla, quæ habēturin editione Veneta, ad ſignum Spei, anni 1548. 1556. & 1562. nempè tractatalū de Diſcretione Spirituum: Vitam Beatarū Margaritæ, & Gentilis Rauennatium: Dialogum, ſeu Meditationem quādam de Cōfidentia, & diffidentia; & priorem, quem ediderat ipſe iunior iam antea (illa enim p̄dicta non edidit ipſe, néq; vnquam profectò edidiſſet) de Diſcretione tractatum. Sed nobis minimè viſum eſt ea, ſaltem ſimul

cum his, vertere, cum quòd longè ab his, & ſtyli, & ſpiritus, quem admirabilem poſtea conſequutus eſt, feruore atq; efficacia ſunt diſtantia; nondum enim illum cõſcẽderat perfectionis apicem, quem poſtremis eius ætatis tribus annis, vel quatuor, quando hæc edidit, ſummum eſt conſequutus, ex feruentiſsima præſertim illius, & nunquam ſatis collaudatæ Ang. P. Ant. Mediolanenſis conuerſatione, cui librum inſcripſit de Ve. Conuer. meminitq; de ea in præfatione in Problem. & ferè ſemper cæteris etiam in Opuſculis, ita ſubſcribens finem illis imponit, A. P. A. cui nimirùm quicquid aſſequutus fuerat ſummæ perfectionis, acceptum ferebat: diceretq;, vt certò ſcio, ſolebat intimis ſuis familiaribus, nõnulla ſe ex illius colloquutione profundiſsima atq; abditiſsima ſacræ ſcripturæ myſteria, & pręſertim ex D. Apoſtoli Pauli epiſtolis didiciſſe, quæ nunquam vel ex P. Auguſtini, vel aliorum Doctorum perceperat lectione. Ita dat Deus gratiam his qui ſe humiliant: prout ſe deijciebat iſte mirabiliter vir ſanctus & eruditiſsimus ſub paupellæ, ac contemptæ Virginis ſacro ducatu: tum etiam

quòd

quòd quicquid ibi habetur ſolidi, atq; perſecti, id omne hic, & longè ꝓfundiùs, atq; præcellentiùs habetur: ita vt ſuperuacanea eſſent omninò, tædiumq; afferrent fruſtra repetita.

Sed & illud omninò es monendus, nos in hac verſione ſequutos eſſe exemplaria, non omnia, ſed emendata, & integra, nempè ea quæ ipſomet viuente (qui poſtea ferè mortuus eſt, immatura heu nimis morte, annos nempè natus, vt audio, 44.) impreſſa fuerũt partim Mediolani, partim Bononiæ, annis 1538. & 1539. & mox ferè ipſo mortuo, anno 1541. ſimul collecta omnia Venet. per Cominũ de Tridino. Reliquę omnes editiones quæ ſucceſſerunt, quas ego viderim; vidi autem, vt arbitror omnes; infinitis (quæ eſt huiuſcemodi hominum, in his præſertim quæ materna lingua conſcripta ſunt imprimendis, incuria) ſcatent erroribus, & diminutæ ſunt admodum, atq; diſciſſæ, & laceræ penitus: ideò nos eas deuitauimus, quas & tu deuita: prout mox ab horum impreſsione, ab hoc eodem typographo, ſed longè venuſtioribus, vt ſpero, typis integra, & emen-

data emittentur.

Quòd autem auctor hic noſter in tracta. de Int. Orat. Capit. ſexto, præ omnibus internæ reformationi facientibus Opuſculis Ioan. Caſsiani Opuſcula commendat, & alibi etiam laudat, & adducit; id ne mireris. Tametſi enim in notiſsimo illo Cap. S. Rom. eccleſia inter apocrypha numerentur, tamen id ob vnicam tantum factum eſt collationem, quæ eſt de protectione Dei. in ordine xiij. In cęteris verò nedum ab eccleſia non reijcitur, ſed & grauiſsimi ſemper Patres, ac ſummi Romanæ eccleſiæ cultores, vbi præſertim de ſtatuendis dogmatibus non agitur, ea maximo habuere in pretio, miris extulere laudibus, adduxeruntq; in mediũ: faciũtq; id etiamnum pij omnes, ac catholici ſcriptores. Qua de re ne ſim prolixus, innumera omitto, quæ poſſem adducere. Videto tantummodò, grauiſsimum ſuper hac re ſanctiſsimi ſimul, ac eruditiſsimi Lippomani Epiſcopi, poſt Abbatem Spanehemensẽ Trithemium, iudiciũ in præfatione in Vit. Sanct. to. viij. par. ij.

Demum, & quoniam admirabilis iſtę

auctor,

auctor, cuius erat, vt manifeſtant ſcripta, intentio, altiſsimam atque, ex omni parte abſolutiſsimam, quæ in hac vita conſcendi poſsit, edocere perfectionem; plerunq; ijs in Opuſculis docet, altiſsimæ, ac ſuperexcellentiſsimæ charitatis, Deiq;, ac proximi amoris, ac veri peccati odij atq; deteſtationis hunc eſſe gradum maximum, & ſuperexcellentiſsimum; vt homo ad tantum deueniat Dei amorem, ſuiq́; ipſius agnitionem, atq; contemptum, vt nedum ſeſe liberaliter reſignet ad ferendos æternùm inferni cruciatus, vel ob ſua, vel ob proximi peccata; ſi ita diuinæ eſſet beneplacitũ voluntati, ad eiusq; id cederet gloriam: ſed & quandoq; vel ex charitate proximi, vel ex feruore iuſtitiæ, videns nimirùm aliam condignam peccata ſua præ iuſtitia non exigere pœnam, id petat, & immò ex corde deſideret; licèt omninò ſemper diuinæ ſe ſubmittat voluntati; quam cùm perſpectam habeat, ideo mera, ex obedientia voluntatiſq́ue conformitate in Deum ſperat quãmaximè, licèt eum, & amplius ſexcenties offendiſſet; petitq́; ab eo iuxta eius voluntatem conſtanter miſericordiam, Paradiſum, &

alia bona; ſed ex feruore inquam iuſtitiæ, infinitam nimirùm videns offendiſſe ſe Dei maieſtatem, ac bonitatem, aliud petere nõ poteſt, ac ſitire, quàm pœnam æternam, & infinitam. Nota ſemper Lector mi, pœnam: petere enim à Deo ſeparari per volũtatem, & ſic quò ad culpam, prout ſunt damnati, nunquam eſſet licitum: (prout declarat auctor ipſe) ſed petit feruore iuſtitiæ anima feriens, vel ex charitate proximi ſeparari à gloria, non à gratia. Porrò hac qui cum charitate eſſet in inferno, non'ne ibi quàmmaximè Deum poſsideret, per ipſiſsimam nempè voluntatis vnitionem, quę vera eſt Dei poſſeſsio? Quoniam inquam hic docetur altiſsima hæc concluſio, quæ prima fronte minus Spiritusſancti efficaciã admirabilem, vimq; inſignem ſuijpſius, ac propriæ malitiæ agnitionis, atq; horrorem inde naſcentem expertis videatur fortaſſe dura, & dubitabilis: ideò nonnulla, immò quamplurima excellentiſsimorum rei internæ tractatorum, aliorumque, & ſanctitate, & eruditione conſpicuorum eccleſiæ Sanctæ Doctorum, præſertim antiquiſsimorum, hoc idem palàm aſſerentium, atq;
mul-

multipliciter cõprobantium loca: quæ interim dum per duodecim annos huius præclariſsimi viri ſtudendis, ac meditandis Opuſculis, ac doctrinæ, quàm potui, experimento comprobandę (licèt modicũ heu nimis proficiam. Nam, vt cuiusdam mihi vſurpem verſiculum, ad propoſitum meum detorquens; Vt me pluma leuat: hoc eſt Dei ſurſum agit ſpiritus; Sic graue mergit onus: propria nempè corrupta, atque infecta deorſum premit, procliuemq; facit ad ima, reflexum ac recuruum ad meipſam, ſpirituiq; Dei ſuauiſsimo ſimul, ac fortiſsimo improbiſsimè rebellantem, natura, & malitia ipſiſsima: licet & eam Dei gratia ſuperefluente, mente, ac fundo interiori odiam penitus, atq; repudiem. Mente ſeruio legi Dei, & eam implere licet ſemiplenè deſidero: carne autem, et habitante in membris meis peccato, peſsimaq; & antiqua nimis cõſuetudine, cui iterũq;, iterũq; imò millies victus ſuccũbo, atq; cõſentio; ſeruio legi peccati. Sed pro me mortuus eſt CHRISTVS: quiq; cœpit, ipſe & perficiet) operam dedi, occurrerunt: contradicentem autem contigit ferè videre neminem;

nem; volui inferius adnotare, Sanctæ tamen in omnibus Romanæ atque Catholicæ eccleſiæ, quæ columna eſt, & firmamentum veritatis, cuiq; ſuum tradidit Dominus IESVS ſpiritum, ita vt errare nullo pacto poſsit, iudicio me ſubmittens. Vale. Deumq; ora, vt, quæ excellentiſsimus iſte auctor, & verbo ſimul, & exemplo docuit (vt eius tota nota eſt Italia ſanctiſsima vita atque perfectio) nos quoq; ſimul, & experiri, & alios quoq;, quatenus Deo viſum ſit, exẽplo præſertim docere valeamus.

Sed, & cogit me, licet ſemiuiuum, & loqui non valentem, intemperãs deſiderium, immodicusq;, & incredibilis, quẽ perſenſi in horum lectione Opuſculorum, fructus; ne te omnino huius rei inſcium derelinquã, ad eaq; tanquam ad incognita penitus accedentem; nonnulla ſummatim, vt melius potero (præſtabit fortaſsè alius his excitus meliora) de horum Opuſculorum eximia, atq; præcellenti vtilitate, atq; ordine, ſeu & argumẽto ac ſerie balbutiẽdo pſtringere.

Si igitur vitam in melius vis cõmutare, veræq; ad Deum conuerti pœnitentiæ feruore, non externa tantùm quadam aſſum-

pta

pta pœnitentiæ formula, ſed immò ex cordis fundo Deum tuum amplectendo, peccatoq; penitus repudium dando; lege qui de Vera inſcribitur Conuerſ. librum. Ibi planè inuenies, vnde peccatū verè horreas quantaq; deflendum ſit illud cum amaritudine, atq; deteſtatione, quod tanti eſt cauſa mali, vt ibi planè docetur, addiſcas: ita vt tantò feruentiori Deum tuum deinceps teipſo contempto amore complectés, quã tò prius tibijpſimet eo ſpreto fueras immodicè, & recuruè affectus, ita in omnibus ſitias quæ vel in tempore, vel in æternitate tibi poſſent contingere, eius ſanctiſsimam exequi voluntatem, prout prius tuã ipſius in omnibus vitioſiſsimam ſtudebas ſemper facere voluntatem.

Porrò cõuerſus, ſi aſsidua Deo tuo oratione aſpirare, illiusq; iugiter attrahere vitalem ſpiritum, quo ſine proculdubiò hac in ſpiritali vita prorſus deficeres, deſideras; lege breuiſsimum ſimul, atq; omni ex parte abſolutiſsimum de Int. Orat. tract. cũ annexis Probl. Vbi nihil non, quod ad hoc perfectè aſſequendum orationis, ſeu contemplationis ſtudium faciat, compendio-

ſiſsimè

ſimè inuenies collectum.

Vt autem in oratione proſequenda, & in cæteris omnibus peragendis rebus, ſpiritus diſcernere motiões, quidq; à Deo, quid à natura, quid à Diabolo ſit, quid'ue plus, quid minùs à iuſto recedat, valeas agnoſcere, tutiſsimamq; ſemper incedere mediam, ac regalem viam, relictis extremis vitiò ob noxijs; ita vt & tibi, & cæteris omnibus, pfectum, ac ſaluberrimum ſemper omnibus in rebus, cùm externis, tùm internis capere, ac ſuggerere poſsis conſilium; lege de aur. & reg. Diſcr. tract. perfectiſsimum, ac planè diuinum.

Cùm verò hæc omnia, nec incipi, nec pſequi, nec ad exitum perduci poſsint, niſi & prius diligenti vitiorum omnium (quatenus quidem fieri poteſt) inuigiletur ad mortem vſque quotidianæ extirpationi; im primis, & ante omnia accipe, nunquamq; derelinque aureum illũ librum de ſuijps. Cogn. atque Vict. Ibi ſeptem capitalia vitia, tanquam ſeptem Hydræ Lernee, vel potius Tartarei illius Draconis capita, quomodo in nobis, & oriantur, & ſuccreſcant, & alantur; vnde

omnia

omnia in nobis pullulaſcunt vitiorum germina; quomodo rurſum, & decreſcant, & ſuccidantur, & quãtum quidem fieri poteſt extirpentur; ita vt omnium mox in nobis ſurgere poſsit virtutum, atque diuinorum chariſmatum pulcherrima ſtructura; diſtinctè adeò, ac planè deſcripta cóperies, vt nemo ſit, qui quidẽ diuina ſuffultus gratia, velit aduerſus ſeipſum arma aſſumere: qui hunc legens librum non maximam aſſurgat certiſsimamq; ſeipſum deuincendi in ſpem, idq; facile ſit (quantum quidem illũ Deus vocare dignabitur: non enim omnes ad eundem vocat Deus perfectionis gradũ, ſed pro modulo ſuo) præſtiturus: modò velit, quam hic docet, viam incedere, ſuauiſsimasq; eius præceptiones obſeruare.

Vt verò & poſsis ſubinde tanquã in ſpeculo teipſum contemplari, quî te omnibus ſimul in ſupradictis, vel vnoquoque corũ habeas; lege admirabile illud, ac planè diuinum internum Speculum, cum annexo breui Cófitendi modo, inde deſumpto. Ibi totius altiſsimæ perfectionis, cùm in actiua, tùm in cótéplatiua vita formam, normáq; vniuerſam, ab initio ad ſummum vſq;, gradatim

datim, ſtrictimq; comprehenſam offendes. Ita vt quotidiè quantum in vnoquoq; eorum, quæ ad perfectionem capeſsendam ſunt neceſſaria, vel proficias, vel deficias, quantumq; ab ipſa ſumma perfectione, vel abſis, vel adſis, (abeſſe autem te lõgè ſemper, immò ſemper magis; ſi verè proficis, īuenies. Ea enim eſt Chriſtiana perfectio, vt ſemper currendo ad finem nunquam ꝑueniatur: cùm ſemper in ea inuenire ſis vnde amplius proficiatur; quoq; magis creſcit verus illius guſtus, eò creſcit, & deſideriũ atq; eſuries infinita) poſsis agnoſcere.

De expoſitione porrò in Apocalypſin, quàm clarè, quàm dilucidè, ſimul ac comprehenſim, ſummq; tendens ſemper admirabili cum contextus ſerie, ordineq; ſuo illo planè diuino ad ſcopum, nedum earũ omnium rerum & ænigmatum abditiſsima enodarit myſteria, quæ iam erant completæ; ſed & de inſtantibus quoque, quæ nos impleta cernimus, acu nonnulla tetigerit, vt de acriùs irruitura per aliquãtum adhuc temporis in eccleſiam Luterana hæreſi: de ꝑcutiẽdis ſuo tꝑe Prĩcipibus nõnullis à ſerpente, quẽ fouẽt in ſinu: deq; locuſtis, &c.

deq;

deq́; poſituro illo Angelo, cuius pedes tanq̃ columna ignis, de poſituro inquam Angelo illo, cuius pedes tanq̃ colũna ignis &c. pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrũ autem ſuper terram &c. nihil volo loqui magis tuumipſius volo ſuper his fuſiùs, diſertiùs, eruditiùs, maiorią; præſertim cum ſpiritus lumine contemplantis, iudicium (vt ſpero breui) expectare. Satis ſit loca indicaſſe.

Scripſit autem auctor hic noſter ſupradicta hæc omnia modo quodã, ac methodo ſibi peculiari, ac planè ſingulari, & qualem, qui præſtiterit, vidi adhuc neminem. Scripſere etenim, fateor quidem, hac de materia viri plures, & ſanctitatẽ, & eruditione conſpicui: ſed alij longa texẽtes volumina, variaq́; varijs in locis tractantes; alij exhortatorios habentes Sermones, variaq́; interſerentes, quæ declarabant, ſcripturæ myſteria: alij magis contemplationum, internæq́;, ac myſticæ penitus Theologię materiæ intendentes: alij de mera, & ſimplici agentes externa mortificatione, id fecerũt: ſcripſereq́; eorum plerique ea ferè ratione, quæ non facilè niſi tantùm doctis, & eruditis,

tis, ſubtilioriq; præditis ingenij acumine ſit peruia, & perceptibilis. Qui autem breui Enchiridij forma, quod ſemper ad manum haberi, in ſinu geſtari, facile memoria cõprehendi, in eoque iugiter ſe exercere quilibet poſſet, totam ſex, vel ſeptem Opuſcu lis perfectionis conſcendendæ, cùm in actiua, tùm in contemplatiua vita formam, ita vt nihil omninò intactum remanſerit, quod ſit neceſſarium, nihil admixtũ ſit quod non ſit maximè neceſſarium, comprehenderit: idque verbis adeò apertis, ſine fuco ornatis, comprehenſis, efficacibus, admirabilique contextu, atque ordine planè diuino, vidi adhuc ſanè neminem. Vt mirum non ſit, ſi tanto animi cum ardore pijſsima, ac deuotioni planè addicta Hiſpania Opuſcula hæc arripuit, vorauit, deglutiuit, & vt verè eius ſint propria, fructusq; poſsint ibi admirabiles producere, in propriam eorũ vulgarem linguam, & tranſtulit, & tertiò iam, & quartò, & eò amplius Salamanticæ prælo ſunt excuſa. Præ cæteriſque excellẽtiſsimus, ac tempeſtate noſtra, & vitæ pietate, & eruditione catholica, vt innumera eius declarant ſcripta, clariſsimus F. Aloy-
ſius

ſius Granatenſis ord. Præd. in eo quem de Orat. edidit libello cap. xxv. præ omnibus ab eccleſia probatis ſpiritalis vitæ Opuſculis ea cenſet longè vtiliſsima, atq; fructuoſiſsima, & cap. LIII. integrum huius auctoris cap. prolixum valde ſuis non dedignatur inſerere, nominato ipſo auctore, operibus.

Accipe igitur, accipe mi lector librum hūc, tandiu contra meum deſiderium (Deo omnia ſuauiter, & fortiter, ſimul ac ſapienter, & ſuo quæq; in tempore diſponente) tibi dilatum: accipe inquam, & in eo tanquam in agro illo, quem qui inuenit homo, præ gaudio illius vadit & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum, te exercens, effodere non deſine theſaurum illum abſcōditum, margharitum illud pretioſiſsimum hic deliteſcens, quod ſolis illis aperitur, qui cætera omnia, præ illius comparatione, obliuiōni tradunt & nihili pendunt: contritionis nempè, veræque ad Deūm cōuerſionis, Cruciformisq; CHRISTI vitæ, ac virtutum eius omnium ad mortem vſque imitationis. Vnde verum illud oriatur in anima tua omni in tempore, omnique in euentu

quantumuis aduerſo gaudium, quod nemo nouit niſi qui accipit, gaudium abſconditū, gaudium perfectum, gaudium quod nemo poteſt tollere, gaudiū quod exuperat omnem ſenſum, & ſine quo infauſta & infelix eſt omnis, quæ falſo dicitur nomine, mundana felicitas. Simulque eum qui hoc præſtitit, immò qui hoc præſtiterunt (non .n. ego ſolus, ſed & ille; immò ille præſertim, de quo in ſuperiori habes nūcupatoria Epiſtola, hoc quicquid id eſt operis præſtitit) tuis ſemper commendatos habe precibus lector in optime, atque mi CHRISTI viſceribus intimis deſideratiſsime. Vale iterum. Dat. Plac. vt ſupra.

AVTHORES SVPRA MEMORATAM ſententiam confirmantes.

IN primis Doctor ille diuinus, & excellentiſsimus cōtemplator D. Io. Rusbroch.

Can.

Can. noſter Reg. quem Dionyſ. Carthuſiē. tract. 2. de Don. Spirituſs. Art. 13. propter eminentiſs. eius ſapientiam alterum appellat Dionyſium Artopagitam, ita inquit lib. de præcip. Virtut. cap. xj. Porrò cùm animaduertit Deum, non modò peccata ipſi remittere velle, ſed etiam conſolationē infundere, auxiliumque præſtare ex ineffabili bonitate, ac miſericordia ſua: ſimul etiā attendit Dei, ac Domini ſui immenſā maieſtatem, ac dignitatem, & quòd is talis, ac tantus ipſum conſolari dignatur: iam tanta intus animi contritione accenditur, vt ſe putet nunquam ſatis dolere poſſe: nec ſolùm petat à Deo vt is peccata ſua ſibi remittat per bonitatem, & miſericordiā ſuā, ſed etiam, ſi ad maiorem Dei laudem cedat, per iuſtitiam ſuam ea in ſe vindicet. Quantò enim maiorem erga ſe experitur Dei benignitatem, tantò peccata ſua magis ponderat: quemadmodū etiam D. Petrus, viſa Chriſti benignitate, ait ad eum: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Sanè ſi quis eò poſſet pertingere, vt Dei erga ſe iuſtitiam perinde vt miſericordiam exoſcularetur, ac diligeret, is reuerà peccato-

rum ſuorum omnium, atque etiam pœnarum illis debitarum tàm facilè plenam obtineret veniam, quàm vna aquæ guttula in ardenti fornace conſumeretur. Nec in hoc grandis ſitus eſt labor, ſed potius gaudium ingens; quandoquidem multò eſt iucundius diuinæ ſe permittere, vel reſignare iuſtitiæ, quàm miſericordiæ, eo quòd maior in illo ſita ſit mortificatio. Atqui quò eſt mortificatio maior, eò & guſtus copioſior. Cæterum quantò ſe quiſpiam pluribus ſenſerit implicitum culpis & defectibus, tantò maiorem habet cauſam ſibi diſplicendi, tantoque fortiùs amore inſeparabili Deo ſeſe coniungere; cum eoque fœdus inire debet: quem quidem amorem nuſquam meliùs licet perſpicere & cognoſcere, quàm vbi veriùs, ac magis propriè Dei ſumus. Interim tamen qui ad hanc perfectam cōtritionem pertingere non poteſt, minimè deſpondeat animum, nec de infinita Dei miſericordia deſperet. Si enim tanta eſt contritione prę ditus, vt ſe peccaſſe doleat, velitq; ex animo plus ſe dolere, idq; potius ob honorem Dei, quàm iacturam ſuam, ſtudeatq; iuxta S. Eccleſiæ Catholicæ inſtituta pœniten-

tiam agere, omninò poteſt confidere Deũ peccatis ſuis veniam daturum.

Idem lib. j. de orna. Spirit. Nupt. c. xv. Hominem (inquit) Deum amantem, ac humilem voluntas Dei maximo, & præcipuo gaudio, & delectatione afficit: neque ſecundum ſpiritum quicquam magis illi libet: etiamſi Deus, quod tamen impoſsibile eſt, in infernum eum demergere vellet. Et hic natura extremè deprimitur, & Deus altiſsimè ſublimatur: eſtque iſtiuſmodi homo capax donorum Dei omniũ, eo quòd ſeipſum abnegarit, propriæque renuntiarit voluntati, dederitq; omnia pro omnibus: neque tamen quicquam ob id recipere deſideret, neq; exigat quicquam, niſi quod Deus dare velit. Siquidem voluntas Dei illius gaudium eſt. Hoc pacto quiſquis ex amore ſeſe Deo penitus permittit, & reſignat, idem mortalium omnium liberrimus eſt, vitamq; agit curis vacuam, certus Deũ quod ſuũ eſt amittere vel perdere nõ poſſe.

Rurſum ĩ p̃memorato de pręcip. quibus. Virtut. lib. c. v. ante med. Sanè dum attentè perſpicimus, quæ & quanta maieſtas illa in humana natura pro nobis perpeſſa ſit,

mirum eſt, ſi vel grauiſsima quæq; immò vel infernum ipſum perenniter ꝓ ipſius amore pati recuſamus. Et paulò poſt nonnullis interiectis. Si enim verè patientes fuerimus, nihil nos neq; rerum temporaliũ amiſsio; neque propinquorum, charorũ, affinium extinctio, neq; infirmitas, neque ignominia, neque mors, neque vita, neque purgatorium, neque Dæmon, neque infernus ipſe contriſtare poterit: eo quòd nos ipſos ex vero amore diuinæ reſignauerimus, ac ſubiecerimus voluntati, ac beneplacito. Quiſquis enim mortalis ſibi peccati conſcius non eſt, ſeq; in manus Domini commendauit, facile eſt illi, quicquid Deus ipſo facere volet in tempore, & æternitate ſuſtinere.

Itidem De or. Spirt. Nupt. lib. v. cap. xv. Qui patiens eſt eum perturbare nihil poteſt, neque iactura terrenarum rerum, vel amicorum, & cognatorum, neque corporis aduerſa valetudo, neque ignominia, neque mors, neq; vita, neque purgatoriũ, neque Dæmon, neque infernus; quoniam quidem ex vero amore diuinæ ſeſe dedit & permiſit voluntati; & quia nullius mortiferi

ri peccati conſcientia mordetur, facile illi toleratu eſt, quicquid de eo fieri mandat Deus in tempore, ac æternitate.

In vita eiuſdem pulcherrimè conſcripta, quæ eius habetur Operibus præfixa, c. viij. ita legitur. Magiſter Gerardus Magnus, cùm eſſet apud Venerabilem Patrem in Viridi Valle, & quandoq; inſolitam in eo erga Deum fiduciam, non ex temeritate, ſed perfecta & ardentiſsima charitate timorem foras mittente conceptam ꝑſpexiſſet, quãdoque diuini iudicij, & pœnarum inferni metum ei incutere multis Scripturæ cõmemorandis ſententijs attentauit. Sed quantò plus quandam ei inijcere formidinẽ conitebatur, tantò vir pius maiori in Deum amore feruefcebat: & cùm eum aliquandiu loquentem ſuſtinuiſſet, tandem ei ita reſpõdit. Magiſter Gerarde fixum & certum habe, me ex animo paratum eſſe ad perferenda omnia, quæ Dominus mihi accidere volet, ſiue mors ſit, ſiue vita, ſiue etiam ipſi intolerabiles cruciatus inferorum. Neque enim quicquam mihi vel iucundius, vel melius, vel ſalubrius iudico, nec quicquam aliud, vel peto, vel deſidero, quàm vt amã

tiſsimus Dominus Deus meus promptum me ſemper, atque paratum inueniat ad ſuę arbitrium volũtatis. In quo nimirùm ſumma patet ſancti viri, cum diuina voluntate conſenſio, & perfecta omnis propriæ quæſitionis, & priuati amoris extirpatio.

Audiſti tonitruum vnum voces ſuas pro loquens? Sed & audi aliud terribiliter non minus intonans. Inſignis ille, ac profundiſsimus Theologus, & Spiritusſancti vnctione excellentiſsimè edoctus, D. Io. Thaulerus, Dominicani inſtituti lampas fulgentiſsima, cùm alibi ſæpiſsimè, tum verò de Vita & paſs. Chris. c. 26. in fi. Verè humilis, ac amore feruẽs inferni cruciatus ꝑ hominibus vniuerſis perpeti optaret, ſi ſic viſum eſſet Deo, ad illiusq́; id cederet honorem: quemadmodum Moſes pro filijs Iſrael deleri voluit è libro vitæ, & Paulus optauit anathema eſſe pro fratribus ſuis. Et c. 29. Denique qui ſic Crucem ſuam gerũt, hos ego veros Chriſti amatores, ſectatoresque dixerim, qui non quærunt quę ſua sũt, ſed quæ IESV CHRISTI. Quemadmodum D. Paulus fidelis Chriſti amator, poſt horribiles illas immanesq́; cruces, quas in

ſua

ſua commemorat epiſtola, perpeſſas, ad huc anathema fieri optabat pro fratribus ſuis Iſraelitis: ideſt, maledici, atque ſepara ri à Deo, vt Chriſto plures lucrifaceret. Ni mirùm hæc eſt perfecta charitas, quæ nuſquam ſeipſam quærit, nuſquam ſibi parcit, neque in tempore, neque in æternitate, vt Dei honor augeatur. Iſti ſunt veri amatores, ac imitatores Chriſti, qui Chriſto, quatenus poſsibile eſt, aliquam pro morte illius vicem reddunt, exponentes etiam periculis animas ſuas, ſicut & Chriſtus ſuam ꝓ eis animam poſuit; cupiuntque perdere ſemetipſos, vt Chriſtum lucrifaciant.

Idem in Serm. in feſ. Aſſump. Inde eſt (ait) quod Sanctus ille Iob, quem Dominus ipſe ſuo ore commendat, dicens ad Satan. Nunquid cõſideraſti ſeruum meũ Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? Et de quo ſcriptura teſtatur, quòd non peccauerit labijs ſuis, neque ſtultum quid contra Deum loquutus ſit, de ſe ipſo ait: In profundiſsimum infernum deſcendẽt omnia mea: putas'ne ſaltem ibi erit requies mihi? Omnia ſua dicit, non vti-

que ſecundum nihil ſuum creatum, quatenus ea ex parte homo nihil eſt: ſed iuxta nihil ſuum ex culpa, & peccato contractum. Itaque ob ſua peccata in ꝓfundiſsimã inferni abyſſum, in ſæuiſsimam carnificinam, & denſiſsimas inferni tenebras deſcendere volebat; tanquam diceret. Incertum eſt, dignam'ne vel illic, peccata quæ cõmiſi, pœnam recipere poſsint. Hanc autem inferni pœnã intenſiſsimo atque grauiſsimo modo ferre volebat, etiam ſine ſpe vnquã euadendi, donec meritas pro culpis pœnas lueret. Ad hunc modum etiam quidam ex fratrib' noſtris, cuius vocabulũ erat Vrigmã, ad tantam ſui nihili cognitionem peruenit, vt nunquam congruum ſibi locum, præterquam in profundiſsimo inferni ſub ipſo Lucifero reperire poſſet. Quò cùm ſe demiſiſſet, audiuit vocem è ſupremo cœlo elapſam dicentem, Vrigman citò huc aſcendẽ ad thronum altiſsimũ in cor Dei patris. De huiuſmodi D. Greg. ait quòd mortem quærant, ſed minimè inueniant. Denique huic amori, & immenſæ annihilationi, ac deiectioni vita in veritate reſpondet, etiam non optata, non quęſita, nec in intentione

habita

habita. Quò enim ſe quiſque in ima deijcit, eò magis exaltatur, quoq; ſe minorem iudicat, eò maior efficitur.

Item Doctor in colloquio Theologi, & mendici, quod habetur poſt Sermones de Sanct. fol. 474. Mendicum Magiſter, ita affatus eſt: Quid obſecro dicturus eſſes, ſi te Dominus maieſtatis in abyſſum demergere vellet? Et ille: In abyſſum (inquit) me demergeret? Et reuerà ſi id faceret, duo mihi brachia ſunt, in quibus eum amplexarer. Vnum eſt vera humilitas, & hoc illi ſuppono, atque per ipſum ſacratiſsimæ humanitati ipſius vnitus ſum. Alterum idemque dextrum eſt amor, qui diuinitati ipſius vnitus eſt, atque per hunc ipſum circũplector, ita vt mecum ad infernum deſcendere cogeretur. Optatius autem mihi multò foret in inferno cum Deo eſſe, quàm vel in cœlis ſine illo. Ex his igitur Magiſter ille didicit veram reſignationem cum humilitate profunda, compendioſiſsimã ad Deum ſemitã eſſe. Alijs pluribus in locis poſſem eundẽ allegare: ſed breuitatis gratia videatur Ser. Pentec. 3. pag. 432. in fi. ibi: Plus dico, & pag. ſeq. in fi. Per eum nanque. & : Quàm

enim

enim īpoſsibile. & Ser. Dom. 22. poſt Tri nit. pag. 751. & ſeq. maximè ibi: Immò au diui. & Dom. 25. poſt Trinit. pág. 776. ibi præſertim; Nec quicquam ad verè purum. vbi excellenter admodum loquitur.

Henricus ille Harphius excellentiſsimus & meritò apud omnes celeberrimus rei internæ Magiſter in direct. ſeu aliàs ſpec. perfect. c. 46. poſt pr. poſtquam dixit, quòd homo debet ſe offerre Deo ad tolerandum prompto animo omnia aduerſa, tàm interna, quàm externa, ſubiungit. Et liberaliter ſe debet offerre diuino beneplacito, etiã ſi Deus eũ ponere vellet ad æternaliter tolerandum propter honorem & amorẽ ſuũ omnes pœnas infernales: quanquàm non liceat ſe reſignare ad hoc, vt a Deo ſeparetur per voluntatem & amorem, prout ſunt damnati. Et quamuis iſtud videatur impoſsibile, quòd voluntas ſe reſignaret ad tolerandas æternas inferni pœnas, quia natura hoc omninò refugit: tamen per multiplicata deſideria ad hoc formata, & ſupereffluentem infuſionem gratię Dei tandem ad hoc peruenire poteſt, quòd tàm plena voluntate ſine cordis retractione liberaliter ſe

offeret

offeret Deo ad tolerãdum æternaliter omnes pœnas inferni propter amorem eius, quàm paratus eſſet ad recipiendum omnia gaudia æternæ gloriæ: quia amor Dei tàm purus in eo efficitur, & cõtemptus ſui tàm magnus, vt ſibi indifferens ſit quicquid de ſe fiat, dummodo potiſsimum diuinum beneplacitum in ſe perficiatur. Et quamuis ſit impoſsibile Deum talia poſſe exigere, vel deſiderare, tamen vult, quòd homo ꝓpter amorẽ ſuum ſit paratus reſignare ſe in omnibus, quantũcunque importabilia, & grauia ſint. Et ideò amicis ſuis familiaribus iſta ante oculos ponit, vt ſcire poſsint quãtum ſibijpſis mori velint ꝓpter Deum: ſicut fecit Abrahę, quando præcepit, vt Iſaac filium ſuum dilectum occideret, & offerret: quod dũtaxat ad tentandum eũ fecit.

Idem aſſerit, & ſæpius proſequitur magnæ apud Brabantos tempeſtate noſtra exiſtimationis & pietatis vir, D. Nicolaus Eſchius in exercit. ſuis, quæ imprimũtur poſt exercit. Thauleri; cuius verba non tranſcribo breuitati conſulẽs, Cap. iij. v. xij. & xiiij.

Sed & videamus quid hac de re ſuper D. Pauli Apoſtoli ad Rom. c. ix. expoſitione

ſenſerint tum antiquiſsimi, tum recentiores Sanctæ Eccleſiæ Doctores, & Patres illuminatiſsimi. Imprimis, vt à vetuſtiſsimis incipiamus, Origenes ille Adamãtius, quo vbi bene nemo melius, hic certè optimè, & ſupra alios omnes, quippè qui primus eorum, quos ego viderim, viam aperuit, eſt loquutus: ita ait in eum locum lib. 7. Paulum alloquens. Eſto, habeas iuſtitiam, eſto dolorem capias de perditione fratrum tuorum, qui ſunt cognati ſecundum carnem. Nunquid eouſque, vt optes anathema fieri à Chriſto? Et quid tibi prodeſt illorum ſalus, ſi tu à ſalute ſepareris? & cur ſaluabis alios, ſi ipſe pereas? Nunquid ita eſt? Sed ego (ſubijcit Paulum reſpondentem) didici à magiſtro, & Domino meo, quia qui vult animam ſuam ſaluam facere, perdet eam: & qui perdiderit eam, inueniet eam. Quid ergo mirũ (aduerte hic lector mi verba profunda admodum) ſi Apoſtolus pro fratribus ſuis anathema fieri velit, qui ſciat eum, qui in forma erat Dei, exinaniſſe ſe de ea, ac ſuſcepiſſe formam ſerui, & factum eſſe pro nobis maledictũ? Quid ergo mirum, ſi cùm Dominus pro ſeruis maledictũ

ſit factum, ſeruus pro fratribus anathema fiat? Hæc autem arbitror, quòd & Moyſes, cùm peccaſſet populus, dicebat ad Dominum: Et nũc ſi quidem remitte eis peccatum, remitte: ſin autem, dele me de libro vitæ, quem ſcripſiſti. Quid ergo inferiorem vis Moyſi Paulum videri? ille deleri ſe petit de libro vitæ pro fratribus ſuis: Paulus non debet optare anathema eſſe pro fratribus ſuis? Et paulò poſt. Vides ergo quia exauditus eſt Paulus: & quia ſe obtulit anathema, ſalutem meruit fratribus. Et ideò mihi videtur omnia illa p̃miſiſſe, quòd nulla vis poſsit eum à charitate Dei diuellere, vt cùm ſe offert anathema pro fratribus ſuis, non lapſum eius poſsibilem iudices: ſed ſicut ille qui inſeparabilis eſt à patre per naturam, & immortalis, in mortem venit, & in inferno deſcendit: ita & iſte imitãdo magiſtrum, cùm ſeparari à Chriſti charitate nõ poſsit, à Chriſto anathema fiat pro fratribus ſuis. O' pulcherrimum et profundiſsimum dictum. ò vere ſimilitudinem, qua nunquam aptiorem poſsibile eſt imaginari. Sed tu cõſidera & rumina, & meditare. nolo enim hic me extendere, cùm præſertim

vix capiam. Sed & audi duo quæ ſubſequũtur verba, planiſsimè omnem tollentia difficultatem, aureis ſcribenda litteris: deuotione vtique, non præuaricatione. Lege, & intellige: deuotione, non præuaricatione. Hinc pendet omnis omnium ſolutio. Hinc arbitror ſumpſere omnes quicunque poſt eum ſcripſere.

Prodeat ſecundo loco excellentiſsimus ille, & verè oris aurei & cordis feruentiſsimi Doctor, D. Ioan. Chryſ., qui, vt D. Pauli nedum ſenſum ſeu intellectum, ſed & affectum, cum in alijs tum præſertim hac in re omninò aſſequutus, (vt et inferius ex Metaphraſte comprobabimus) adeò flammanter, adeò vt in amorem ipſum verſus, ac tranſformatus, hac de ignita atque æſtuantiſsima charitate mille in locis eſt loquutus, vt nemo ferè ſit tàm frigidus, & aridus, qui non ex eius dictis totus ſuccẽdatur & colliqueſcat. Is ſuper locum illum, arcanam & nouam vocat hanc dilectionem & ibidem paulò ĩferius: Quòd ſi dicta hęcce tanquam infirmiora te conturbant, rem conſidera, non ſolum, quòd ſeparatum ſe eſſe vellet, ſed & cauſam propter quã vel-

let;

let, actum demum, quaſi ea quæ oculis cernuntur, videbis illius magnitudinem dilectionis. Et adhuc inferius. Propterea diſcrutior ait, ac ſi liceret ab eo choro ſeparari atque alienari qui Chriſtum circundat: nō ab ipſius amore (abſit hoc. quandoquidem pp amorem hęc faciebat) ſed & illa fruitione & gloria priuari ſuſtinuerim, vt ne dominus meus conuicio afficiatur maleq́ue audiat. Et non multo pòſt. Sed quoniam ꝓcul ab hoc amore abſumus, ne animi quidem cogitatione dicta hæc complecti poſſumus. Et poſt multa ore illo aureo, flammantiq; atq; ignito verè corde expreſſa aduerſus hanc non capientes dilectionis flammam, expoſitionesq; quaſdam afferentes longè humiliores, atq; frigidiores, quas irridet: & poſtea quàm multis eam comprobauit, oſtenditq; argumentationibus atque ſimilibus: inter cætera aurea hæc ſubiungit verba os illud verè aureum. Etenim omni pelago latior, omni flamma vehemētior erat hæc dilectio, ac nulla illam pro dignitatate dictabit oratio; ſed ille ſolus eam nouerit, quiſquis eadem exactè ꝑditus fuerit.

Idem Homil. 2. de laud. Pauli pulcher-

rimè hunc articulum proſequitur, quẽ bre uitatis gratia omitto, vbi inter cætera Paulum ait non pfunctoriè hoc optaſſe. Quod ſanè notandum eſt; ne putemus nos hæc quædam eſſe tantùm imaginaria. Omitto etiam loca alia plurima, vbi ſemper mirabiliter effert, ac proſequitur eandem expoſitionem Doctoriſte præcipuus: vt Hom. de laud. Paul. j. & vj. & in Epiſtolam ad Philipp. Hom. 4. & de prouid. Dei ad Stargirium lib. iij. & latius lib. j. de compunct. cord. vbi non omiſerim, quod inter cætera ait: Quod tamen etiam beatus ipſe, quia incredibile nobis futurum eſſe perſpexit, cũ quadam proteſtatione ſignauit, dicens: Veritatem &c. Et tamen cùm proteſtatus ſit, & conſcientiam ſuam ad teſtimonium euocauerit, adhuc minus credibile videtur apud homines, quòd ab ipſo velit anathema fieri, pro quo vult & anathema fieri.

Strictius hæc cõprehendit ibi breuiator eius Theophylactus ille inſignis Bulgariæ Archiepiſcopus. Viden' igitur, quòd ex amore, quo in Deum inflammatus eſt, optat, ſi modo fieri poſsit, ſeparari à cætu eorum qui cum Chriſto ęternùm viuunt? Nõ

à cha-

à charitate ipſius: ſed gloria ipſius, & illius vſu: perinde, ac patres ſæpenumero à filijs ſegregãtur, vt glorificentur filij; interea loci tamen non diſſociantur à dilectione liberorum, verùm vt illi qui incelebres eſſe volunt, probentur. Itaq; ipſe (inquit) ego, qui innumera tranſegi diligens Deum, ſupra quàm natura ferat opto pro gloria Dei excidere gloria à Chriſti. Hoc autē nō eſt excidere, ſed potius adſequi.

Eandem ibi ſententiam ex Photio prolixè admodum proſequitur Oecumenius. Vbi inter cætera ait. Vides eximium Chriſti amorem. Poſtquam ab omnibus quæ ſunt, Chriſti amorem oſtendit: eũdem nũc demonſtrat ab ijs quę non ſunt, ſed iuxta hypotheſin, per intellectum ſupponuntur. Meam etiam ſalutem in hypotheſi ob ipſius gloriam & Iudæorum ad ipſum conuerſionem omnino negligerem. Etenim ſeparatus Paulus pro Chriſti gloria, & Iudæorũ ĩ ipſo vnione, facilè rurſum vniretur, ac cóiungeretur: quemadmodum pullus aliquis paululum à matre diſtractus: & ita rurſum ipſe ſaluus fieret, ac Chriſtus magis glorificaretur, genusq; Iudæorum ſaluaretur, &

teſtamentum, ac promiſsiones ad finē deducerentur. Quin potius, ita & propter hæc diuiſus, non diuideretur, ſed magis vniretur. Hoc eſt dilectionis Chriſto digne: hoc eſt animæ vniuerſæ in Chriſti deſideriū abundè inflammatæ. Eadem ferè omninò habet, et Theodulus Cæle. Syriæ præsbyter ſiue Epiſcopus, in eundem locum, vetuſtiſſimus pariter Eccleſiæ Doctor.

Ad eundem ſenſum hæc Pauli verba interpretatur Magnus ille Simeon Metaphraſtes ī Vi. D. Io. Chryſoſt. quæ habetur in to. 5. Vit. Sancto. quas collegit Reuerendiſs. Lippom. fo. 89. vbi planè oſtendit, eodem quo diuus Paulus arſit gehēnalis pœnæ deſiderio, vt ſui Hebrei ſalui fierent; arſiſſe non minus & ipſum aurei oris & flammei cordis Doctorem pro ſuis: idq; eiuſmet teſtimonio comprobat Hom. in Acta Apoſt. 44. ad fi. quam ad verbum refert ipſe, & ego non exſcribo prolixitatis vitādæ gratia.

Quid? Rupertus Abbas ille inſignis Tuitienſis nonne optimè, & mirabiliter hic eſt loquutus, & ita ſanè, vt an meliùs loqui q̄s poſsit ac præcellentiùs planè ignorem? Ait igitur in Exod. cap. 32. poſteaqnam contulit

tulit, & valde extulit Moſis charitatem & Pauli, in hunc modum. Vtriuſq; dicta magni ponderis ſunt, & noſtras vires excedũt. Magni etiam viri hactenus vtranque ſententiam humeris ſuis verſauerunt, & rem, ſicut eſt, ſatis verbis exprimere non potuerunt. Eſt enim hoc penè ineffabile, nec, niſi aliquid de eiuſdem charitatis ſpiritu habentibus, ſaltē ſenſu perceptibile eſt; quo modo homo Deo familiaris, qualicunq; cauſa vel ratione hoc animo ſuo admittere poſsit, vt à Deo anathema eſſe, vel de libro eius concedat ſe ipſum deleri: quo modo in iſta conceſsione non ſolum nullā incurrat pœnam aut culpam, ſed etiam ampliorē apud Deum mereatur gratiam. Nobis hoc ſolũ de tanta re ſublucet: quia Deus charitas, Deus humilitas eſt; & cùm per humilitatē ſiue charitatem à Deo quiſquam procul abſiſtit, indigniorem ſe iudicans eis pro quibus interuenit: is miro modo quantum ſe deprimit, tantum aſcendit: quantum condemnat, tantum iuſtificat: quãtum à Deo quaſi recedit, tantum illi proximus fit. Diuitias animi eiuſmodi nos frigidi, atq; inopes ignoramus; & iccircò cùm legimus illũ

anathema ſe eſſe pro fratribus optãtem, iſtũ de libro Dei deleri ſe concedentẽ: aut dicta diſsimulamus, aut in ſenſum exilem grauiſſimè prolata detorquemus. Cæterùm quę ſpiritus idem tetigit, videt ex parte aliqua, quantum talis habitus mentis apud Deum valeat, pro ſua reuerentia. Subdit quædã ad id comprobandum prorſus diuina & mirabilia: ad quæ lectorem remitto.

Lucidiſsimus Doctor, & ſcolaſticorum facilè princeps D. Tho. Aquinas, qui verè Angelici cognomen eſt aſſequutus, cùm verè Angelico nobis ore loquatur: enarrans eum locum, clariſsimè more ſuo diſtinctionem ponit, de ſeparatione à Chriſto ob culpam, & ſic à charitate & amicitia eius: et ſeparatione ob charitatem, & ſic à fruitione eius quę habetur in gloria. Primũ (ait) nullo pacto licet: & eſt contra ordinẽ charitatis; & id minimè poterat Apoſtolus optara, qui nulla re mox p̃fatus erat poſſe ſe à Chriſti charitate diuelli. Secundo autẽ modo optabat Apoſtolus, ſcilicet ſi fieri potuiſſet, anathema eſſe, ideſt ſeparatus à gloria, vel ſimpliciter, vel ad tempus, propter honorem Chriſti, qui eſt ex cõuerſione Iudęorum.

rum. Ecce non diffitetur excellentiſsimus Doctor poſſe intelligi de perpetua ſeparatione locum hunc, ſi ſanè intelligatur.

Eandem ſententiam ibi ſequuntur celebres Theologi, Guilliaudus, & Viguerius.

Luculentiſsimè eandem ibi ſententiam ſequitur doctiſsimus Benedectinenſis Monachus, ac pijſsimus poſtea Fulginatiũ Antiſtes Iſidorus Clarius in hæc verba. Tantum abeſt (ait) vt odio eos proſequar, vt ſi fieri poſſet, optarim ipſa, quam à Chriſto expectamus: quo Chriſto nihil mihi charius, ne cœlum ipſum quidem: fęlicitate priuari, & paratis ab eo ineffabilibus bonis: vt meo interitu & æterno exilio ſalus Iudæis pararetur. Et Moſes: Aut dimitte (inquit) eis noxam hanc: aut dele me de libro, qué ſcripſiſti. Et paulòpoſt. Quocirca optaſſet, ſi ſuo interitu reconciliari potuiſſet hæc gratia, relegari à Chriſto, vt hæc gloria ſeruatæ Iudeę gentis ipſi Chriſto accederet.

Accedit & grauiſsimum eruditiſsimi, ac in Tridentina pręſertim Synodo probatiſsimi, F. Dominici à Sotho ſuper hac re iudicium. Is ita ibi. Anathema à Chriſto fieri bi-

fariam contingit: vno modo, cùm quis vo
luntate ab eo deſciſcit. Et hoc nullatenus
licet: cùm teneamur Deum ſuper omnia di
ligere: atque id minimè Paulus poterat, qui
nulla rè exiſtimabat poſſe à charitate Chri-
ſti deturbari. Et nonnullis interiectis, Ac-
cipitur ergo anathema, hoc eſt ſeparatio, in
alio ſenſu; nempè pro eo quod eſt „ abeſſe
à Chriſti præſentia & fruitione, quam ardẽ-
tiſsimè exoptabat. Et paulò poſt, facta ſibi
obiectione: ſi elongari à gloria Dei nequit
homo, niſi per culpam, quo modo id Pau
lus optarè poterat? Affert primò eorum re-
ſponſionem, qui intelligunt de temporaria
ſeparatione, ſeu remoratione à gloria. Se-
cundò in hæc verba ipſe reſpondet. Tam-
etſi dum Orig. Chrys. & Patres ſuper hunc
locum meditatiùs lego, ſublimiorem mihi
videòr hic ſenſum intueri. Vis etenim amo-
ris, vbi in ecſtaſim rapit amantem, non ſinit
rationes has circũſpectare, vt ſeſe latius ꝓ-
ferat. Quocircà qui (vt paulò ante medi-
tabar) neq; exulare à cœlo, neq; in tartara
detrudi, vllius momenti arbitrabatur, vt
ſeparari poſſet à charitate Chriſti, eadẽ nũc
charitate abſq; præſcriptione vel temporis,
vel

vel loci, ait cupere ſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus: non conſiderans, quo id pacto fieri poſſet. Quaſi optaſſet charitas Dei in Paulo, fructu gloriæ orbari, vt plures Deus haberet amatores. In quo profectò ſe maximè dilectio patefacit. Et paulò poſt. At quoniam nos ab hac dilectione, quam longiſsimè abſumus, neq; intelligere hæc poſſumus. Subdit & poſtea Orig. dicta & rationes.

Nec verò indiſcuſſum reliquit hunc articulum, immò optimè elucidauit atq; enucleauit ibi, ſubtilis, & eloquens Catharinus, in hunc modum. Neq; verò per hoc quod optat ſe anathema à Chriſto ꝓ fratribus, putare debes id fuiſſe contra charitatem, tanquam optauerit ſeparari à gratia Chriſti propter aliquod peccatum. Abſit hoc omninò; ſed ſolummodo renuntiabat bono proprio, quod cõſiſtit in viſione Dei ac fruitione, vt ſic complures animæ fratrũ ſaluæ fierent; & illud ad maiorem Dei honorem pertinere exiſtimabat, iuxta illud; In multitudine populi dignitas regis. Neque eſt contra charitatem, quæ non (vt vulgus temerè ait) incipit à ſeipſo. Non enim

à ſeipſo

à ſeipſo incipit vera charitas, ſed à Deo, quī præferendus eſt omnibus. In Deo igitur Apoſtolus putabat hoc eſſe multò dignius, vt multos lucrifaceret Deo, etiã cũ ſui abiectione, qui non faciebat animam ſuam ſibi præ Deo pretioſam. Et in hoc erat pretioſior, qui tanto feruore ſtudebat gloriæ Dei. Sic & Moſes &c. Et paulòpoſt. Etenim nõ erat contra charitatem iſta cogitatio, ſed ex ſumma charitate, ſi fieri potuiſſet. Et licet eſſet deſiderium contra bonum proprium, tamen non contra charitatem, quæ nõ quærit, q̃ ſua ſunt, ſed quę IESV CHRISTI, à quo videbat infinitam gentem ſegregari.

Optimè etiam, & feruenter admodum, more ſuo, loquuti ſunt hoc in articulo Titelamus & Ferus, duo pclariſsima Franciſcani inſtituti lumina. Quorum ille ita. Vſqueadeò enim hæc res mihi cordi eſt, vt optarim, atque etiamnum optem (ſi fieri poſſet, & ſi Deo foret beneplacitum) ea quam expecto mercede retributionis priuari, atque ita modo quodam à Chriſto (licet non amicitia, tamen æterna etiam præſentia) ſeparari pro ſalute fratrum, ſi vel tali ac tanto pretio eos poſſem à ſua infidelitate,

te, & ſubſequutura damnatione redimere: vt ad Chriſtum conuertantur, & ſalui fiāt. Tāti mihi eſſe illorum ſalutem verè profiteor. Iſte verò, hoc eſt Ferus. Etiam cum ſuoipſius damno aliorum ſalutē optat Paulus, ſi aliter fieri nequit. Non tantum optauit mori, vt quidam exponunt; ſed anathema eſſe à Chriſto, hoc eſt damnari, vt omnes alij ſaluarentur, & gloria Dei ab omnibus ꝑdicaretur. Vera charitas nihil quęrit, niſi Dei gloriam, & aliorum ſalutem. Paulus non ingratus erat vocationi ſuę, ſed gloriā Dei ſummè exoptabat creſcere. Moyſes eundem affectum &c. Hic affectus nihil aliud eſt, quàm plenè abnegare ſeipſum in obſequium & gloriam Dei. Et paulò poſt. Hunc affectum nos tepidi adeò ignoramus, vt ēt horreamus audire hæc verba.

Breuitatis gratia videatur & Ambros. qui ibidem hanc ſentit rectè intuenti expoſitionem; & clariùs de Moyſe loquens lib. 1. de pœn. cap. 8. Bernar. ſuper Cant. Canti. vbi de Moyſe loquitur Serm. 12. & de Moyſe ſimul, ac Paulo Epiſt. ad Suggerium Abb. 78.

Riccardus ille noſter à S. Victore, contēplator

plator inſignis, inſanam, & quibuſdã alijs præcellentibus titulis, hanc ſupremam cõpellat charitatem, in lib. qui incip. Vulnerata charitate ego ſum; ante fin. in 4. gradu amoris.

Caſsian. Colla. 9. c. 17. Denique vas electionis hoc repletus affectu, etiam anathema fieri optabat à Chriſto, dummodo ei familia multiplex acquiratur, & ad gloriã ſui patris ſalus totius Iſraeliticæ plebis accreſcat. Securus enim optat interire ꝓ Chriſto, qui nouit neminẽ mori poſſe pro vita. Idem ibi ſubijcit de Moyſe.

In Vitis Patrum, cùm Antonio dictum eſſet cœlitus, nondum eò ſe deueniſſe perfectionis, quò coriarius quidam Alexandriæ manens; confeſtim Alexandriam petens Antonius ab eo requiſiuit, quę bona patraret opera. Cui ille. nil memini me vnquam boni egiſſe; niſi quòd mane dũ ſurgo, antequam ad opus procedam, oro Deum, vt omnes in iſta Ciuitate à minore, ad maximum, ob eorum benefacta paradiſum adipiſcantur. Ego verò ſolus ob mea peccata (intellige præterita, & vt iſti ſaluẽtur) addicar inferni cruciatibus. Quod exẽplo

plò ſummis extulit laudibus verbum Antonius, vt ibi habetur.

Idem verò et apertè ipſemet cōteſtatur Paulus in eadem ad Rom. Epiſt. paulò ſuperius, c. nempè præcedenti, cùm certum ſe eſſe ait, quia neque altitudo, neque profundum, & c. poterit eum ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in CHRISTO IESV, vbi D. Chrys. inter alia pulcherrima ibi dicta ait: Paulus ob Chriſti amorem, vel in gehennam decidere libens admittit, paratusq́; eſt vel a cœlorum regno excidere, ſi vtrunque proponatur. Et paulò ſuperiùs: Ab amore Chriſti excidere Paulò erat vel gehenna terribilius: quemadmodum & in eo amore perſiſtere vel cœlorum regno deſiderabilius. Idem ait in tr. de cōpunct. cord. Eodemq; modo ibi exponunt, & D. Tho. & omnes ferè ſupra allegati.

Sed & celeberrimum poſtremo loco accedat teſtimonium egregij contemplatoris, Deiq; iuſtitiæ zelatoris ardentiſsimi Hubertini Caſalenſis (quem in ijs tantùm cōmendo, in quibus S. eum Ro. approbat Eccleſia. Scio enim eum in nonnullis, vt ſumus homines, & non omnia poſſumus omnes

&

& quandoq; bonus dormitat Homerus; erraſſe: ſed tamen hæreticus nullo pacto eſt cēſendus, autore Trithemio, cùm in omnibus Romanæ ſemper ſe ſubdat eccleſiæ) quem iccircò vltimo loco reſeruaui, quòd planiùs, apertiùs, diſtinctiùs, omnibusquè vt mihi videtur, reſpondens obiectionibus, hunc proſequutus ſit articulum: ita vt bonæ mentis, fundiq; ſinceri homini nullus omninò remanere poſsit ſcrupulus. Is in tract. Arbor. vit. Crucif. IES. lib. iij. c. iij. Vers. IESVS deſertum incolens. ita ait: Cùm enim Deus fecerit delectamenta bonorum naturalium: in quibus nunc cōprehenduntur bona fortunæ; delectamenta habituum virtualium, & in multis viris delectamenta tolerantiæ paſsionum in humilitate profunda, & ſæpe appetitum zelo iuſtitiæ æternalium punitionum ſine ſui cōmiſſa offenſa, & delectamēta fruitionis patriæ; pleniſsima paupertas ſui pro amore IESV eſt, omnibus iſtis ſpoliatum fore; in his omnibus nihil velle, niſi id quod benedictus IESVS de illa anima in ſe, & ad ſe, & per ſe æterna ordinatione diſpoſuit: vnde iſta anima non vult in ſe, nec ꝓ ſe delectari

ri

ri in aliquo prædictorum bonorum. Et ſi quæras; quare? Reſpondet: quia non ſum mea, nec aliquid eſt mei in me & pro me. Bonum totũ quod ſum, in IESV ſum. Nihil volo eligere, quia neſcio quod circa me ſit Dei velle. Scit ſponſus meus IESVS qui eſt mecum, meum ſcire, & meum velle, & meum eſſe. Et ideò nihil volo, niſi quod certa ſum illum velle. Vult autẽ quod me præcipit facere. In his me volo exercere. Et paulò poſt, declarãs quomodo inter delectamenta à Deo creata poſsit eſſe appetitus pœnæ æternalis pro præteritis peccatis, & vti ſanè hoc debeat ĩtelligi; ita ſubinfert. Non mireris autem quòd inter delectamenta à Deo creata, quæ enumeraui, poſuerim appetitum iuſtitiæ ſui in æternum pro offenſis prẹteritis, ſine adiectione nouarum offenſionum: quia non ſolùm hoc eſt bonum commune; ſed eſt exceſsiuæ animæ rectitudo. Ad quam profunda humilitas in recognitione ſuæ iniquitatis, & zelotypicæ trãſformationis charitas, ad rectitudinem iuſtitiæ Dei duxit aĩam; dũ videt iuſtiſsimũ, & Dei honorificũ, ꝙ tm̃ ſcelus ab ea cõmiſsũ puniatur in æternum. Et ſuauiſsimi dulcoris.

ris eſt guſtus in tanto amore iuſtitiæ Dei, ꝙ hoc appetit pro honore ſui. Et ad hoc ſæpe gratiæ exceſſus rapit mētem ſponſæ. Vnde ſi ſibi reuelaretur, quòd hoc vult Dei iuſtitia, accipit hoc anima cum ſuauitate pacifica, & plus ſæpe cum electione promptiſsima. & hoc intellige de pœna ſeparata à culpa. Quòd autem hoc ſit rationabile ꝓbat Pſalmus: Lętabitur iuſtus, cùm viderit vindictam. Si lætabitur videndo vindictam in alio, nec in ſeipſo; nequaquam iuſtus eſt, ſed cruentus. Licet enim talis punitio à mēte carnali apprehendatur quaſi deſperans à Domino ex ſeparatione; nequaquam tamē ſic accipit mens à ſpiritusſancti feruore ad hunc zelum commota. Si enim beatitudo ſua vera cōſtitit in fruitione volūtatis Dei, non ſuæ; hoc anima ꝓ ſua beatitudine accipit, quod voluntas Dei de ipſa ab æterno elegit. Et ideò ibi anima ſimpliciter fruitur diuina voluntate: etiam ſi ſit in ſuis pœnis æternis. Et quia humilitatis abyſſus & iuſtitiæ zelus ſæpe vult in pœnis proprium eligere pro Dei honore; ſtatim paupertas ſpiritus frænum apponit. Nequaquam mihi faciam: proprium non habeo: non ſum

mea,

mea, ſed ſponſi. Et ideò quod fecit de me in ſe, volo eſſe: fruitio mea eſt, vidère continuè, & ruminare, quod ipſe eſt Deus. Et ex quo ipſe eſt Deus, & non poteſt illatio ſolui, quin ſemper Deus ſit Deus, & quin IESVS aſſumptus vnitus ſemper ſit Deus vnione perſonali; in quo eſt gloria omniũ membrorum ſuorum: in ipſo, & cum ipſo, & per ipſum iam me ſentio glorioſam; iam non me ſentio, ſed ipſum ſentio. Hoc eſt deſertum &c.

Poſſem vltra hæc tonitrua non ſeptem, vt vides, ſed vel quadruplo plura, quàm ſeptem, quæ loquuta ſunt voces ſuas, alia & ſuperaddere: nempè B. Angelã Fulginatẽ, Catharinam Senenſem Virginem & Sponſam Chriſti electiſsimam, Catharinettã Genuenſem, cuius nouiſsimè illuſtriſsima & mirabilis edita eſt vita, ab Inquiſitore Genuenſi approbata, Abbatem Ludoui. Blos., Io. Lanſperg. Carthuſien. autorẽ Spec. Cru. & alios: ſed prædicta ſufficiant intelligere volenti, in ijsq; quæ ipſe non percipit, Sanctorum dictis ſe ſubmittenti: illi autem qui nec percipit, nec percipientibus ſanctis ſe ſubmittit, nec ſi longè plura adducerentur,

ſufficerent: ſed ijs non ſcribimus.

Optimè & facerent ad propoſitum quæ de Chriſtina Mirabili refert Carthuſië. Dionyſius in Colloq. de partic. iudic. anim. c. 33. quod imprimitur poſt libellũ de quat. nouiſs. quæ cùm ab Angelis lucis poſt mortem eſſet pducta in paradiſum, lætareturq; admodum, putans ſe ibi æternaliter cũ Domino permanſuram, offerente illi optioné Domino, vt videlicet vel ibi ſecum maneret, vel ad corpus reuerſa in eo pateretur pœnas ſatisfactorias pro ereptione animarum, quæ in Purgatorio detinebantur; ſtatim illa ſine hæſitatione vlla elegit ad corpus redire: vbi horribilia quæ paſſa ſit tormenta lege ibi, & adapta ad propoſitum. Sed non amplius de his: in infinitum tenderemus.

Verùm enimuerò & quoniam memoriæ occurrit alia, quæ hic habetur, notabilis concluſio, prædictæ ferè vicina. Nempè ꝙ ſe agnoſcit verè humilis, & ſpiritusſancti illuminatione edoctus homo, nedum peccatorum primum; ſed & omnis vnicũ fontem peccati, omniumq; cauſam malorum, nedum quæ fiunt, ſed & quæ facta ſunt, & fient:

ſient: quæ prima facie videtur & falſa, & i-poſsibilis concluſio; quanquam autor ipſe eam ita perfectè & abſolutè duobus declaret admodum prægnantibus, & profundiſſimis, ac verè myſticis verbis, vt nulli amplius edocto internè viro de ea dubium ſupereſſe poſsit; quòd nempè cùm pro vnoquoq; noſtrum vniuerſam eius ſuſtinuerit Chriſtus perpeſsionem, quæ ponderis eſt infiniti, quæq; præponderat vniuerſis mundi peccatis, quę pertulit ipſe in corpore ſuo ſuper lignum, poteſt vnuſquiſque noſtrum verè dicere eius fuiſſe cauſa mortis; & conſequenter peccatum ſuum infinitæ eſſe grauitatis, atque virulentiæ, aptumq; quod vniuerſum deſtruat, inficiatq; mundum, infinitaq; producat exitia; tamen ad adiuuandam infirmitatem noſtram iuuat & nonnulla hic adijcere eandem comprobantia, & elucidantia poſitionem. Cùm enim, vt ait vbiq;, & nunquam poteſt à memoria mea recedere, D. P. Aug., nō ſit peccatū quod vnquam fecerit homo, quod non faceret alter homo, ſi deſit creator à quo factus eſt homo; planè conſequitur, ſi omnem hominum omnium viueret vitā vnus homo, qui

ſunt, qui fuerunt, & qui ſunt futuri ; cum (ex ſe, & niſi diuina omninò ſuccurreret benignitas) omnia quæ ſunt, quæ fuerunt, & quæ fient patraturũ fuiſſe peccata. Et hoc ſi non fecit, non per eum ſtetit ; non fuit ex virtute, vel ex parua malitia ſua ; ſed q̃a affuit impedimentum. Vnde dicebat in ſimili idem pater in lib. Soliloq. c. Qui ſint veri pauperes. Vt adulterium, & omne peccatum non committerem, Domine, tentator defuit, & vt deeſſet tu feciſti; locus & tempus defuit, & vt hæc deeſſent tu feciſti: affuit tentator, non defuit tempus; ſed vt non conſentirem tu me tenuiſti. Et alia multa ibi ſubinfert ad propoſitum. Et paulò ſuperiùs expreſsè dicit: Quia niſi tu Domine mihi hoc feciſſes, ego omnia mundi peccata feciſſem. Hinc B. illa Catharina Senen. & Virgo, & Chriſti ſponſa, omniũ quæ fieri audiebat, ſe inclamabat cauſam malorum, percutiq; pro eis vehementiſsimè optabat, quod & aliæ ſecerunt, quas non allego, Beatæ Virgines & Sãctæ. Hinc reprobornm etiam omnium ſe (quantum in ſe) peſsimum aiebat, ingemiſcebatque Hubert. in prolo. j. Arb. Vi. cruc. Hinc

Diabolo

Diabolo ipſo ſe peiorem conquerendo ratiocinatur & cóprobat D. Anſel. in Oratione in die S. Io. Bap.; idemq; generaliter de humani malitia liberi arbitrij loquens, aſſerit, & probat præfata Cath. Genuen. ab Inquiſitore approbata. D. q; Io. Thaul. de homine verè deiecto, & ad nihilum redacto diuinè admodum loquens, inter cætera ait: Immò ipſo quoque Demone peiorem ſe ex animo reputat. Serm. Dom. 18. poſt Trinit. pag. 718. Et D. Io. Rusbroc. idẽ ferè cum Hug. Pãthe. ad verbum dicens, mirabilia hæc de humanæ malitiæ malignitate loquitur hunc in modũ, lib. de præcip. quib. virt. c. 4. in fi. Libẽter igitur proprietati renuntiabimus, cùm nihil hac peſte virulentius, ac pernitioſius ſit. Quantum enim in ipſa eſt, Deum fideliſsimum omni potẽtia, ſapientia, iuſtitia illius ſpoliare cuperet; quippè cui gratiſsimum foret Deum nec velle, nec ſcire peccata ſua vlciſci; ſicq; vellet eum nec potentem, nec ſapientẽ eſſe: & quia pro peccatis ſuis pœnam ſentire nollet, eo ipſo nec iuſtum eum eſſe appeteret. Sicut enim amans anima omnẽ potius difficultatem, ac pœnã ſubire vellet, quàm

Deo ſupergloriofo minima glorię eius decederet portio: ita fundus propriæ voluntatis lepra infectus, Deum illius excellentia priuare vellet, vt ſuam poſſet ſeruare proprietatem. Quod procul à nobis auertat, qui propter nos ad mortẽ vſque Crucis obediẽs factus eſt. Amen. Lanſperg. hæc ſunt verba in Serm. Dom. vj. poſt Nat. Ad obtinendam veram humilitatem non minus te culpabilem æſtimare, Deoq; gratias agere conuenit de culpa, ſeu delicto non perpetrato, quàm de peccato dimiſſo & condonato. Ex eodem enim manat fonte bonitatis, & paris eſt miſericordiæ à delicto præſeruare, & delictum remittere. Omnium igitur peccatorum te clama reum, quæcũque homines audieris feciſſe. Nam ſi diuina te non præſeruaret gratia, iam cecidiſſeş. Neque à propoſito abhorrent quæ grauiſsimus Doctor Ambr. in Pſ. 118. Vers. Puſillanimitas detinuit me. circa med. variè exponens illud: Iuſtus in exordio ſermonis accuſator eſt ſui: ait; Forſitan etiam aliquibus non videatur abſurdum, vt etiam de illo dictum ſit, quòd iuſtus ſit, qui ſe accuſat pro alio, etiam ſi in ſe nihil habeat quod

accuſet,

accuſet. Vt mirum non ſit, ſi idem puriſſ. Doct. in eund. ps. Vers. Funes peccatorũ: omnium ſe nequiſsimum, ac deteſtabilem vſu peccatorum immò ex corde compellet.

Sed videamus, num qui cæteris omnibus clariùs & ſuſiùs, ac diſtinctiùs prædictam huic affinem terminauit cõcluſionem, hanc quoque ſimul abſoluere, luceq; meridiana clariorem facere dignetur. Quid igitur, quid tu de hac re cenſes Hubertine pijſsime ſimul atque humillime? Reſpõdet & elucidat optimè hunc ipſe articulũ in prę memorato tract. lib. 4. c. 37. Et quia iſta in abyſſum cordis IESV inrroducitur; ideò plenè illuminatur, vt cognoſcat abyſſales malitias infectionis ſuæ. Vnde videt malitias ſuas ſufficientem cauſam, immò deficientem ad omnia mala, quę vnquam fuerunt facta per aliquem peccatorem, & nõ ſolùm ad facta, ſed etiam ad noua mala inuenienda, & horribilia ſcelera: & videt ſeipſam ſolam eſſe operatricem ſuorum malorum. Videt etiam quòd ſufficiens eſt ſua malitia totum mundum corrumpere, & ad omnia mala quę fiunt inducere, & ad plura alia noua adinuenienda. Et hoc ſcilicet,

ſi ſua malitia non minueretur à bonitate diuina, quæ ipſam arctauit ad parùm viuendum, & eam reduxit ad vnum locum, & regionem vnam, & vnam familiam ſpecialẽ. Sed ſi Deus permitteret eam ſemper viuere ſine infuſione aliqua ſuæ gratiæ, & permitteret eam omnia loca circumire, & cum omnibus conuerſari, & alios non defenderet à ſuis malitijs ne inficerentur per eam; videt & cognoſcit, quòd omnes inficeret, & omnis creaturæ vſus peruerteret, & alios faceret eis abuti in contumeliam creatoris: à quibus omnibus ſola Dei gratia retrahitur multis modis. Et paulòpoſt ſubinfert; Ad intelligendum autem propriam malitiam, etiam in his quæ nobis à gratia prohibentur, valet exemplum vaſis pleni veneno mortifero: de quo licet minus quis recipiat, nihilominus eſt incluſa in vaſe tàm ſufficiens cauſa mortis omnium viuẽtium, vt vocẽ meritò vas mortis, & cibus mortificans omnem animam viuentem. Sic eſt aliqualiter de anima ex ſua malitia, licet non permittatur in omnes actus exire. Multa alia prætereà admirabilia admodum, illuminatiſsimè ibi ac feruentiſsimè proſequitur,

tur, de humanæ malitiæ immenſitate, ac virulentia loquens: quæ Chriſti cupidũ lectorem omninò quæſo videre, ac perpendere. Vbi inter cætera & humanam malitiam ſibi de ſeipſa iniquitatis Deum fabricare: & debere propterea hominem ſeipſum, vt infernalem abyſſum, horrere; & ſuperbiſsimum reputare Dæmonem: ac Leonem illum rugientem, qui circuit quærens omne bonum deuorare; diuino prorſus nobis ore proſequitur.

Notus eſt prꝗterea, ſi fortè cui minus hꝗc ſatisfaciunt: non'ue poteſt ita altè conſcendere, oculosq́ue adaperire interiores, quos ſolus aperit ſanguinis Chriſti effuſi rutilans ſplendor: modus ille, Scripturæ ac ſanctis viſitatiſsimus, loquendi hyperbolicè, & per exceſſum, ſine veritatis tamen præiudicio. ſcit enim qui loquitur, quoaduſque ſibi credatur. De quo per D. Auguſt. ſuper Ioã. ad fi. Vnde Manaſſes; Peccaui ſuper numerum arenæ maris. Et Dauid: Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderũt me gratis.

Rogemus D. N. vt excedentes hos loquendi modos ſanctorum & intellectu capere,

pere, ſimul & experiri (quatenus quidem illi viſum ſit) valeamus, & interim quæ nõ capimus, humiliter veneremur.

Laus Deo, & ſupergloriofiſsimæ Virgini, & Sanctis omnibus in cœlo & in terra: ijs pſertim, quorũ ope & meritis prodit hęc lucubratiũcula.

Eiuſdem ad perferenda pro Christo aduerſa, & cruciatus adhortatio.

Inſequitur illud D. Bernardi, ita ferè (ni fallor) habens. Strenuus miles ſua non ſentit, dum proprij ducis aſpicit vulnera.

Sanguinolenta ducis dũ ſpectat vulnera miles
Egregius, medios alacer prorũpit ĩ hoſtes,
Nullá perhorreſcẽs hoſtilis dãna furoris.
Sic vos, ò ſocij, veſtri ſpectate cruenta
Mẽbra ducis: nullũq; aĩus horreſcat adire
Diſcrimẽ pro illo, qui ſe mulctauit acerbo
Funere p vobis: pulchrã p vulnera mortẽ
Quin petite audẽtes, cœlũq; capeßite lęti,
Illius ſocij mortis, vitæq; perennis.

Sacris

SACRIS S. CRVCIS IN IVdeca Virginibus, in Chriſto cũprimis colendis.

IN diebus noſtris, quando Dei penè euanuit cognitio: vt neq; Sol, neque Luna, neque Stellæ ſuũ emittãt ſplẽdorẽ: ſuprema lux è ſummo beatorũ ſpirituum choro, quæ ſacro in idiomate Seraphim dicuntur, hoc eſt, ignita ſeu candentia; vnum è ſuis emiſit radijs: qui cùm apparuiſſet, ſuaque in hanc cepiſſet tenebroſam abyſſum lumina diffundere; ſtatim eſt raptus; ob noſtra fortaſſe dementia; non ſine maximo eorũ cordis dolore, q^e melliſluũ incipiebãt, à viuida impreſſum luce, ſaporem deguſtare.

Verùm

Verùm quia ſpiritus non moritur, vt autumant ſtulti, ſperamus fore, vt angelica, quę in nobis manſit lingua, non ceſſet ſuauiſsimo pias eſurientium mentes cibo recreare. Quare compellor à vobis, piæ matres, alijsque Chriſtum ſitientibus, in vnum colligere prædignos arboris cœleſtis paradiſi fructus, qui partim Mediolani, partim Bononię, feliciſsimis ciuitatibus tali ditatis munere, initiò editi fuere: eosq́; emittere in hac inclyta vrbe Venetijs, quò latiùs habeātur, in multorum gratiam ſalutis, ſummiq́ue gloriam donatoris; qui hunc electum ſuum tot repleuit chariſmatibus, vt ad nos omnes largifluè dimanent. Porrò inter cęteros, qui ſuperſunt, eius tractatus, mihi ſummæ videtur neceſsitatis præſens de interna oratione libellus: quò illi inſtruātur, qui non ſolo volunt eſſe nomine Chriſtiani: vt addiſcant quæ ſit propria verè pij actio, nempè vt oret & adoret Patrem, non voce tantùm, purisq́; & nudis ritibus, ſed pòtius ex cordis fundo, in ſpiritu, ac veritate. Et quidem certè videbūt omnes quicunq; eorum volent intellectum fidei ſubmittere, non aliam eſſe creatori placendi

viam

viam, atque rationem, quàm vt in oratione ſeſe humilient, atque deijciant: in qua nimirùm omnis addiſcitur fuga erroris atq; ſuperſtitionis: rectaq; in cœlum apprehēditur perueniendi via. Ita vt, qui ſe quicquam poſſe ſine oratione arbitrentur, omninò à recta aberrent Chriſtiana ſemita, quę omnem ſuam collocat in ſummo patre fiduciam: quippe qui mera ex benignitate, atque clementia, non neceſsitate adactus, aut obligatione, vniuerſa elargitur. Qua in re mirabiliter verè pius, ita diuinam reueretur gratiam, vt nec quicquam operari renuat, quod ſummæ agnoſcat acceptum eſſe maieſtati: immò orando ambo vnit extrema, quæ ſæpe ignarum confundit vulgus: liberam nempè electionem, cum infallibili & æterna Dei prouidentia. Orando etenim fatetur non ex ſe poſſe, ſed cælitus auxilium expectare: neque verò proprio abſque conamine, internoque animi ardore: quod orationis eſt proprium: viuidum nēpè & flammans deſiderium, cælitus deſcendens, eoque rurſum ſe ſubrigens, vnde deſcendit. Vt non aliud reperias opus, vbi noſtra magis ſeſe exerat, exerceatque facultas,

tas, quàm in oratione. Ex hac nimirùm Chriſtianus fit potens, diuinam qui legem adimpleat; quam aliàs per ſe, nedum non impleret; ſed immò cò fieret magis tranſgreſſor, quò ſe arbitraretur ſuis viribus, abſque ſuperno auxilio poſſe, quæ in lege cóprehenditur, iuſtitiam obtinere. Oratio eſt, quæ hominem conſcendere facit ad ſupermundana, in cœloque cum Angelis cóuerſari, demumque infinitæ coniungi maieſtati, & modo quodam ineffabili deificari, & tanquam Deum operari. qui enim in ſpiritu orat & veritate non à ſeipſo mouetur, neque à propria voluntate, ſed ab inhabitãte in eo, Spiritu ſancto. Vis & efficacia Chriſtianæ orationis non in arte ſita eſt, & eloquentia: non in ſyllogiſmis & ratiocinationibus; ſed vt tantùm in ſancto petatur nomine, cui omne genu flectitur: in quo ſperni non poteſt quiſquam, qui oret in interiori homine, in viuam & fructuoſam renatus fidem: vbi cor operi concordat; & qui abſconditus eſt homo, cum eo qui foris paret. Quî poterit ille abijci, qui in æterni orat nomine filij, in quo ſummus ſibi in ſempiternum complacet pater? Quî po

terit

terit ille abijci, qui modum obſcurabit à cæleſti nobis præſcriptum magiſtro? quem ſanè implet, quicunque in interiori animæ fundo, diuino ſuccenſus amore, orare non deſinit: neque firmum & conſtans interrũpit deſiderium; quod ſolo interrumpitur peccato; tametſi in incipientibus nonnunquam elabatur, effundaturque memoria in res volubiles & caducas. Diſtinguit itaq; oratio verè Chriſtifidelem, ab hypocrita, & ſuperſtitioſo; quòd ille ex fundo orat cordis, omnemque ſuam collocat fiduciam in cõditore: hypocrita verò voce tenus, & actu tantùm externo; ſuperſtitioſus verò in quopiam præſidit præter Deum, ritusque ac modos à ſancta inſtitutos eccleſia. Verè Chriſtifidelis aduerſa temporaria non formidat: prout ſunt peſtis, fames, bellum: niſi quatenus culpæ cauſa ſunt, vel effectio: & vniuersè, ſemper culpam magis horret, quàm pœnam. contrà, qui cæci ſunt amatores mundi. Verè ſectator doctrinæ ſummi præceptoris, diuinum ſemper humano bonum præponit; commune priuato; æternum temporario. contrà, qui alia incedũt via. Quoties igitur humanam ſentis vacil-

lare in fide rationem, ad orationem accurre in cordis humilitate; omnem tuam ſubmittens ijs intellectionem, quæ ſpiritus loquitur eccleſiæ. Videbis nimirùm, quicquid tibi prius videbatur abſonũ, iure meritò videri quammaximè conſeutaneum, præcellentiſsimumq́;: quemadmodũ Crucis ignominia infidelibus fuit ſtultitia: electis autem æternæ triumphus eſt gloriæ. Si prægrauari te ſentis à maligni inſidijs, ac ferè non vidêris poſſe reſiſtere ob tuarum infirmitatem virium; accurre ad brachiũ infinitæ poteſtatis: aduerſarijq́; ſtatim euaneſcent. Claret itaq; orationẽ eſſe, qua omne propellitur malum; omne promouetur bonum, omniſque virtute prædita actio; tùm quòd orando impetratur, tum etiam quòd actio in creatorem referatur: qua in re perficitur meritum nobiliſsimæ Chriſtiani hominis operationis; vbi in altum ſuſtollitur ſupra naturæ ſtatum; eoque conſcendit vbi mentes conquieſcunt beatorũ. Hinc fit, vt mens ita ſubleuata certò ferè præfidat ſe è numero eſſe electorum; fidenterq́; cum Paulo clamet; quia ſpiritus ipſe reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſumus

filij Dei. Vt nihil ſit quicquam, in quo pr{ę}cellentiùs nobilitemur, q̃ in oratione: ĩ quia fiducialiter æternum Dominum, Patrem compellamus, edocti à coæterno eius filio in ſpirituſancto. Ex quibus conficiamus, nihil quicquam facere debere Chriſtianum ſine oratione: verùm ĩ omni initio, medio, ac fine ſemper oráre. Quod ſanè excellenter adeò docet prælectus hic ſpiritus in ſequenti Opuſculo, vt neminem arbitrer eſſe ſanæ mentis, qui non etiam atque etiam ſitiat legere, ac relegere fructuoſum hũc librum, ſpreta vanitate librorum curioſorũ. ibi enim latent mortiferi, ſub fucato melle, cibi: hic verò fructus carpuntur vitæ, in æternæ Verbo ſapientiæ. Cæterùm ſi miſeri mundanæ mentis homines id minimè multi faciunt; eſt, quòd eorum fleamus errorem. Vos ſaltem electæ Regis gloriæ ſponſæ, minimè cunctanter agetis, nedum legendo volumini, vbi recta edocetur ſpiritus oratio: ſed etiam operi mandãdis, quę hic habentur, præceptionibus. Et quanquam hac in arte pleræque veſtrum, experientia duce, ſitis magiſtræ; non tamen ſu peruacaneum fuerit hoc muneris; quàm

immò, quò magis agnoſcitur, eò maiori habetur in pretio. Neq; verò ſpes me habet, ingentis fore me expertē fructus; arbitror enim veſtris me orationibus eò præſentiùs in oculis diuinæ reſpectū iri maieſtatis, quò longiùs ab ea meis me ſubduxeram ipſe iniquitatibus. Dominus det vobis ſuam pacē. In cœnobio Charitatis Venetiarum. prid. Kal. Maij. An. ſal. M D XLI.

Veſter indignus eccleſiaſtes.

FERVENTISS.

VERBI DEI PRAECONIS, VIRIQ'VE SANCTISS.

D. SERAPHINI FIRMANI Can. Reg. Later. de interna oratione: qua'ue acquiri ratione poſſit, tractatulus abſolutiſs., ac planè diuinus.

Auctoris ad pium lectorem Epiſtola.

VNDE ſit, ô lector mi, quòd tanta ſit hodie diuinorum chariſmatũ penuria; cùm tamen ille idem gratiarum donator Deus non minus hodie, quàm aliàs, ad donandũ promptum ſeſe offerat, exhibeatq́; ? Lon-

ga mihi eſſet ineunda dubitatio ; niſi planè viderem defeciſſe penitus orationis viam ; vnicum quippè diſponendi animas noſtras medium, ad diuina recipienda chariſmata ; quorum nunquam fuit Deus auarus , ſi nos ritè ſuerimus affecti. Moſes ille adeò celebris , non alio armorum genere tot retulit victorias , quàm oratione : cuius vi ab omnibus illi paritum fuit creaturis. Et poſteaquàm in Aegypto cœlo imperauerat & terræ, mari & elementis, hominibus , & animantibus ; parum illi videbatur effeciſſe, niſi ipſi quoque obſtitiſſet Deo ; illius ferè vltricem conſtringens manum, quò minus in idololatrantem deſæuiret populum . Vnde licet agnoſcere , nihil eſſe, quod orando impetrari non poſsit; quãdo ab ipſa vult Deuſmet ipſe oratione compelli. Induxi itaque in animum compẽdio ſcribere , quanam ratione doctrina hæc facilè poſsit addiſci; ne tanti ob ignorationem , ſimus fructus expertes . Cui ſanè operi ſi te vis dicare, ſuauiorem non inuenies laborem, copioſius'ue pręmium . Ego verò vberiùs exultabo , breuis huiuſce meæ tibi offerens notitiam , quàm ſi curioſis grãdia onerarem vo

lumina

lumina ſcientijs. Quare rogatum te velim, ne minorem velis adhibere diligentiã ad ea quæ ſunt neceſſaria, quàm alij ad inutilia & ſuperuacanea; ſaltemque horulam in die huic impendas exercitio, quod iure meritò totam tuam exigeret ætatem. Ita enim & Deo eris gratus, & proximo tuo in exemplum, tibique ipſi longè fructuoſiſsimus. Vale.

Defectum ductorum ad viam internam ſupplebit libellus iſte. Cap. I.

MVLTOS inuenire eſt hac tempeſtate Chriſtianæ perfectionis cupidos, in qua ſola veræ poſsidentur virtutes, hæreditasque acquiritur cęlorum: paucißimi tamen ad perfectionem pertingunt, quòd maior pars in itinere deficiunt. quemadmodum ex vniuerſa Hębreorum multitudine duo tantummodò in terram ingreſsi ſunt promiſſionis, cæteris in ſquallenti heremo ſepultis. Quod cùm in figura illis contigerit, ſcriptum autem ſit ad correptionem noſtrã, teſte Paulo; terrorem nobis incutit eò vehementiorem, quò experientia teſte didici-

mus noſtris locum habere tẽporibus, quando vti multi viam ingrediuntur ſpiritus, ita pauci admodũ perſeuerant, & ꝓſequũtur.

Huius ego rei potiſsimã crediderim eſſe rationem, ducum defectum. Hoc enim adeò periculoſum eſt iter, totque latrocinãtium dęmonum circũſeſſum turmis, vt nõ modici res fuerit laboris, vel optimo pręeunte duce, illud tutò pertranſire; cùm ſimus nos præterea, cum natura, tum conſuetudine perperam affecti. Iam verò qui ſint hodie, qui paupercularum dicuntur ductores animarum, ſilentio pertranſeo; cùm vel nimis agnoſcantur: neq; verò aptiores effingi poſſent ſuæ ſimul, ac aliorũ perditioni; quò locum habeat id quod in Euangelio habetur. Cæci ſunt, & cæcorũ duces; vt ambos ruere neceſſe ſit in foueam peccati.

Nequaquam tamen in animum inducere debemus, fieri poſſe, vt Chriſtus minimè ſuis ſtet promiſsis, vbi ait: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad cõſummationẽ ſeculi: aut neglecturum illum ſalutem noſtram, pro qua vel propriũ effudit ſanguinem, ſeipſum potius impendẽs,

quàm

quàm vt ſuum periculo gregem exponeret; queádmodũ ipſemet ait: Ego sũ paſtor bonus: & animã meã pono pro ouibus meis. Cùm itaq; deficiant duces, credere par eſt, velle eũ alijs nos medijs educere: ſuppleturumque ipſum quatenus deficiũt homines: cùm via ſit, veritas & vita. Vt nedum animum deſpondere non debeamus; ſed & ſpem ingeminare, in pijſsima omnino eius brachia nos reſignantes. Neque verò id facientes poterimus vnquam rectà aberrare: cùm ipſe ſit nobis via; neque inter deſerta oberrabimus, cùm veritas ſit ipſe infallibilis; neque præ cibi inopia deficiemus, cùm ipſe vita ſit & robur noſtrum; prout ſuauiter nos inuitat: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati æſtis peccatorum ſarcina: & ego reficiam vos. Tollite iugũ meum ſuper vos. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

Legimus in Euangelio commiſertũ fuiſſe Dominnm turbis, cùm videret illas vexatas & iacentes; ſicut oues non habentes paſtorem. Ita compati eum atbitror hoc in tempore ſuo ita neglecto, & male à paſtoribus habenti gregi: adeoque illi eſſe cõpla

citum in ijs qui fideles ſunt zelatores, quẽadmodum contra lupos indignatur. Quod ego animo retractans, doloreq́; tactus intrinſecus ſuper communi tepore; ſcribere in animum induxi ſimplicioribus hominibus tractatulum, qui ipſis vice ſit ductoris; à pleriſque colligens ſanctorum rationem inchoandi, proſequendi, ad finemq́ue nobile hoc internum opus perducẽdi; vt abſq; alio præceptore poſsint à ſe ipſis deſideratũ peruenire diuinæ transformationis ad finẽ.

Omnia ſpiritalis vitæ media ad internam rediguntur continuã orationem: quæ quomodo poſsit eſſe cõtinua, explicatur. Cap. 2.

OMNIA ſpiritalis viæ media, quãquã ſint varia, ad omnipotentem reducuntur orationem: quam ita libet nominare, quòd illi nihil ſit impoſsibile; iuxtà id quod promiſit ſeruator noſter. Neque verò aliunde cætera ſpiritus exercitia ſunt vtilia, niſi ꝙ ad perfectam nos prouehunt orationem: prout ſunt ieiunia, vigiliæ, & corporis aſperitates; ita & paupertas, caſtitas, obedien

ria:

tia; quæ icircò adeò cōmendantur, quòd auferant impedimenta orandi, importunas nempè agitationes, mentem noſtram diuexantes, non ſecus ac procelloſi turbines. Vnde conſequitur, ſi prædicta omnia media, & maiora etiam poſsideremus; ad orationem autem internam minimè peruenire mus; nō aliàs incaſsùm fore omnia, quàm ſi poſt multas curationes, corpus, eodem, quo priùs, morbo laboraret.

Nunquam igitur obliuiſci oportet finem præcipuum, quò omne dirigitur ſtudium, mentis nempè vnitionem; ne id nobis obijciatur, quòd ijs reſpondit Chriſtus, qui regnum quærebant cælorum. Regnum, inquit, Dei intra vos eſt; ac ſi diceret, quid in externis q̄ritis modis, ac ritibus, quod internè poteſtis nācisci, ſi ad fundū mētis vr̄ę, vnde receſsiſtis reuertemini? Ita & nos vniuerſis dicere poſſumus ſpiritus viatoribus; ne fruſtra laborem inſumatis, in externis tm̄modo actionibs ſpem veſtrā collocātes: ſi etenim ad vos ipſos redieritis, omni cor veſtrū diligentia cuſtodiētes, vt iugiter Deo hæreat, vniaturque, citò inuenietis, quod quæritis. Non itaque dixit Dominus noſter:

ſter; oportet ſemper ieiunare, aut diſciplinis ſeſe conficere: ſed, ſemper oportet orare, & non deficere.

Hoc porrò multi audientes, multa cõnãtur abſoluere priuata Officia & oratiões: nunquamq; non incedunt permurmurantes: ſępeque derelinquunt, quò propriæ obſequantur voluntati, charitatis opera: fiuntque indignabundi; niſique propria eorum de more, quotidie abſoluerint Officia, amaritudine corripiuntur; ac ſi graue piaculum admiſerint. Non tamen mentem gerunt ijs, quæ enuntiant, intentam: ſed arida tantum labra mouent, cor ſinentes in varias quasq; cogitationes otioſè elabi. Hęc ſanè potius appellanda eſt mentis diſtractio atque diuiſio; quàm oratio: & ô vtinã plus non afferret incommodi, quàm vtilitatis. Tantum enim abeſt vt Deo ſit grata, quin & illi quammaximè diſpliceat, vt & in Euãgelio habetur: vbi docens Chriſtus diſcipulos orare, dixit: Orantes autem nolite multum loqui, ſicut ethnici faciunt: putant .n. quòd in multiloquio ſuo exaudiantur. ſcit enim pater veſter quid opus ſit vobis, ante quàm petatis eum.

Quæ

Quæ autem vera ſit oratio, ipſemet oſtẽdit, q̃n ad Samaritiden ait mulierem; Spiritus eſt Deus; & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Hoc porrò aliud non eſt, quàm flammigerum animæ deſiderium; de quo propheta; Deſiderium pauperũ exaudiuit Dominus. Ita cùm oraret Moſes in ſilentio, ait ad eũ Dominus. Quid clamas ad me? Ex quo inferre poſſumus, quemadmodum noſtrũ Deus audit deſiderium, tametſi voce non exprimatur: ita et importunos ſtrepitus, & cantus, & permurmuramenta affectus expertia non audit, immò auerſatur, & reijcit: vt in Eſaia loquitur; Cùm multiplicaueritis preces, non exauditam.

Haudquaquam tamen hinc carpitur ſanctiſsimus eccleſiæ mos, quæ tot iam ſeculis iſtituit diuinas cani, & pſalli preces. Supponit enim pia mater, & voci concordare ſpiritum. Illud aũt conſtanter affirmamus; ſi curam omnem noſtram in puris tantùm cærimonijs adhibebimus, infrugiferè nos acturos, Phariſęisq; cõparatum iri. Et quidem certè, ſi hodie adeò mentis vacaremus vnitioni, quantum multis cantillationibus

&

& muſicis inſtrumentis; non in tanta age-remus rerum diuinarum ignoratione. Sed, vt plane cernunt oculi noſtri; pleraque hodie ſanctitas externè poſita eſt in apparētijs; adeoque ſuperuacaneis vacamus, vt obliuioni omnino mandentur ea quæ in primis forent neceſſaria.

Quærunt aliqui, quî fieri poſsit, vt in oratione ſemper perſiſtamus; cùm multis obnoxia ſit vita noſtra negotijs, & curis corporalibus, ſine quibus trāſigi nullo pacto pōt. Hanc dubitationē explicare non poterunt, qui in multis abſoluēdis priuatis eorū Officijs ſitam arbitrantur vim orationis: q̄nquidem ſæpe compellantur abrumpere ſuas, quas obmurmurant, preces.

Rn̄dēt quidā, eū qui ſemper bene operatur, ſemper orare; non.n. ceſſat orare, qui nō ceſſat bene agere. Ego verò nō admodū accipio hāc rn̄ſionem. Si enim hoc intēdiſſet Dn̄s, vtiq; dicere in prōptu illi fuiſſet: Oportet ſemper bene agere; queadmodū dixit; Oportet ſemper orare. Quo ſanè in loco de ipſa oratione loquit̄, nō de bonis vniuersè operibus. Vn̄ & exemplū affert īportunę illius viduę, quę iugi coegit moleſtia iniqui-

tatis

tatis iudicē, vt illi ius miniſtraret.

Dixerim itaq; ſi orationē accipis flāmigerū mentis in Deū affectū, nullo negocio intelliges, hoc minimè eſſe impoſsibile. Habemus .n. auari exemplū, qui ex intento rei deſiderio ſemper inde per urgetur vt recogitet: & comedat, bibat, nunquā nō eò cor ſuum reflectitur, vñ deſiderat. Ita & nos profectò, ſi tanta in Deum eſſemus charitate ſuccenſi, quàm deperit auarus pecuniam; ſemper in Deū tenderet cor noſtrum, moleſtaq; nobis eſſet alia quęuis cogitatio; & in omni actione noſtra Deum ſemper in corde gereremus; q̄ ꝓculdubiò iugis eſſet orō.

Theſaurus ſpiritualiū præceptionum, in quo omnes aliæ includuntur, mentalis eſt oratio. Cuius laudes & fructus enarrantur. Cap. 3.

TOT ſunt internæ vitæ documenta, vt expaueſcat aīus, diffidēs poſſe vniuerſa memoria cōplecti, nedū & executioni mādare: cūq; vniuerſa velit cōprehendere nihil aſſequit̄. Quare operæpretium eſt illi ſingulare documentū, in quo virtute omnia contineantur;

neantur; vt illi ſoli omnem poſsit operam impendere; queẽadmodum in ꝑtioſiſsimo gazophylacio omnifariæ opes includuntur. Hoc autem aliud non eſt, quàm virtuoſa, & nobilis oratio, vnicum propellendi medium à nobis omne vitium, omnemq́; complectendi virtutem.

Hæc illa eſt ſapientia, quæ ſuauiter noſtrum afficit ſpiritum; & quò ad Deũ, cùm doceat vti debeat honorari; & quò ad noſipſos, quòd ad ſpiritus nos prouehit puritatem; & quò ad proximum, quoniam nos ęquè reddit eius ſalutis ſolicitos atq; noſtrę.

Sancto hoc exercitio fides certificatur: quoniam ex attenta incarnationis, paſsioniſque Chriſti meditatione, mens experientia teſte trahi ſe ſentit in Deum; vbi cõquieſcit; itaque Chriſtum verum eſſe Deum cognoſcit, qui ſolus eſt finis noſtrę voluntatis. Pariter roboratur & ſpes, propterea quòd ex aſsidua cum Deo colloquutione oritur in anima familiaritas, quæ fiduciam parit: vti experientia videmus, eos qui mutua vtuntur conſuetudine, facilè inuicẽ præfidere. Ita & ſuccenditur charitas. Deo enim, qui ipſa eſt charitas, adhæreſcendo,

nec

neceſſe eſſe eò magis eius igne participemus, quò ſæpiùs ac feruentiùs ipſi orando intimè vnimur.

Non alia poteris ratione acquirere virtutes, quas dicimus cardinales. Fit enim orãdo mens prudens & ſagax, ſuperno illuſtrata lumine. Fit & iuſta, ius ſuum vnicuique tribuens; quin noſtra ſumma eſt iuſtitia, vt ſemper oremus, Deoque ſpiritum reddamus, quo ſumus præ cæteris animantibus ab illo inſigniti. Neq; verò alia melius ratione temperabimus à ſenſus delectationibus, quàm ſi internis ſæpe recreabimur oblectamentis; cùm longè præcellat incomparabiliter orationis ſuauitas omnem aliam delectationem. Non aliàs poſsidetur contra hoſtem noſtrum fortitudo, vti in victoria ſignificatur ab Amalecitis reportata, neque verò alio armorum ſubſidio, quàm Moyſi oratione. Humilitas, omnis fundamentum gratię, tunc acquiritur, cùm mẽs in Deum ſubleuata, ex eius claritate luminis palàm propriam contuetur deformitatem, ſeque ipſam ꝑſpicit præ omni alia indignisſimam creatura.

Et quoniam ſuperuacaneum foret infinitos

nitos colligere orationis fructus , hoc vnũ non omiſerim , quod ſolum ſufficeret omniqus ad hoc ſtudium excitandis, nos ſæpè abſque oratione ſemper extrouerſos , ſeu extra noſmeipſos futuros. Quandoquidem nos in Deo ſumus : neque verò nosipſos po terimus , niſi in Deo poſsidere . Deo verò non adhærebimus , niſi per orationẽ. Quẽadmodum de filio legimus prodigo, qui ad patrem ſuum redire deliberans,ſtatim in ſeipſum reuerſus eſt. Ita & anima per cæleſtis recordationem patris , ſibijpſi reuertitur , orandoque id acquirit , quod peccando amiſerat .

Difficultatum recitantur rationes in acquirenda oratione . contra quas pertinaci obnitendum propoſito; laborique non cedendum . Cap. 4.

DICERE conſueuerat Abbas Agatho, non reperiri laborem illi parem , qui in ora tione adhibetur . Vnde videmus omni in opere , quantũuis difficili, faciliùs homines perſeuerare . Sunt qui nihili pendant ieiunandi difficultatem , vigilandi , diſciplinis

ſeſe

ſeſe atterendi, in longinquas peregrinandi cum periculo regiones, effundendi in pauperes omnem eorum ſubſtantiam; qui continuæ orationis laborem ferre non poſſunt. Id verò eò eſt magis admiratione dignum, quò huic habemus operi Deum fautorem, adiutores Angelos & miniſtros, ſanctos in exemplum, ſcripturas verò cum ſacramentis in ſubſidium & fulcimentum.

Huius rei potiſsimam arbitror eſſe rationem, corruptam naturam, deorſumque procliuem, multiſque prægrauatam paſsionibus, ſeu animi ægritudinibus; quemadmodum difficile eſt graue pondus ſurſum agere. Cui & accedit aduerſarij impugnatio, varias procurantis diſtractiones, quò viam non inueniamus regni cœlorum.

Fit & talis difficultas ex naturali imaginationis noſtræ mobilitate, quæ ſemper huc illuc diuagatur, neque vnquam conquieſcit, vel in ſomnis, vt in confuſis cernere eſt ſō nijs. Ideoque virtutis abſque exercitio fieri non poteſt, vt alligetur rei vnius conſiderationi, præſertim vbi diuturna ex conſuetudine facta eſt inſolens; quemadmodum aſſuetus ſyluis leo difficilè manſueſcit, mul-

tipliciq; opus eſt arte, vt conceptam dere-linquat feritatem. Ita & mens noſtra ſi à principio aſſuefieret vnioni, haud tantum experiretur, prout facit, laborem.

Spernere tamen nos oportet laborẽ omnem, neque expaueſcere, quin immò animo aſſurgere: cùm non ignoremus Deum gratis ſæpe in articulo temporis concedere, quod multorum non acquireret induſtria annorum. Porrò ſi huius volumus compotes rei fieri, iamprimùm forti & pertinaci opus eſt propoſito, vt velimus in interno hoc exercitio eſſe immutabiles, etſi omnia nobis obluctarentur, aduerſumque nos inſurgerent. Eorum exemplo, qui aduerſo nauigant rapidiſsimo amne; qui vi remorũ curſui obnituntur aquæ, parumperque exuperant: & ſi quando euincuntur, non animos deſpondent, quin immò alacriùs obnituntur, vt euincant. Ita debent & propoſita noſtra frequenter renouari & adaugeri, & tum verò alacriùs vrgeri, vbi periculum experimur præſentius: quoniam, vt eſt in prouerbio, Labor omnia vincit improbus.

Nos videmus in terrenis occupationibus homines eſſe infatigabiles, neque verò vn-

quam

quam laſſeſcere, etſi vel multoties fruſtra laborent. Quare mercator mercaturā nō deſerit, tametſi aliquando dāno afficiatur: neque terram non colunt agricolæ, tametſi vel ſemine aliquando fraudentur: ſed imò & acriùs laborant, quò damna ſarciant. Ita & qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, & ab omnibus abſtinent: & tamen, vt optimè norunt, vnus tantùm accipit brauium.

Quantò nos æquius eſt in ſancto orationis ſtudio inceſſanter exerceri, quando in illo vt maior eſt labor, ita & maius præmiū: non quidem dubium, ſed certum: non vnius, ſed eorum omnium, qui fideliter in curſu perſeuerant? Vnde Doctorum eſt ſententia, animā ex ſingula interna in Deū motione, promereri vitam æternam, propterea quòd hic ſit præcellens charitatis actus. Si hoc attentè perpenderemus, nedū noſtrum non fathiſceret deſiderium; ſed & ad præmium reſpiciens ingens, nouo ſemper magis ac magis inardeſceret feruore: vti de Hilarione legimus.

Quoniam verò vnaquæq; ars initio eſt difficilis, in medio facilis, in fine delecta-

bilis; facilè ſuſtẽtatur initij labor futuræ ſpe iucunditatis, quàm afferet vbi fuerit acquiſita. Attamen vel in principio foret oratio ſuauis, vel ſaltem minus grauis, ſi ritè ac congrua eam ratione complecteremur. Vnde verò ſit quod multis videatẽ laborioſa, breuibus explicabo ſequenti in Capite.

Ratio ſuperandi difficultates, per ſimilitudinem conſenſus montis excelſi. Cap. 5.

COMPARATVR orationis exercitium excelſi conſcenſui montis, qui principiò ſcaber ſit & lubricus, paulatimque minus fiat difficilis, demumque in planitiem deſinat longè amœniſsimam, ac feraciſsimam. quò qui velit conſcendere, omnem operæpretiũ eſt ſarcinam abijciat, bonoque ſit animo, omnemque adhibeat induſtriã, gradatimq; procedat, à calce ad verticem vſque progrediens.

Sunt qui laſſeſcentes regrediuntur, ſemperque à capite incipiunt. Longè verò minus ſecundò idonei ſunt, quàm priùs: Ita vt via illis ſemper grauior videatur: tãdẽq;

illam

illam cenſent impoſsibilem, operiq́; renuntiant, longè maiori cum incōmodo, quàm ſi nunquam fuiſſent aggreſsi. Petro atteſtante; Melius erat illis non cognoſcere viã iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum cōuerti. Huic antidotus eſt veneno, vt nũquam pedem ſiſtamus, cadentesq́; mox ſurgamus, ibiq́ue incohemus, vbi intermiſſum fuerat iter.

Alij ad quemlibet occurſum retardãtur: ita verò facientes, peius ſemper experiũtur. Quemadmodum peregrinus, ſi ad cuiuslibet latratum canis perſiſtat, multum amittet temporis; neque verò ceſſabunt canes, quin & acriùs oblatrabunt. Ita & nos, ſi vnicuique velimus reſponſitare tentationi, noſtrum interrumpemus iter. Surdũ itaq; oportet agere, ac diſsimulare. Ita etenim ceſſabit à moleſtia Diabolus. Hoc agunt in periculo ſcrupuloſi, & qui à ſpiritu tentantur blasphemiæ: qui præ luminis defectu; diſcernere non norunt inter tentationẽ & aſſenſum; verùm vbi non oportuerat pertimeſcentes, inſtar equorum vmbrã exhorreſcentium, verè procidunt in puſillanimitatis ac deſperationis periculum.

Longè minus ad montẽ pertingent, qui multis ſeſe prægrauant oneribus, terrenis nempè occupationibus, infrugiferis fabulationibus, ſenſuum oblectamentis, lectionibus curioſis. Cùm etenim, vt præfati ſumus, vix huius ſit conſcenſus montis, eorum qui ſuperuacaneis omnibus ſe exuunt oneribus; quî illis concedetur, qui tot onera, & ſarcinas ſecuri amplectuntur?

Alia ex parte declinant, qui immoderato agi ſe ſinunt feruore; neque verò paſſus emetientes, ſaltim volunt incedere, volentes importunè gratiam præcurrere ſpiritusſancti, propriumque antecedere ductorẽ. Vnde largas faciunt copioſarum lachrymarum impenſas, ſuſpiriaque emittunt ardẽtiſsima: adeò vt expaueſcant, minimeque poſsint iter proſequi. quorum incommodũ ex indiſcretione proficiſcitur, mederique ei oportet obedientia, omnem propriam verendo ſententiam.

Aliud impedimentum, neque minoris periculi, eſt inconſtantia: qua fit vt ſæpe mutentur conſilia; cumq; plures ſint huic perueniendi monti ſemitæ, nunc hanc, nũc illam ingrediuntur, demumq; fruſtra elaborant:

borant: qui ſi in vna perſeuerarent via, citò peruenirent. Cæterùm ex inſtabilitate fiũt ſimiles plantis, quæ ſæpe translatæ, nõ poſſunt altè radices figere.

Quidam in itinere tandiu perſeuerant, quoad ſpirituali recreantur oblectamento: quo ſubtracto, laſſeſcunt, ſæpeque etiam quærulantur, ac ſi Deus ad ſuum eos famulatum, propria ex delectatione, & non vt filij eius Crucem ferrent, aduocaſſet. Hi ſanè voci obſurduerũt Chriſti dicẽtis; Qui vult venire poſt me, Crucem ſuam tollat: non quidem ſemel, ſed quotidie: & ſequatur me. Qui in oratione dulcedinem venatur, plenus eſt priuati amoris: veræq; minimè particeps fiet illius ſuauitatis, quæ ex perfecta oritur ſuijpſius contemptione.

Cæterùm prę cæteris illud eſt graue impedimentum, quando quis credit ſe iam perueniſſe, & cùm vix ſit in limine, ſecurè conquieſcit, ac ſi vlteriùs non detur acceſſus. Neque verò videt hoc in exercitio, vbi infiniti ſunt profectus gradus, illum demum progredi, qui ſe ſemper longiùs videt abeſſe, quoque magis appropinquat, eò ſe magis videt receſſiſſe: propterea quòd vnà

cum veru geſtu, creſcit & ipſa eſuries. Huic difficile eſt mederi morbo, quòd qui ſe nõ autumat ægrotum, minimè medicinam procurat, fitque omnino inſanabilis. Hoc sũt è numero tepidi omnes; qui gaudent ſanctitatis titulo; cumque viui habeantur, & videntes, teſte D. Io., cæci ſunt, miſeri ac miſerabiles: cumq; inſtar mẽbris fractorũ, humi iaceant, præſumunt alijs viam cõmõſtrare, quam ipſi nunquam ſunt experti.

Conficiamus itaque, hæc & id genus impedimẽta, in cauſa eſſe, vt via plana & ſuauis, fiat nobis ardua & difficilis. Vbi ſi ritè, ab omnibus expediti oneribus, ducem obedientiam fideliter inſequentes, viam incederemus diſcretionis; breui viuidam oculi noſtri ſolis illius lucẽ delectabiliter cõtemplarentur, quam ægri ferre non poſſunt oculi.

Iacto ſolido ac ſyncero propoſito, mens eſt meditatione frenanda, lectioneq; librorũ paucorum, ſed vtilium: qui hic enumerantur. Cap. 6.

SI hoc in exercitio cupis proficere, abſciſsis

ſciſsis prius, vt diximus, impedimentis, fortem induere patientiam, ſtatuens penitus malle mori, prius quàm operi cedere. Quẽadmodum qui velit in virentibus ac humidis lignis ignem ſuccendere, prius oportet multam ferat vim fumi, ſi velit clareſcentẽ videre flammam. Qua in re ſi pertæſus ſumi moleſtiam, abſcedit, primùm igne non potietur: deinde & inſumpti iacturam fecerit laboris. Longè peius illis eueniet, qui inceptum non perſequuntur orationis ſtudium; pręter enim tanti priuationem boni: quin immò omnis boni; præter inſumptũ fruſtra laborem, perpetuo erunt malignis ſpiritibus ludibrio.

Iacto, indiesque renouato firmo propoſito, iam certus es voti compotem te futurum, puritatis nempè internæ. Cùm etenim ſit Deus ad donandũ promptior, quàm nos ad petendum; quî deeſſe poterit ipſe ex ſui parte, ſi nos ex noſtri, per perfectã non deſimus deliberationem? Porrò ſi deſiderium gerens tu intentum ac ſtabile, ante quàm perfectioni pertingas, morte præueniaris; eodem non fraudaberis, eſſentiali quippè, præmio, ac ſi pertigiſſes: Deo potius

tius affectum, quàm vires penſante: neque adeò opus attendente, prout quanta fiat animi cum alacritate ſeu pietate.

Tunc intende frȩnandæ tuæ vagæ, ac indomitæ imaginationi: qua non ſtabilita, vana eſt omnis noſtra induſtria. Iã verò omnem oportet hic adhibere operam. noſtræ enim adeô variæ ſunt & leues cogitationes, in variaque aſſuetæ ferri abſque lege, vt, prȩter diuinam gratiã: quæ ſemper præſtò eſt: vel & noſtrum omne hic oporteat adhibere conatum: Deo ita iuſtè exigente, vt quemadmodum ex noſtris nos non ſaluat operibus; ita & nos damnet, niſi omnem adhibuerimus operam. Et quanquam neque qui plantat, neque qui rigat, quicquam ſit, teſte Apoſtolo; attamen vult Deus, vt & plantemus, & rigemus, ad hoc vt diuinum accedat incrementum.

Cogitatio fit abſque labore, ideoq; nullius eſt meriti, immò damnoſa, cùm enim in varias rapiatur imagines, ſecum attrahit affectum, & modò huic, modò illi rei inhæret, in eas omnes diuiſus partes, quò illum ferunt ſenſus. Hinc infinitæ oriuntur cupiditates anxietatis plenæ, vanæ ſpes, indigna-

dignationes, effrenatæ paſsiones: vnde mẽs noſtra furioſis nunquam non agitur tempeſtatibus, ſæpeq́; furijs obſidetur Tartareis. Porrò vt conquieſcat, aliud non habet remedij, quàm orationem: quæ Deo nos ad ducit. Vbi noſtra, quæ dicitur concupiſcibilis portio, bonũ offendit: quod verum eſt eius obiectum; ibiq́; ſatiata conquieſcit. Ita & iraſcibilis conticeſcit opus; cùm in Deo verſetur, præter omne cõtrarium, perfecta in fruitione. Rationalis porrò, primam dum contemplatur veritatem, iam nõ ampliùs, vt ſciat, elaborat.

Vbi cogitatio ſingulari addicta eſt rei, neque varias ferri ſe ſinit in motiones, fit meditatio: quæ internæ initium eſt diſciplinæ. Huc te oportet animũ præparare (multa enim opus eſt arte) aliquoq́; à terra ſubleuare ſuſtentaculo; quemadmodum videmus longa confectum corpus ægritudine ægrè pedibus ſuſtineri, opusque habere fulcimento. Huc conferent pij libelli, in quibus mens, ſi attentè conſiderat, demoratur ijs tantummodo ruminandis, quæ ſcripta offendit.

Hinc oportet paucis ſed optimis delectere

tere libris; ſæpe enim multa ita diſtrahit mẽtem lectio, vti & ſi euagari ſinatur. Attende autem, legens ne quæras curioſas diſputationes, ſed flammigeras deuotiones; neque multa excurras folia, ſed perpende, ac rumina verbum vnumquodque. Vna etenim præceptio ritè perpenſa, operique mãcipata, magis confert, quàm multæ ac multæ leuiter percurſæ. Quinimò quemadmodum multi cibi in ventrem intruſi, prauos gignunt humores; ita & multa in animã ingeſta ſcientia, peſtiferam adducit ſuperbiã, niſi igne concoquatur charitatis. Nequaquam Deo grati erimus, quòd quid ſit cognoſcamus: melius enim à Lucifero, quàm ab omnibus ſimul Theologis cognoſcitur: ſed ſi quidem eum amauerimus, obedientesque illi erimus: quemadmodum & nobis gratus non eſt curioſus rerum noſtrarũ ſcrutator, ſed fidelis amicus officioſusque.

Prę omnibus fructuoſis codicibus probo Io. Caſsiani Opuſcula: vnde maximam ſe hauſiſſe profitentur vtilitatem Diui Thomas & Dominicus. Probo & ſpiritalia Io. Gerſonis opera: non loquor hic libellũ illũ, de Mundi Contemptu: non eſt enim eius,

ſed Thomæ à Chempis Canonici Regularis. Ardens inſuper & luminoſus eſt Doctor, D. Bonauentura, præſertim in Opuſculis: vnde maxima pro parte deſumptum eſt Speculum Crucis, verè vtiliſsimum. Ne ſpernas etiam doctrinas humiles, prout sũt, D. Senenſis Catharinæ Dialogi. Profuerint & valdè ſubleuandę menti Sanctorum vitæ, qui viua fuere perfectionis exemplaria. Quoniam verò duo inuenire eſt piorũ librorum genera: nonnulli magis intendũt excitandis lacrymis, ſpiritualibusque delectationibus: alij magis vacant extirpandis paſsionibus, virtutibusque inſerendis: illi ſunt dulciores, fructuoſiores iſti. Ne legas itaq; alteros ſine alteris; ne vel fias nimis delicatus, vel nimis auſterus. Cenſuerim ego R. F. Baptiſtę Cremenſis Opera, vtrunque in ſe habere. Vbi ſanè quod proficias inuenies, ſi legendo cenſor eſſe nolueris, ſed diſcipulus.

Si legenti tibi occurrit quippiam notabile, ne progredere, ſed conſiſte, & morare meditans, quoad licet: & vbi amplius non detur morari, lectioni redi; itaque perge, iam legens, iam meditans, retinẽdo in mẽ-

tis

tis alueolo quicquam ſpiritalis cibi, vnde ĩter cæteras occupationes enutriare, neque deficias. Plus enim eget anima iugi nutrimento, quàm corpus. Verùm quoniam prę omnibus eſt neceſſaria meditatio, quãdo per eam mens vnitur vaga, operæpretiũ eſt, vt de ea fuſiùs agamus.

Quomodo acquirenda meditatio, & de cauſa eius difficultatis: & in Deo ſperandum. Cap. 7.

INItium eſt meditatio vitæ in meliora cõmutandæ. Viam etenim aperit ſuijpſius cognitioni, externaque à diuiſione ad internam adducit vnionem. Vbi incipit anima diſcernere inter pretioſum & vile: mũdique addiſcit contemptũ, & vt omne Deo conuertat deſiderium.

Si te huic ſtatuis addicere ſtudio: exequare oportet nõ minori cum diligentia, quàm graui faceres in terreno negotio. Hoc humanè loquendo dixerim. Longè etenim ampliùs æquũ eſſet ſaluti intendi internæ, qam tranſitorijs mundi curis. Deus autem, qui diues eſt in miſericordia: ſi ſaltem ęqualem

nos

nos videbit curam adhibere; noſtræ compatitur infirmitati; certoq; certiùs ſuum nobis non denegabit auxilium.

Velim igitur horam in die vnam eſſe tuã: in qua omni alia ſecluſa cogitatione, ab omnibus ſepoſitus, cum anima tua confabulaturus reſideas. Et quoniam dominam in te geris voluntatem, quæ omni imperat potentiæ; aduocet itaque intellectum, iniungatque vt quicquam meditetur fructuoſi, neque huc illuc inſtabiliter diuagetur.

Ne mirere, ſi hoc aggredientem opus, circũſidet te tumultuantium nebula cogitationum. Hæc etenim eſt peccati merces, totam deordinantis animæ noſtræ rempublicam, quæ prius ita erat conſtituta, vt cõſuleret, & offerret verum ratio, auxiliatricem habens prudentiam & ſcientiam: prõptè acceptabat voluntas, ſociasque habebat ſimul morales virtutes: exequebatur de in ſenſus, virtuoſeque operabatur. Peccãdo autem cæcutijt ratio, infirmata eſt voluntas, proditor factus eſt ſenſus, qui portàs adaperit Diabolo: & ita iuſtè, Deo rebellantes perpetuum in nobiſmet ipſis bellum experimur.

Sentio

Sentio aliam legem, clamabat Apoſtolus, in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati: hancque ingemiſcens miſeriam, inferebat. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? è quibus verbis animo cadere, ſpemque abijcere quis potuiſſet, niſi ſubintuliſſet: Graria Dei, per Iesvm Christvm. Ita mi lector, ſi difficultatem ſentis hoc in opere, hac te ipſum ſpe ſolare, fore, vt quod minus tuę po terunt vires, Chriſti ſuppleat gratia. Et quemadmodum iactatis tempeſtate diſcipu lis tunc affuit, tranquillitatemque adduxit magnam, cùm ferè deſperationi mergebãtur: ita & tibi victoriam donabit, cùm vires tuas teſte experientia certiſsimè agnoueris vel inſufficientiſsimas.

Ita, nedum eſt quòd deſperes præ viriũ debilitate, & impugnatione tum conſuetu dinis, tum inimici; ſed & ſpe debes increſcere; quando hæc fit victoria non tuis ex viribus, ſed diuina benignitate. cui amplius longè eſſet præſidendum, quàm ſi in no ſtra id ſitum eſſet facultate: Deo incomparabiliter, præ nobis, nos amante.

Mortis

tione, vtiliſsima eſt mortis meditatio: cum quòd omnem abrumpit inordinatum ſenſus affectum: tum etiam quòd eſt facilior, qñ & oculis cerni poſsit, & manibus palpari: quin dicere poſſumus nos ſemper in nobiſmet ipſis mortem circunferre, nunquãq; non mori, cùm corpus habeamus corruptioni obnoxium, quodq; nunquam non mutatur, & nunquam in eodem permanet ſtatu: inſtar fluminis cuius eandem non potes partem oſtendere, quoniam dum oſtendis, iam non eſt eadem.

Sunt qui mortis fugiant memoriam, ne fiant triſtes. hoc verò cum fugiãt, nunquã non amplius contriſtantur. Quibus optimè fuerit conſultum, vt vel amplecterẽtur: quoniam quò magis frequentatur, eò maiorem inducit fiduciam: temperatq; & ꝓpellit timorem ac triſtitiam. Hoc autẽ eſt rationi conſentaneum, quandoquidem vitioſas refrẹnat affectiones, ſenſumque mortificat, ne rationi rebellet. Vnde deſideriũ proficiſcitur alterius vitæ, quò virtuoſis anima ſe præparat operibus; ſicque ſuaui inducit Dei guſtui.

Hinc credo Paulũ ampliori mortis de-

ſiderio captã, quàm alij vitę: pficiſcebaturq; Agatha ad martyrium, tanquam ad epulas inuitata, glorianter & lætiſsimè. Porrò ſi huiuſcemodi initio dura & horribilis eſt recordatio; non ideò eſt fugienda. Ita enim ſi faceret auarus, nunquam pecunias compararet. Mors quò videtur initio difficilior, eò maiorem affert demum iucunditatem, fitq; indiès ſuauior.

Si quis deliberatè vellet non mori, omnino à Chriſto abeſſet. Ea.n. non eſſet præditus charitate, quæ inuiſibilia frui deſiderat futuræ vitæ bona. Careret & ſpe, quæ ad futura extenditur. Vacuus eſſet & fidei, quoniam ſi alterius crederet vitæ bona, non vellet hic ſemper morari. Vnde eorum eſt vox huiuſcemodi: Quid teneam in præſenti noui: futura non ſum expertus. Certæ igitur in ſtatu agunt damnationis.

Multa poſſunt circa mortem conſiderari, quæ interim meditanti occurrunt: tamen volens quædam colligere, aio: Si vitam vis mutare, perſuadeas tibi quantum potes, mane cùm ſurgis è ſtrato, nouiſsimam eſſe illam tibi diem: itaque do-

mui tuæ intra teipſum diſpone, ac ſi verè eſſet nouiſsima. Neque verò hæc erit deceptio, quin immò aliàs ſi credideris, falli quidem poteris. Si enim poteſt in dies te mors aggredi, tuum eſt, vt & illam indies præſtolere. Ego verò tibi affirmo, non illum poteris non negligenter diem trãſigere, niſi adnitare in mentem vt inducas, illum tibi eſſe extremum.

Recogita itaque mortis tempus, quod cùm ſit incertum, nunquam non debes expectare: vti dictum eſt. Cauſam recogita, quæ ſexcentis poteſt eſſe ex locis, intus ac extra: ita vt nulla nõ poſsis in re expreſsè illam contueri. Recogita modum: qua in re profuerit admodum, adeſſe cuipiam morienti, extremosque illos cõetmplari caſus: vbi laſſum corpus iacet derelictum: langui da, vice marmoris grauia, vix mouentur mẽbra: ſupremæ exudant partes, extremæ frigeſiunt: viuidũ ĩmutat facies colorẽ ĩ pallorẽ: caua ſtillant lumina: ſpumat os: craſſeſcit lingua: anhelat guttur; anhelũ quaſſãt pectus: liueſcũt labra: nigreſcũt dẽtes. Breuiter, reſolutũ corpus vniuerſũ, amariſsmo cũ ſuſpirio, ab aĩa d'relictũ, ex hoĩe fit viliſsimũ

Iam copioſa tibi aderit materies, vt hoc tibijpſi accommodes ſpectaculum; comminiſcens, de ſalute tua deſperaſſe medicos, circunſidereq; lecto & affines & amicos: quorum è præſentia magis torquebere. O quàm erit illa diſceſsio amara. Iam ſolari te non poterunt opes, ſed pœnam augebũt: honores nil proderunt, ſed ita inuitus eos derelinques, quemadmodum illis immodicè afficiebaris: præteritis è delectationibus nihil aliud, quàm oblatrantem referes conſcientiam.

Iam verò quid hic ages? quî habebit anima tua? egredi è corpore erit intolerabile, manere impoſsibile, procraſtinari nõ dabitur, recurrere non poterit ad priſtina ſenſuum oblectamenta, iam inſenſilium: ſibi verò ipſi reddita, propriam horreſcet præ timore deformitatem: ſeq; ipſam, ſi fieri poſſet, vellet effugere: horrendis ſe circunſeptam videbit monſtris, ſuis nempè peccatis, quos nunquam non patietur perſequutores: momentum videt fuiſſe præteritum, ſine fine futurum. Tum verò cũ propheta dicere poteris: Circũdederũt me dolores mortis, & pericula infetni inuenerũt me.

Ita mortem recogitando, multos conſequêris fructus: primùm Deum timere cogêris, quod initium eſt ſapientiæ; dehinc & ſedulò ages, ne te adoriatur īcautum: propriam etiam agnoſcere te faciet miſeriam, cuius in agnitione vti extinguitur ſuperbia, ita & humilitas fundatur, omnis cuſtos virtutis: facilè & à te abſcedèt inordinatus rerum terrenarum affectus: mortis enim recordatione cognoſces nihil tuum eſſe, quod tecum non poſsis auferre. Summa, hoc pſequendo exercitium, timor in amorem conuertitur: morsq́; adeò tibi nō videbitur ex pœna & priuatione vitę corporalis horribilis, quãtum alia ex parte frugifera, & delectabilis, quòd tantis finem imponat miſerijs, pérenniq́; det initium vitæ: neq; verò poteris contriſtari, cùm compertum habeas, deficiente corpore in ſepulcro, beari animã in cœlo, viua cum ſpe vitam reſurgendi ad immortalem.

Meditatio extremi iudicij, pœnarũq; gehennalium. Cap. 9.

Cvm animus noſter in rei occurſum

horribilis totus in ſeipſum colligatur, omnemq́; interim aliam abijciat cogitationem; ideo longè vtiliſsimi fuerit exercitij, præſertim conuerſionis initio, huiuſcemodi in argumentis exerceri. hac enim ratione mens vaga, tum ex timore, tũ ex ſtupore diſtractionem vitat, interneq́; ſtabilitur.

Si mors, vt diximus, retractata, vim habet varias vniendi cogitationes, multò magis quod mortem conſequitur, extremum nempè iudicium, & pœnæ Tartareæ. Quæ ſi ſæpe recogitabis, fiet tibi quod ait ſapiẽs: Memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis.

Non ab re dicebat Hieronymus: Si comedo, vel bibo, vel quid aliud ago, ſemper mihi videtur auribus meis inſonare vox illa terribilis: Surgite mortui, venite ad iudicium. Quod quàm futurum ſit horribile, non eſt, quòd verbis tentemus aperire. quicquid enim eſt terribilis, illius comparatione nihil eſt. Multa Deus oſtendit in terris iudicia, vt fuit vniuerſi ſubmerſio per aquas diluuij, Sodomorũ incenſio per ignẽ, Aegypti plaga multiplex, terræ hiatus ĩ deſerto. quæ omnia ſimul compoſita, eius cõ-

paratione

paratione quod in nouiſsimo die præſtolamur, habent ſe, vt vmbra ad veritatem.

Si per hanc vis cõſiderationem tibi reddi ipſi; cõcipe primũ, quàm fieri poteſt, iudicantis Chriſti conditionem: cuius non aliud præſeferet aſpectus, quàm vindictam; vt in priore eius aduentu aliud non preſetulit, quàm manſuetudinem. A quo, quippe ſapientiſsimo, non dabitur appellatio: cũq; ſit potentiſsimus, euitari non poterit: cũq; ſit Deus ſcientiarum, deliteſcere minimè fas erit, vel cauſari: cumq; infinitè odiat peccatũ, vel minima nõ manebit culpa indiſcuſſa.

Tunc tibi de tot erit reddẽda rõ cãis, vt vel vnaqueq; ſufficeret te pturbare. Iã quis tot poterit facere ſatis, q̃ exigentur, rõnibus? quî tẽpus inſumpſiſti? quî corpus gubernaſti? quî moderatus ſenſus omnes? quî cor cuſtodiſti? quî diuinis rñdiſti inſpirationibus? quî tot gratus extitiſti beneficijs? Quaſanè in accuſatiõe tot erunt teſtes, quot creaturę: q̃ tunc ita oẽs cõturbabunt, vt, ſi fieri poſſet, vel ĩmortales prę timore morerent.

Magnus erit tremor ardentẽ conſpicere mundũ, ruẽtia ędificia, trementẽ terrã, cõturbari elemẽta, Solẽ obſcurari, & Lunã, &

ſtellas,mori viuentem omnem creaturam, ſepulcra aperiri,audiri tubam extremã canentem, parari thronum,contremiſcere populos,aperiri conſcientias,horrendos videre cachodęmonas, ſuccenſamque inferni fornacem. Sed præ omnibus erit importabile,ſignum in aere conſpicere Crucis, cũ vniuerſis paſsionis inſignijs,audireq; iudicẽ tantam inimicis ſuis improperantem tragędiam: quibus longè minus eſſet intolerabilis gehenna,quàm audire,ab ipſo ſe perpetuo anathemąte feriri atque maledici.

Si huiuſcemodi meditatiõe non à te effugient otioſi cogitatus (tametſi verè lethargicus ſit ille ſopor,qui huiuſcemodi nõ excitatur ſtimulis) non tamen expaueſce, quin quantò difficilius experiris, eò acriùs ădnitere vt proſequaris. Vide num poſsis quicquam guſtare pœnas gehennæ. Qua in re duo ſe offerunt,immanitas nempè & perpetuitas,vnaquęque per ſe ſufficiens, quæ vel adamantinum cor permoueat. Qui verò ex vtroque ſimul non commouetur, mortuus eſt, hiſque fidem non habet, quæ noſtra annuntiauit fides.

Tametſi gehennæ non poſsit immanitas

neq;

nec; mente concipi, neq; verbis exprimi; id tamen tantillum, quod tecum ipſe poteris capere, potens erit vt tuas vniat affectiones, quæ noſtra in præſenti eſt principalis intentio. Statue igitur tibi primò ob oculos pœnarum vniuerſitatem: quandoquidem in inferno captiuus eſt intellectus, vt non niſi cruciabilia meditetur: voluntas nō niſi malum velle poterit; reminiſci tantùm mala poterit memoria, & etiam tranſacta recogitans bona, pœnam tantùm hauriet & dolorem. Ibi oculi non niſi horribilia contēplabuntur monſtra: reſonabunt aures non niſi ſtridoribus, & querelis: quid aliud palpabit tactus, quàm ignem & glaciem & ſerpētes? guſtus quid ibi aliud inueniet cibi niſi pœnam? quid olfaciet odoratus, in ſentina poſitus, vbi omnes mundi eluuies adunabantur? imaginatio vnde niſi malo opplebitꝰ, quando illi quicquid horrebit mali ſtatim aderit, longè auolabit mox quicquid vellet refrigerij?

Acerbiſsimi ſunt ij cruciatus: ſed acerba nō minus erit reproborum ſocietas, vermis qui nō moritur, obſcuriſsima nox perpetua, & ſuper omnia damni dolor, nempè diuinæ

priua-

priuationis abſque ſpe vnquam illum recuperandi. quod eò pœnam ſuperat ſenſus, quò diuinę priuatio pulchritudinis omnem excedit inferni deformitatem. Cui ſi addes meditationi perpetuitatem, vti'ue miſeris illis, ſi ad quamlibet maris Oceani ſtillulam, poſt mille annos, milleſima eorũ cruciatuum imminueretur portiuncula, magnę eſſet conſolationi, poſt immenſa adeò temporum ſpatia finem ſperare; totus introuertêris, terroris plenus & ſtuporis.

Hic ſi perſeueras, breui alium mutaberis in hominem. Animus enim tuus tali ex meditatione, ad contemptum compelletur mundi, peccati fugam, pœnarum horrorem, virtutis amorem. Et quanquam initio horreas, lętanter feras; nam in medio commiſcebitur timori amor, demumq; totus abſcedet timor: quemadmodum nox obſcura paulatim claram cõuertiť in diem.

Meditatio paradiſi. Cap. 16.

SI nimiã prę pœnarũ meditatione aĩus tuus induceretur in triſtitiã; in prõptu eſt remediũ, vt illũ trãſferas ad iucũda meditãda cœlorũ p̃mij argumenta; vt poſsis huius ſuauitate illius tẽperare amaritudinę. Vbi ſiſtere

ſiſtere iuuabit mentẽ, facilẻ ita lętos, vti aduerſos feres caſus; inſtar viatoris, qui ex cõtinua patrię recordatione, nullibi cõquieſcit, ſed q̃cũq; occurrũt obliuioni mãdat, & poſt ſe relinquit. ¶ Hoc retardari nõ debemus à ſtudio, ꝙ nr̃ę ꝑſtringat aciẽ mẽtis glorię excẽllẽtia, minusq́; à nobis apprehẽdat̃, q̃ dãnatorũ ſupplicia; queẽadmodũ Deus copioſius remunerat, q̃ puniat: ĩmo vel alacriùs debemus cõtẽdere, quò ẽ illuſtrior, gaudẽtes q̄d ab eius vincamur claritate, eoq́; ſimus deſtinati, ad poſſeſsionẽ boni ĩcõprehẽſibilis, q̄d cũ ſit infinitũ, nullũ vnq̃ poterit ſui adducere faſtidiũ. Quòd pauci bonũ illud multipẽdant, nõ aliũde fit, q̃ ex ignoratiõe. nõ. n. poſſet ñ cõcupiſci, ſi agnoſceret̃. Vide, quãti ſingulari afficiant̃ mũdi huiusbono, vel opũ, vł voluptatũ, vel honorũ? ſi oĩa ſimul haberẽt̃ ardẽtiori ꝓuocarent q̄ppe deſiderio: multò maiori ſi nũq̃ finirent̃. Si vis igit̃ amore patrię capi, certũ hẽas, q̄cq̄d hic amari p̃t eius cõparatiõe viliſsimũ cẽſeri lutũ. ¶ Quãta ẽ illa felicitas, cui' vel imagine pleriq́; hoĩum d̄cipiũtur, cui' vel milleſimã Petr' ꝑtẽ ñ d̄guſtarat ĩ aſpectu trãsfigurati ĩ mõte Xp̃i, eoq́; vel modico adeò ẽ ſuccẽſus, vt p̃ d̄ſiderio ex (cedẽs, vellet ibi ꝑpetuò eſſe?

iam quid feciſſet, ſi vniuerſam eius Chriſtus illi palàm aperuiſſet claritatem? Enimuerò non potuiſſet, arbitror, anima cohiberi corporeis clauſtris, ſed auolaſſet, ſeq; in diuinā immerſiſſet abyſſum.

Ibi quicquid, noſtrum perfectè, opus eſt, vt conquieſcat deſiderium, largè habetur: oīs procul abeſt miſeria: ibi vita ſine morte: gaudiū ſine mœrore: abſq; laſsitudine quies: felicitas ſine timore: amor ſine pœna. Summa, bonum omne, malum nullum. Locus ibi amplus, lucidus, pulcher, ſecurus: ſocietas grata, optima, excellens: perpetuū tempus, iam non mane diſtinctum & veſpere, ſed in ſimplici permanenti æternitate. Diſcurrunt ibi Angeli, miniſtrant Archangeli, triumphant Principatus, iubilant Poteſtates, imperant Dominationes, fulgent Virtutes, coruſcant Throni, lucent Cherubim, ardent Seraphim.

Verùm ante omnia permouere te debet gaudium, quod ex amore oritur nimio, inter Sanctos intercedente; & ab vno in aliū mirabiliter redundat. Vbi qui in gloria sūt æquales, videntes ſe inuicem vt amant redamari, gloriam reduplicant, ita aliena, vt &

propria

propria gaudentes felicitate. Ita & ſuperiores ab inferioribus ſe amari videntes, am pliûs verò hi ab illis, & maiori etiam quam ipſi poſsint, ſe charitate complecti, gaudia ingeminant; cumq; ſint innumerabiles, innumera dici poſſunt perſentire gaudia.

Ad hæc vti Virgo ſuperexcelſa omnes in gloria ſuperexcedit creaturas, ita & maior abſque proportione ex amore in illam oritur lætitia, quam in alios omnes. Longè & amplius ĩ Chriſto homine, in quo ſuper omnem creaturam ſe omnes conſpiciunt amari Sancti.

Grandia & copioſa ſunt hæc gaudia: ſed eius comparatione, quod ab amore fit in diuinitatem ſpirante, nihil poſſunt dici. omnis enim nihil eſt, collata creatori creatura. Sed hinc temerarium foret loqui, quando non alia eſt nobis hinc cognitio, quàm cæci ad colorem. Porrò ſi hæc minimè licuit Paulo loqui, cùm fuiſſet cõtemplatus; quãtò minus nobis, q minimè ſumus cõtẽplati.

Hoc vnum dicere poſſumus, felicitatem eſſe, ſupra quàm imaginari poſsimus, perfectam: vbi nihil non deſiderabile aderit: Vbi oculus, præter ſolis pulchritudinem multò

clarius

clariùs & pręcellentiùs renouati, nunq̄ non pñtem habebit Chriſti humanitatē & Virginis, corporaq́; glorificata, luminoſa, ĩpaſsibilia, ſubtilia, agillima: auris nullo nō tp̄e nouos & delectabiles hauriet ſonos, & diuinę cantica laudis: exatiabit̄ odoratus, nō q̄dē vt nunc vaporibus, ſed odoribus ſupra oēm ęſtimationē ſuauiſsimis. Idē dico de guſtu, nō ex vitali indigētia, ſed ad p̄fectā delectationē incredibilibus replebit̄ ſaporibus: ſenſus interior eò excellētiora offendet obiecta, quò nobiliorē in formā inſtaurabit̄. Sed excellentiùs in primā abſorbebitur ĩtellectus veritatē; vbi omni bono, voluntate ſuccenſa, exatiabit̄ citra faſtidiū, deſiderabitque ſine anxietate ¶ Hęc cōſideratio licet ſit ĩfirma, citraq́; cōparationē à vero diſtās, multiplices tñ tibi pariet bonos effectus: hacq́; rōne terrenis aſſuefacta mēs voluptatibus, illas horrere incipiet, veri allecta boni deſiderio, ingemiſcetq́; quòd ob peccatū tādiu exul facta ſit, dulcisq́; erit illi oĩs pugna ob tāti expectationē p̄mij.

Alij meditādi modi, d̄q́; iaculatorijs orōnib⁹ deq́; p̄ſeuerādo ēt ĩ ariditate. Cap. xj.

Anima

Anima nr̃a ob peccatũ ſacta iſtabilis & īquieta, multũ ſentit laborẽ, ſi velit ſibijpſi ſe recipere: ita diuino ꝑmittẽte iudicio. Vt quẽadmodũ ꝓpria ex voluntate ſeipsã eſt egreſſa, ñ poſsit ẽt volens, abſq; difficultate, ſupernoq; auxilio, ſibi ſeipsã recipere. Ideo opepretiũ eſt, veluti corpore lãgueſcẽti, varijs illi eſcis appetitũ ꝓuocare, quoad ex ſeipſa poſsit guſtũ recuperare, & à terrenarũ ſubleuari luto delectationũ.

Et quãquã nõnullos huiuſcemodi vnitio nis modos pſcripſerimus, & alios ꝓpono; nõ.n.oĩs omni cõgruit palato eſca; vt qſque qđ libuerit accipiat, ꝓpriã iuxta vocationẽ.

Scribit Gersõ huiuſcemodi modũ, quo qdã pfectã r̃cepit cordis ſui poſſeſsionẽ. Quo tidie.n.locũ ſeſe recipiẽs ĩ ſolitariũ, miſſaq; ſacta oĩ alia cogitatiõe, fingebat ſe vnũ ex ijs eẽ q eleemoſinas oſtiatĩ petũt: & vt huiuſce modi ẽ cõſuetudo, q̃ fieri poſſet, miſerabilio rẽ ſe facer̃ ↄnitebat̃. Qua ĩ re audacẽ facit ne ceſsitas & largã ſuggerit fãdi copiã. Et q dẽ ñ vnq̃ adeò nos imaginatiõe faciem' miſerabi les, q n & ampli' reuerà ſim': ſi aduertere velim', q̃ diuinarũ ſim' inopes grãrũ, q̃ defectuũ pleni, q̃ inordinatis agitati paſsionibus.

Hac

Hac ratione,ſpiritaliter iſte mēdicus, omnium implorabat intercesſiones Sanctorũ, nunc huic, nunc illi lamentabili voce côuerſus,beatorumq́; intercurrens agmina, eorũ humiliter implorabat auxilium,vt ſuæ eorũ copia ſubuenirent inopiæ: compellabat Apoſtolos: obteſtabatur Martyres: ſupplicabat Confeſſoribus: proclamabat ad Virgines: qua ratione breui viam inuenit mentalis orationis,ſingularis ſalutis noſtræ pſidij.

Alia eſt & vtiliſsima ratio,vt quotidiè ſolitarium ingrediamur cubiculum,nosq́; ipſos examinemus; quemadmodũ ſua diſcutit mercator negotia. Ita quidam faciebat, qui mente ſua colligens quicquid ex peccato hauritur damni,ſapienter ſeipſum inducebat vt illud audiret,& attēderet: amorēq; recogitans,quo Chriſtus nos complectitur, ſuam agnoſcebat ingratitudinem. Ita breuiter mundi recogitabat fallaciam, temporis exiguitatem,vicinitatem mortis, inferni periculum: hacq; rõne infructuoſas cohibebat cogitationes, ſæpeque bona iterans propoſita,melioris fiebat frugis.

Sæpe fit,vt infirmitas vel tribulatio quæpiam nos intrò compellat, orareq́; edoceat

pene-

penetrantibus aculeis, ſopitam excitans mentem: vti de prodigo habemus filio, quē proſpera excæcauit fortuna, vt à proprio recederet patre: fortaſſeq; nunquam redijſſet, niſi aduerſa intellectum reddidiſſet fortuna. Qua in re cernere eſt plerorumq; inſipiētiam, autumātium aduerſitatē ſummam eſſe miſeriam. Si igitur tribularis, diſce patienter ferre, gratiasq; age creatori, quòd viam inueneris te introrſum conuertendi: orationeq; ad eū cōfuge: ortaſſeq; qd initio tribulatione compellêris, guſtata demum orationis vtilitate libens proſequêris.

Commendauit admodum Cancellarius Pariſienſis eam, quæ pro mortuis in Purgatorio agentibus funditur, orationem: quoniam cùm ſint in gratia, nūquam poteſt eſſe fruſtra: quodq; extrema agunt in neceſſitate, neq; à nobis videntur, maiori digni ſunt pietate, maiorisq; nobis afferunt cauſā meriti, ob noſtram fidem: cumq; eis opem feramus, qui ſibi ipſis opitulari nō poſſunt, compenſabimur ab eis, vt pro nobis id impetrent, cui minimè pares nos ſumus. Qua in re quanta ſit charitatis vis palàm ſit, quæ aliena ex inopia diteſcit, maioriq; preſſa pō-

dere ſit leuior & expeditor.

Quoniam verò noſtra difficilè mens ſtabilitur, opus habet nedum ſemel in die, ſed ſæpiſsimè coerceri, quoaduſq; iugo aſſueſiat. Ideò multum cōferunt, quæ dicuntur orationes iaculatioriæ: quæ in modum iaculorum in cęlum conijciuntur. Hæ porrò ſunt breuiſsimæ, debentq; eſſe frequentiſsimæ, omnibus immiſtæ noſtris actionibus, omni loco & tēpore. Vti enim vita corporis abſq; continua ſpiritus attractione cō ſeruari non poteſt: ita ni mens noſtra ſæpe ſuo aſpiret conditori per internam affectionem, cogetur deficere ſpiritali in vita. Neq; verò eſt quòd elaborem his pręſcribēda formula orationibus: quoniã præter id quòd vniuerſæ ſacræ literæ, & Pſalmi præſertim his redundant precationibus, animus prætere a cupidus verba ex ſe ſuggeret flāmantia, iuxta quòd opus erit: agente illum ſpiritu, vt ait Apoſtolus: qui interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Si omnibus hiſce, alijsq; rationibus intro uertere ſe non poſſet animus tuus à ſuperfluis cogitationibus; non omittas tamen quin in oratione permaneas, ſuſpirijs ianuã pulſans

pulſans cęli, ingemiſcenſq́; quòd cor nõ geras tenerum contritumq́; in diuino cõſpectu. Tutius enim ſæpe eſt, multorum pugnam ferre cogitatuum orationis tempore te circunſidentium, quàm dulci lacrymarũ cum profluuio ſpiritualibus paſci delectationibus. Nunquam verò ab oratione infructuoſus abſcedes: ſi enim non aliud, quàm oculis Chriſtum Cruci affixum intuerere, fructum referes obedientiæ: vti in euangelio præcipitur, vt clauſo cubiculi tui oſtio patrem tuũ roges, honorem primùm eius, dehinc & tuam petens neceſsitatem.

Meditatio Chriſti hominis, eiuſq́; myſteriorũ vſq; ad deſerti ingreſſum. Cap. 12.

Cvm creatura omnis condita ſit, vt in ea mens noſtra ſuum cõtempletur creatorem; hucq́; faciant ſcripuræ omnes; infinita ſũt conſiderationis noſtræ argumenta: quibus cùm non ſufficiat vniuerſis vita noſtra, ea debes præeligere, quæ magis ad diuinum promoueant amoré: quo ſine vana eſt omnis cogitatio: prout vſuuenit philoſophis, qui quò magis curioſis redundauere

ſcientijs, eò longius à Deo receſſere. Porrò ſi velis breui in libro vniuerſa inuenire, nunquam nō ſtude Chriſto homini: verus qui eſt vitæ liber, intus & foris ſcriptus, viuidū ſitiētis omnis animæ exemplar.

Quoniam verò ratio huic inuigilandi libro à plerisq; tradita eſt pijs ac eruditis Patribus, nolo niſi compendio percurrere quod ſexcentis vix ſufficienter exprimi poſſet voluminibus, pio relinquens meditanti, quî hoc iugiter ſe exerceat in campo.

Quis autē dicere ſufficiat quot & quāti exoriantur fructus in huius ſacratiſſimi meditatione myſterij? Iā primùm extendere te potes ad diuini recogitationem cōſilij ſuper ſalute noſtra, per admirabilem adeò filij eius incarnationem procurata. Vbi infinitæ pelagus tibi ſe offert bonitatis. Dehinc & modum licet contemplari, vti mādet Deus Angelo Virginis ſalutationem: cuius in ſpecioſitate & humilitate & innocētia multū tibi ſe offeret vnde obſtupeſcas: vtiq; poſtea quàm diuinæ certior eſt facta voluntatis, Angelo conſentiēs, fuit, operante ſpiritu ſancto, facta Dei mater.

Quo in myſterio ſeſe offerunt cum ex

Ange-

Angelorum gaudio, tum ex humana redẽptione, multi gaudendi ſtimuli, filioq; benedicendi & matri ex imo cordis fundo.

Inde mox aderit materia meditandi, vti Virgo Deo plena iam ſterilem inuiſerit cognatam ſenem. Quo in congreſsu nedum matres, ſed & nondum nata exultauerunt pignora. Vbi & ortus cõcurrit Ioãnis, mirabiliaq; quæ ibi patrauit Deus opera, muti ſoluens linguam patris propheticũ in carmen, & diuinæ plenum laudis: gaudio replens ac timore vicinos omnes eorũ. Proximè ſuccedit regreſſus Virginis in domum ſuam: quo'ue fuerit dolore affecta ſui ob ſancti ſuſpicionem coniugis, qui voluit occultè eam dimittere, donec Angelus illi aſſuit, diuiniq; aperuit rationem myſterij. Vbi humilem poteris Virginis deprehẽdere patientiam, quæ propriam auſa non fuiſſet profiteri innocentiam, niſi eam Deus ipſe comprobaſſet.

Contemplare poſtmodũ vti terreni pręcepto Imperatoris in Betlehem ambo proficiſcuntur; quo in itinere cum ſuperueniret Virginei hora partus, in vilem ſeceſſere præ inopia, gregum caulam. Vbi exoriens

Dei filius,poſitus fuit in præſepio. Hic mul tis habebis ex partibus vbi cor tuum occupes; ſi compatientem attendas matrem, patientem tenellum filium,iubilãtes Angelos, concurrentes paſtores,inſolitam quæ apparuit lucem, aliaq;, quæ te inducet ſpritus ad meditandum.

Aſpice dein octaua die primò ſanguinẽ ſuũ in circuncisione ſundere incipientẽ, nõ vt ſuæipſius, ſed noſtrę mederetur plagæ. Qua in conſideratione non tantùm ſenties teneritudinem; ſed & immiſcens pias matris lacrymas cum innocente filij ſanguine, ardentes ſanabis luxuriæ ſtimulos, præcellẽtemq; obtinebis caſtitatis gemmam.

Non minùs erit copioſum Præſentationis myſterium,cùm ſenex accepit puerũ in vlnas Symeon: illumq; tenens theſaurum quo præclarius in terris aſpicere non poterat: longi factus cõpos ſui deſiderij: Nunc dimittis ſerunm tuum Domine, orauit, in pace. Vbi quantum exultauit gaudio, eò & vehementiorem Virgini amaritudinem inflixit; vbi propheticè animam ſuam,prædixit,doloris gladio tranſuerberatum iri; occultaq; pandens Dei iudicia, puerum dixit fore

ſore in ruinam & reſurrectionem multorũ.

Vide dein Magorum fidem, ſtella duce venientium vt adorarent: aliaque ex parte Herodis fraudem. A' quo fugiẽs cum puero mater, inde tibi manifeſtat hominum nequitiam, hinc Dei patientiam. Neq; verò pigeat collegiolum illud pauperculum aſſociare in eo quod pro te ſuſtinent exilio, quò in patriam te reſtituerent tuam: illi ſemper promittendo fidelitatẽ. Non minus enim promerebere pia illos aſſocians meditatione, ac ſi corpore comes affuiſſes.

Quid in Aegypto actitauerint ſcriptura non aperit; ſed à teipſo poteris multa circa eius infantiam meditari, quæ ad pietatẽ ꝓmouebunt. Ita in regreſſu, paſsim te illis addas ſocium: iam verò quicquam offeras in via ſolacij: iam de ipſo confer cum Virgine, & eo, qui putabatur, patre: iam dulciter confabulando, abblandiendoq; paruulo, roga, te ſuis annumeret electis. Qua in collocutione tuum cor molleſcet, eq; ſolis iuſtitiæ familiaritate, lumen concipiet, & feruorem.

Sic & cùm duodennis in templo à Virgineis ſe ſubtraxit oculis; & poſt doloris plenã

trium dierum inquiſitionem, in medio eſt inuentus Doctorum; ne pigeat vnà cum illis illum inquirere, ingemiſcereque quôd eius dulci frauderis præſentla. Si etenim fideliter eum quæſieris, dabitur tibi eius guſtare ſapientiam: cuius è claritate curioſá omnem aliam contemnes doctrinam.

Multi interceſſere anni vſque ad eius prędicationem: quibus, ſcriptum non eſt, quid ageret. Tu aũt tua in meditatione arbitrari non debes otioſè illum egiſſe: quin certũ habeas illum in ſalute tua nunquam nõ fuiſſe diſtrictum. Iam quis cogitare ſufficiat, quoties dies cum noctibus in oratione coniungeret? quot amaros cordis intimos dolores ex futura eius, lucidiſsimè præuiſa, paſſione ꝑſentiret? quoties ſuper peccato tuo, vti mater ſuper vnigenito, quem videt morientem, ingemiſceret? Quo.n. magis erat innocens, eò mundi oĩbus fuit prægrauatus flagitijs: quoq; homines ſimul, & Angelos omnes charitate antecellebat, eò maioribus voluit oppleri cruciatibus: quoq; magis volnntaria fuit eius perpeſsio, eò &, vt ĩfinitam eius patefaceret largitatem, diriorem eam aſſumpſit.

Medi-

Meditatio ab ingreſſu deſerti vſque ad paſsionem. Cap. 13.

Vbi aduenit tempus, quo ſe mundo oſtenderet, ad deſertum ſe contulit tuus Dominus. Vbi multa in corde tuo meditaberis: præſentem tibi ſtatuens illum matri valedicentem, mæſtum euntem & ſolum obſcuram in ſyluam, quadraginta dies ſimul ac noctes ieiunantem, tuum iugiter deplorantem peccatum, offerentem ſe patri vt vice tua ſuo ſatisfaciat in ſanguine, multifariā Diaboli attentationem, triūphantem eius victoriam, angelorum miniſterium. Et, ſi eius didiceris cōpati moleſtijs, eris & per ipſum, & cum ipſo peccati ſimul ac Diaboli victor.

Vide poſtmodum à ſeruo ſuo Baptiſta eū baptiſma recipientem: non quò ſuam abſtergeret maculam, cùm ab omni prorſus eſſet macula immunis: ſed vt aquis virtutem infunderet tuum abluēdi peccatum. Quo in myſterio multa tibi occurrunt eius diuinitatis teſtimōia. pater enim è cælo dilectū eius filium eum compellat, ſpirituſſanctus in ſpecie columbę ſuper eius caput deſcē-

dit

dit & manet. Ioannes proteſtatur hunc eſſe qui tollit peccata mundi. Vnde poteris ex vtriuſq; exemplo documentum haurire humilitatis, ſpem veniæ, amorem pœnitentiæ, deſideriumq; tuum colendi Deum, pro te hominem factum.

Longè amplior aperietur meditandi cãpus in ijs quæ ſequuntur: vti volens è mũdo deturbare tyrannum ſatanam, non ſapientes, non potentes, ſed pauperes ſocios delegit piſcatores: quibſcum diſcurrẽs, ſuæ ſpargebat ſemina doctrinæ: inauditisq; cõfirmabat verba prodigijs. Hic iam copioſa tibi aderit materia, immenſam erga te eius agnoſcendi charitatem: ob quam non labori pepercit aut cruciatui: eoq; ſe in ea vehemẽtiorem oſtendit, quò ab hominibus, in quorum gratiam ſalutis fideliter adeò deſudabat, aliud non reportauit remunerationis, quàm contradictiones, iniurias, infamias, pœnam & mortem. Vbi ſi attentè perpẽdas quãtus & qualis ſit iſte: quàm te fidelirer complectatur: quanta illi reſpõdeas ingratitudine: vndecũq; manebis ſtupore preſſus.

Dum contemplaris eius miracula, non diui-

diuinam tãtùm attende virtutem, quæ omni imperabat creaturę: ſed & orãdo ſatage huiuſcemódi in anima tua ſpiritaliter miracula compleri: prout ĩ illuminatione cęci à natiuitate, potes illi internam tuam offerre cæcitatem: quò verum elargiatur lumẽ, & te, & tuum agnoſcendi creatorem. Ita in paralytici liberatione; vt ab interna tua te liberet paralyſi. Sic et in dæmoniaco, dabitur, mentem tuam furioſis agitatam paſsionibus, agnoſcere: vnaq́; cum pijs poteris rogare ſororibus, vt à conſuetudinis ſepulchro nouam in conuerſionem, vti Lazaro fecit, te transformet.

Hic interna addiſcitur oratio, affectu magis fuſa, quàm verbis. Hoc autem iure facies: quando longè peior ſit animæ calamitas, quàm corporis: præſtiteritq́; à lãguoribus, & dæmonijs, & morte inuitos nos torqueri, quàm volentes in peccati miſerabiliter nosmetipſos tradere poſſeſsionẽ: quando nihil verè poteſt dici malum pręter peccatum.

Hac ratione ex vnaquaq; Chriſti actione & verbo viuam hauries doctrinam, tútũq́; ſubſidium. Verùm ſingulariter in vltima

eius

eius paſsione te ſenties permoueri: in qua totus ſe expandit eius amor in ſalutem noſtram. Si enim vel milleſimam eius doloris partem velles deguſtare, omni ſufficeret te extricare peccati labyrintho: ſaltem rogo velis compendiò pijſsima illa percurrere myſteria, quorum vnumquodq; totam noſtram exigeret induſtriam.

Aduoca igitur vniuerſas animæ tuæ vires, imperaq; vt miſſa omni alia facta cogitatione, huc tantùm ſe omnes colligant. Et ac ſi ſub oculis tuis omnes eius denuò verſarentur cruciatus: ita fixè contuere innocentem Dominum tuum à matre ſua, quam præ oculis ſuis diligebat, aperto prius maligno Iudæ conſilio, amariſsimo diſſeparari diuortio. Vbi cor tuum ſenties liquefieri, ſi attendas quo poſſet animo mater, talis inquam mater, eius dimittere filium, & talem filium, morti, & tali morti: quo'ue animo patientiſsimus filius geminam acciperet mortem, ſuæ primùm matri, deinde & propriæ valedicens vitæ.

Hinc vltima ſe offert cęna: vbi vide vti conſternatis pauore diſcipulis ſecretam aperit proditionem. Vide & Petrum, vnaq; alios

alios conteſtantes,ſe nunquam eum derelicturos: Ioannemq; præ dolore,ſuper pectus eius recumbentem,obdormire. Sed & miſerabilius eſt ſpectaculum,videre eum à cœna ſurgentem,inſtar mediaſtini linteo præcingi,pedibusq; Petri,omnino mœrore, & verecundia pleni,obuolui. Quem cùm penè inuitum abluiſſet, idem fecit & alijs. Et quanquam ſingillatim ab vnoquoque poſſis q̃cq̃ pulchri exẽpli colligere;ſi recogites vti pedibus ſe proſterneret ſui proditoris, illosq; ablueret pedes; pedes inquã iã iã ad eius necem velociſsimè accurſuros cogêre huius duritiam,illius contemplando humilitatem,pijs faciem tuam lacrymis abluere.

Non minorem reportabis deuotionem, & ſtuporem, ſi attendas proprio eum corpore & ſanguine,ſub ſpetie panis & vini,ꝓprios paſcentem diſcipulos. Vbi & amor eius intimus,& eius magnitudo poteſtatis tali ex nouitate miraculi,& fructus qui ex tali dignè percepta eſca percipitur,& horrendũ quod obſtinatos,qualis erat Iudas,inde manet iudicium,palàm animaduertuntur.

Audi dein pulcherrimum ſermonẽ, quẽ reuerſus ad menſam habuit, ſuos adhortãs

diſcipulos ad patientiam & charitatem, eius exemplo: demumq; cum lacrymis ad patrem conuerſus, vide vti ſuum gregem, qui mox erat abſq; paſtore manſurus, illi commendat, & offert, & benedicit. Qua in re non dicam homines, ſed & feræ, immò & ſaxa com paſsione mouerentur.

Ne deſeras cogitatione tua Dominum tuum pœnoſo eius in agone: interim cogjtans omnia tui illum gratia ſufferre. Vide vti viam arripit ad locum, vbi p̃parari ſibi non ignorabat inſidias: eoq; cùm perueniſſet; triſtis admodum, ter ad orationem confugit: cumq; ſe & a diſcipulis, & à patre cerneret derelictum; eoq; carne eſſet infirmior, quò ſpiritu promptior; factus eſt in agonia, in terrã procidens, ſanguineo totus perfuſus ſudore membra. Quo in ſpectaculo tuum fuerit illũ ſolari; quando omnes eum dereliquerunt; & ſi aliud non ſuppetit, ſalutem non nulla illum aſſociare lacrymula.

Contempla deinde, vti habito per Angelum paterno reſponſo, nõnihilq; cõſolatus, promptè ſe offert vti victimam ſacrificio: ad diſcipulosq; reuerſus, crudelibusq; inuaſus

ſus miniſtris, nedum ſe non defendit: ſed & arguit defendere volentes: donec facta illis ſuper ipſummet poteſtate, captus fuit, iniurijs affectus, ad domumque pertractus Principis ſacerdotum: vbi & magiſtri dolor, & diſcipulorum fuga, & matris amaritudo multæ te permouebunt compaſsioni.

Mitto tibi conſideranda, quæ ibi pertulit opprobria, lictorum inſultus & ſeruorũ, exultantem Phariſæorum & Scribarum lætitiam. Qua in meditatione tibi aufugiet diſtractio. Sed præ omnibus ſi contẽplere Petrum, timore victum, ſuum negantem magiſtrum, & deteſtantem & anathematizãtem quia non noui eum: & deinde reſpiciente eum Domino compunctum, ſuum amariſsimè flentem peccatum. cum quo poteris tu quoq; recordatione tactus earum, quas irrogaſti Domino, iniuriarum, dolore excitari pœnitentiæ.

Quam fuerit illi nox illa amara ſcribere non poſſum; ſed in illa à temetipſo multa offendes, vnde condoleas. Amplius verò, ſi ea attendas, quæ mane ſunt ſubſequuta, colliquefies: prout ſunt ad Annam inflicta alapa, ad Caypham accuſatio, mox & apud Pi

latum

latum,illuſio ante Herodem,publica ĩ popu lo diffamatio, crudelis flagellatio, & ſpineę coronæ inflictio, coram populo præſentatio, tumultuoſiq; clamores, crucifige,cruci fige,in agnum innocentem inclamantium.

Durus ſanè fueris,ſi huiuſcemodi ad obiecta ĩmobilis perſeueras: at ſi ijs, quę ſubſequũtur,non ingemiſcas, eris vel certè immaniſsimus. Quod cor non dirumperetur, vbi aduertat addictum ab iniquis hominibus morti Dei filium, inter duos latrones, laceris graue portantem humeris lignum, à lictoribus armatis ad patibulum conduci? quis erat eius aſpectus, qui ex lacrymis, & ſudoribus, & ſputis, & ſanguine, & liuoribus, nõ iã hominis videbatur, nedũ Dei hominis? quæ fuit matris exanimatio, tot inter cruciatus illum aſpicere, neq; verò opẽ ferre poſſe? quæ fuit tragedia, vbi nudus expoliatus,dura ſuper arbore manibus pedibusq; confixus, in altumq; ſubleuatus, à vi rigentium pendebat clauorum? Deſunt hic & verba, & cõceptiones: neq; verò alia melius poterat hic caſus ratione denotari: niſi vt & terra tremeret, & ſaxa ſcinderẽtur, & totũ pullo indueretur cœlum amictu, &

ctu, & Angeli pacis amarè flerent.

Meditatio Chriſti cruciatuum cũ externorum tum internorum: fructusq; admirandi inde naſcentes. Cap. 14.

Si hoc compungi deſideras in ſpectaculo; recogita primùm, omni ex conditione mortẽ Domini tui fuiſſe immodicæ grauitatis: tum quòd ab ijs in Crucem eſt actus, quibus prædicauerat, multaq; fecerat miracula; vnde iure poterat præmium expectare: tum quòd in ætate fuit ad patiendum aptiori, temporeq; celebriori, quando infiniti cõcurrebãt populi: locóq; in inſigniori, & ſupplicio magis dedecoroſo, ipſiq; magis inconuenienti, qui propheta habebatur & vir Dei: præter id ꝙ nobilis adeò erat habitudinis, vt acriùs eum vel leuis pũctiũcula penetraret, quàm vel grauis alium percuſsio.

Fuit etiam mẽbratim tortus, vt verè dici poſſet vir dolorum: diſcerpti fuere manus pedesque clauis: diſciſsum pectus: ceſſereq; omnes ſuis iuncturæ locis: afflictum fuit caput ſpinis: facies & barba vellicati-

bus : ſiti guttur : & totum flagellis corpus.

Corporis igitur grauis fuit dolor : ſed lō gè grauior, quem internè pertulit ex compaſsione : quod pauci perpēdunt : Sed noris creaturas ſimul omnes non id potuiſſe ferre, quod ipſe eſt perpeſſus : vti charitate omnes antecellebat. Et vt omittamus, qua cruciabatur pietate ob matrem ac diſcipulos ; de illis tantùm loquor, in quorum gratiam ſe früſtra videbat mori : quibus ex eorum ingratitudine nedum frugifera, ſed & ex occaſione maioris futura erat damnationis eius perpeſsio : quæ illi eò erat acerbior pœna, quò perſpiciebat paſsionem ſuam toti mundo eſſe vel ſuperabundantiſsimā.

His addas, non fuiſſe eius perpeſsionem diuiſam, vt partim pro vno, partim pro alio pateretur : ſed ita fuit vniuerſalis pro omnibus, vt & pro vnoquoq; ſingularis. Ita vt verè arbitrere, ita illum pro te tantùm paſſum, ac ſi pro alio minimè. Qua è cōſideratione propellêre, vt culpam fugias, quæ tāti fuit cauſa doloris : tantumq; in te exorietur humilitatis lumen, vt non ſolùm primū te arbitrere peccatorum, ſed vel vnicū peccatorem : cùm non aliud videas, quàm tuū,

peccatum.

peccatum: & quatenus in animum īduces tibi ſoli impenſum fuiſſe bonum infinitum, quod omne bonum continet, nempè Chriſti vitā; eatenus & tibi videbitur omne tibi ſoli vnitum eſſe peccatum, ac ſi in alio quā in te, & per te illud non eſſet inuenire.

Ne mirere, ſi immenſæ & infinitæ te prouoco humiliationi: hucenim te compellit infinitus diuinæ charitatis exceſſus, p Chriſtum Cruci affixum, cui ſi infinito non reſpondeas affectu, etis ſemper ingratitudinis notatus & teporis. Si enim ipſe nihil ſibi reſeruās, ſe totum tibi in prædam exhibuit; qui non debes tu quoq; totus in eius crucē trāsformari, vti Paulus, qui dicebat: Chriſto confixus ſum Cruci? Quin immò iure meritò teneris, nedum vniuerſis animæ tuæ viribus illi ſoli occupari, ſed & eius in gratiā præparari, vt omnia in mala deturbere, tàm æterna, quàm tēporalia: & ita infinito teipſum odio inſectari, vti æquum fuerat infinitè eum à te amari.

Vbi huc promptitudinis adueneris: quò iugi Chriſti cruci affixi contemplatione puenitur; tunc verè Deum amabis; & quoniam vera non reperitur niſi in illo charitas,

tas,teipſum etiam diliges,& proximum. Ita ſanctum te prouehet odium ſancto amori: vti amor tui ipſius vitioſus Dei te adducebat perditioni, tuiq; ipſius, & omnis boni.

Ecce, quantum tibi oritur luminis è tui actuum meditatione, & myſteriorum redemptoris. Ideoq; hortatum te uelim, vt tua eum ſemper aſſocies meditatione: & pſertim in cruce, vbi ex amore tui langueſcens,ad redamandum te prouocat. Aſpice illum,vti ſuccenſam fornacem,ſuis è plagis, vti ſpiraculis, flammas emittere amoroſi ignis. Audi eius verba, inde reſonātia, omnem apta quæ vel ſurdam frangant aurem. Vbi ait; Pater ignoſce: roga & tu, tuorum veniam peccatorum. Vbi ingemiſcit ſe derelictum: pollicere tu, nunquam illum derelicturum. Vbi fideli latroni Paradiſum elargitur: confide & tu, tantæ exēplo largitatis. Ora illum cum Ioāne, vt matri cōmenderis ſuæ: eiusq; extrema in ſiti,ne pigeat ſaltē tui offerre lacrymas cordis: eiuſq; demum in manus ſpiritum tuū reſigna; vti ipſe moriens patri fecit ſuo.

Hac referes ratione compunctionis fructum: quem vbi guſtaueris, & ampliori te

diſponet

diſponet affectui. Ideò meditans ſocium te præbe illis, qui ad Crucem perſtiterunt: vnaq; cum illis diſce ingemiſcere. Opem fer illis, qui lacerum deponunt corpus in mæſtiſsimæ gremium matris: iuuet eius audire lamentationes ſuper filio, ſuperq; peccantium crudelitate, nunquam nõ eius renouantium vulnera: quorum in numero teipſum aſcribe. Manũ porrige illis, qui ad ſepulcrum illum ferunt: lacrymisque eius riga vulnera: non minus gratum obſequiũ, quàm ſi pretioſo vngeres vnguento: neq; verò illi valedicas, niſi prius cor tuum illius hæredem relinquas ſepulturæ.

Non tibi hic deerit ruminandum, nunc Virginem conſolando, nunc Petri audiendo lamenta & diſcipulorum, nunc cum pijs parando vnguenta mulieribus, nunc cogitatione ſæpe eius inuiſendo vulnera, iam noua exultãdo, quæ Patribus in Limbo apparuit, luce, ob Chriſti animæ præſentiam: donec cum triumpho rediuiuus reſurgens, cœlum letificat & terras, multosq; cõſolatur dies diſcipulos ſuos, demumq; illis aſpicientibus in cœlum reuertitur, & aliquanto pòſt in ſpecie ignis ſpiritum mittit ſan-

ctum,eq; hominibus Dei facit filios.

Non abrè volens te edocere mentis introuerſionẽ, & in fundo cordis tui orationem, varia percurri Chriſti myſteria. Non enim inuenies fructuoſius argumentum, in quo mens tua efficaciam ſentiat maiorẽ contra omnem diuiſionem, quàm ſit iſtud. Neq; enim alia in terras deſcendit Dei filius ratione,eaq; operatus eſt myſteria,quàm vt per hęc mentem tuam ſpectra diuinę attraheret vnitioni. Vti enim vnitum carni Verbum Dei operabatur in terris: ita & p illud anima tua primùm ex fide, deinde & reipsà Deo vnitur.

Non quærendus hîc guſtus, ſed Chriſto aſsimilandum interne externeq; derelicto: hinc enim omnes addiſcũtur virtutes C. 15

Svnt multi,qui cùm diu ita mentẽ exercuerint, non quicquam tamen ferè profecere: ſed eadem ſemper replicantes meditationem ratione,ferè formulam inducunt; nudaq; oblectantur hiſtoria, in illa ſatagẽtes cuipiam moueri internæ dulcedini: qua obtenta, perſuaſum habent vltimum ſe aſ-

ſe-

ſequutos fructum ex huiuſcemodi myſterijs: & niſi optata fruātur ſuauitate, mǫrēt, importuneq́; contendunt nonnihil inde extorquere ſpiritualis oblectationis.

Iam quid mirum ſi tepidi permanent? Vnde etenim par erat eos perfectum ſuijpſorum addiſcere odium, inde clàm priuatū ſorunt amorem, in ſuauitate ſibi placentes: quæ quanquam ſit interna, ab eis tamē priuatæ quæritur conſolationis gratia. Neq; verò hic aduertunt gulæ ſe obnoxios, cùm gaudeant internè ſemper paſci: peccant & ſpiritaliter in auaritia, cùm eius ſint tenaces, quod eorum non eſt opus neceſsitati. Sunt & infideles, cùm minimè vtantur medio internæ dulcedinis, vt perfectam indipiſcātur ſuiipſorum mortificationem; ſed in ea perſiſtentes: Vbi quantum medio afficiuntur, eò & magis fine fraudantur.

Ideò oportet in Crucis ſtudio non venari delectationem, immò horrere. Admodū enim dedecet ibi velle melle paſci, vbi myrrha & felle Chriſtus eſt potatus. Si igitur vis breui multum proficere, primùm cum Chriſto paciſcaris volo, nolle te vnquam ab ipſo guſtum aut ſuauitatem, inſuper & om-

nem recuſare viſionem, prophetiam, raptũ miracula. Hoc porrò ſi à ratione tibi alienũ videtur, vererisq; ne Dei obſiſtas gratię, accipe reſponſionem. Recuſare enim ex humilitate munera, Deo non poteſt diſplicere: neq; ex tali abſcedet ſpiritusſãctus obſiſtentia, ſed & vberioris te reddet capacẽ gratię.

Si igitur fructuosè vis Crucem meditari, adnitere vt Crucifixo aſsimileris: q tunc fuit omni nudus interna & externa conſolatione. nõ etenim fuit, vt cæteri Martyres, inter externos cruciatus internè conſolatus, immò quemadmodum ſupra omnem menſurã corpus doloribus, ſpiritus agonijs fuit prægrauatus; ita & omni fuit priuatus terræ celiq; ſolatio: ideò in ſe omnes colligẽs dolores, vt omni poſſet opem ferre dolore laborãti. Vnde coactus fuit id dicere, quòd noſter minimè poteſt capere intellectus: quia proprius eum dereliquerat pater.

Hoc tuã intereſt exemplum ꝓ virili omnino imitari: nõn quidem opere dixerim: abſq; etenim ſuſtentaculo diuini numinis vel minima quauis in tentatione ſuccumberes: ſed affectu; qui tunc erit perfectus, vbi deficiente robore magis inualeſcet, in-

firmaq;

firmaq; in carne erit abſq; menſura & infinitus, cum ardentiſsima eius opprobriorũ ſiti, quæ omnes arbitrari debes delitias: vt eò tibi pretioſior ſit crucifixus, quò tui in gratiam ſe fecit viliorem.

Si firma cum attentione Cruci perſiſtis, virtutes addiſces omnes longè præſtãtiùs, quàm ſi vniuerſas memoriter teneres ſcripturas. Et quanquam omnibus in Chriſti actionibus inuenire ſit vnde edoceamur; in Cruce tamen eius eò illuſtriùs omnis refulget gratia, quò in ea extremum adhibuit eius charitas conatum. Non enim vnam tantùm virtutem, ſed omnes ſimul in ea collegit, vnamquanq; verò ſummo in gradu, ſupra omnem humanã æſtimationem: vti nonnulla poterimus ſubijcere exempla.

Primùm veram inde diſce iuſtitiam, imitando quod ipſe fecit, dum patri vniuerſum reddidit honorem, & obedientiam ad mortem vſq;: propriæq; vitæ ſalutẽ antepoſuit proximi: iuſtũ eſſe cõprobans, ne impunitum maneat peccatum, illud in ſeipſo vlciſci. Vbi & veram agnoſcere eſt prudentiam, in deligendo meliore conſilio, ſapientibuſq; mundi fallendis, ſimul ac Diabolo vete-

ra-

ratore. Neq; etenim vnquam vidère fuit prudentiam hac maiorē, quæ à pleriſq; ſũma reputatur ſtultitia: quando cœlo nos reuehit, vnde deſideriũ ſciendi, bonumq; agnoſcendi & malum, nos deturbarat. Altera, quæ dicitur fortitudo, virtus, qualis eſſe debeat, in Cruce agnoſces: vbi addiſcitur, vt nulla debeamus tribulatione malo cedere: quin potius omnem ferre pœnam, quàm vel leue admittere peccatum. Perfectam taceo à vitioſis delectationibus temperantiam: quam tunc poſsidebis, cùm exẽplo Chriſti, omnem tuum morti addixeris, crucifixeriſq; ſenſum.

Si diuinam virtutem, fidem, cupis obtinere, teſtimonium attende fuſi in Cruce ſanguinis: vbi veritatis certior fies, quàm ex omni ſcriptura & miraculis. Maius etenim extitit miraculum mori in Cruce Dei filium, q̃ omnia ſimul miracula. Ita eadẽ inquam ratione ſpem acquires. Si etenim qs pro te in Cruce moritur, attendas, denuo reſurges è deſperationis abyſſo, veram in fiduciam. Neq; verò maius inuenies diuinæ charitatis incentiuum, quàm ſi recogites qualem tibi Deus in Crucifixo eius filio oſten-

oſtendit charitatem.

Opera miſericordiæ in Cruce edoceris. Vnde ſua nos Chriſtus fame paſcit: ſiti refrigerat: vbi factus eſt nudus, vt nos veſtiret: peregrinus, vt nos ſuſciperet: vbi langueſcens, nos ſanat: ſuo nos carcere ſoluit: poſtque mortẽ in ſinu nos ſepelit paradiſi.

Spiritaliter etiam, cùm ſimus dubij, optimè conſulit vt Cruci accurramus ſuæ: docet ignaros: ſolatur afflictos: corrigit peccatores Crucis virga. Remittit deinde & noſtras offenſiones: innumerosq; noſtros ſuffert defectus: & orat pro inimicis. Sed quoniam nolo ſuperuacaneis tædio tibi eſſe verbis; hoc vnum dixerim, te tunc pietatis operibus, & quò ad corpus, & quò ad animam, ritè edoctum iri, cùm ita te habebis in proximum tuum, qualem in nos Chriſtus in Cruce ſe exhibuit.

Quæ eſſent veræ beatitudines, Chriſtus in Euãgelio nos docuit: ſed melius in cruce exhibet ſpiritus paupertatem, quã complectitur vti verè theſaurum, cùm vti manſuetus agnus immoletur, noſtraq; non ſua defleat peccata. Ibi etiam planũ facit, quã ſitienda ſit iuſtitia: quàm peccatoribus cõ-

mi-

miſerendum: quanta puritas cordis gerenda, vt Deum videamus. Ibi verè fuit inter Deum & nos pacificus: perſequutionumq; tolerãtia nos docet hæredes fieri cælorum.

Si animus eſſet per ſingula excurrere dona & chariſmata ſpiritusſancti, difficile nõ foret omnia in Cruce reperire. In Chriſto etenim omnes abſconditi ſunt theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei: qui tunc fuere propalàm aperti, cùm in membris fuit laceratus. Hac etenim voluit ratione dilacerari, vt occulti panderentur theſauri. Sed cùm videam captum meum excedere, linguamq; minus longè ſufficere; cenſui melius, ſilendo cõfiteri ea talia, quæ noſtrũ vincant captum: pio relinquens meditanti ampliſsimum ſe exercendi campum.

Non tamen tacere poſſum humilitatẽ: quam in cruce, vti magiſter in cathedra, nos edocet: quia ſine cæteras congregare virtutes, non eſt aliud, quàm puluerem in ventum ferre. De qua dico, ſolum Chriſtũ verè eẽ humilẽ: qm̃ inde ſubter oẽm ſe ſubiecit creaturam, vnde poterat ſupra cælos exaltari: cuius collatione omnis noſtra

ſtra humilitas, ſumma eſt ſuperbia: quando nunquam nos adeò poterimus abijcere, quin & ſimus abiectiores; cum quòd è nihilo ſumus conditi; tum quod & denuò volentes ad nihilum nos redegimus peccando. Chriſtus autem nunquã adeò potuiſſet in ſublime ſe erigere, prout merebatur. Neq; verò aliũde illi adeò accepta eſt humilitas noſtra, niſi quòd è ſua digna facta eſt humilitate, quæ diuino ſit accepta conſpectui. Porrò ſi illi velis eſſe charus, euade perfectus huius doctrinæ Cruci ſuæ diſcipulus.

Nedum praxin, ſed & ſpeculationem docet Crucifixus. Cap. 16.

NEDVM praxin, ſed & ſpeculationẽ te docet Crucifixus: qui ſi perfectè intelligeretur, omnem theologicam illicò euolueret quæſtionẽ: ſed altus adeò eſt eius ſenſus, vt non niſi ab illis capiatur, qui altiſsimè ſe demittunt.

Si quid ſit Deus vis agnoſcere; ne mundi conſule ſapientes: quorum quidã Deum negauerunt eſſe: quidam ab eo auſe-

re-

rebant inferiorum rerum prouidentiam: alij multos comminiſcebantur Deos: & huiuſcemodi figmenta: ſed Crucem contemplare, cuius illuſtrabitur mens tua lumine, vt cognoſcat vnum Deum eſſe, infinitæ bonitatis, quã oſtendit in infinito Crucis exceſſu: cùm autem ſit infinitus, non poteſt eſſe niſi vnus. Contemplare dein eius ſolicitudinem ſalutis noſtræ gratia; neq; anceps eris de eius prouidentia. Cõtemplare modum redemptionis: indeq; poteris colligere ſummæ eſſe ſapientiæ & iuſtitiæ; quando ita vltus eſt peccatum, deluſitq; principes tenebrarum.

Non valuerunt philoſophi omnes animam hominis cognoſcere, an ſit immortalis: req; adeò in graui cæcutierunt. Quam videbis in Cruce diſſolutã quęſtionem: cũ etenim in ea charum adeò exoluerit Deus pro eius redemptione pretium; certos nos reddit, eam nedum immortalem eſſe, ſed deiformem, aptamq; in Deum transformãri: aliàs ſapiens non eſſet, infinitum impẽdens pretium rei corruptibili, & nihili.

Eodem in lumine perſpicies, quanta ſit diaboli nequitia, qui plurimos ad ĩnocentiſ-

ſimi

ſimi mortem compulit: quanta ſit eius rabies, niſi eam Deus cohiberet: quanta Dei bonitas, quæ eadem ratione, qua bonum arbitrabatur Diabolus præpedire animarum, promouit ſalutem: maiori hauriens è malo maius bonum. Vbi & bonorum potes agnoſcere benignitatem ſpirituũ, qui ob mundi ſalutem ſuſtinuerunt eorum in crucem agi Dominum.

Cruce melius edoceris, quàm ſit ſpernenda mundi vanitas, quàm exemplo alio; ſi reminiſcaris quanta cum exultatione & honore exceperint populi Chriſtum in die palmarum: & vix poſt ſex dies verſus eſt applauſus in tragœdiam. Vbi addiſces, proſperitati non fidere humanæ, ſed potius appetere à mundo contemni, tuo cum Domino. Vti enim ſemper fallit proſperitas: ita & tribulatio ſenſum adaperit interiorem.

Adhęc quàm ſit peccatum abominabile, non in aliqua comperies ſcriptura, ꝓut in crucis intuitu: quæ palàm facit infiniti eſſe ponderis; quando vt occideret peccatum, proprium Deus occidit filium. Porrò ſi deſideras peccatum horrere, con-

templare ſubinde Chriſtũ in Cruce: à quo addiſces ſexcentas præeligere mortes, q̃ peccato aſſenſum prębere: & ſequẽter tibi inorietur virtutis amor, digna q̃ eſt ex ſeipſa amari, abſq; pręmio: vti in cruce eſt videre; vbi Chriſtus præelegit cum pœna, virtutem, quàm vitium cum præmio: oſtẽdens, quemadmodum ipſa ſibi eſt præmiũ virtus; ita & ſecum adhuere vitiũ pœnã.

Difficile eſt mente concipere, quæ ſit vel inferni miſeria, vel paradiſi gloria: quoniam non niſi vmbram videmus ad veritatem: & quicquid inde ſcriptum eſt, ſe habet veluti punctus ad vniuerſi ambitũ: ſed, quatenus exprimi poſſunt incomprehenſibilia, aio, te vtrunq; in Cruce contemplaturum: quoniam niſi gloria paradiſi, gehẽnęque cruciatus eſſent ineſtimabiles; nũquam diuina incarnata ſapientia, quò illo nos donaret, hoc liberaret, diriſsimam vſqueadeò mortẽ ſuſtinuiſſet, infinitũq; effudiſſet ſanguinis ſui prætium.

Demum quoniam longum foret proſequi quicquid offert Crux argumenti, ibi addiſcas volo bene moriendi artem, tui inſectando magiſtri exemplum; qui te mo-

net,vt mortis tempore,omni exutus terrena affectione,omniq; abiecta peccati ſarcina,libens eum bibas calicem: diuinæque te reſignes voluntati : prout ipſe fecit. Sciās proinde aſsidua Crucis meditatione,prę omni alio exercitio,tunc temporis reddi animã ſecuram & fidentem. Rationabile eſt enim,vt cùm tu ſępe eius compaſſus fueris morti,eò magis ab ipſo conſolere in morte tua,quò te pietate excedit. Cuius rei in argumentũ,Virgo,Magdalena,& Ioannes, fideliſsimi Crucis ſocij, præ cęteris ſingulari in morte dotati ſunt priuilegio; multorũq; eſt ſententia,abſq; dolore eos fœliciter obdormiſſe.

Quatuor ad perfectam transformationem gradus,nẽpè lectio &c.in Cruce optimè reperiunĩ. Ca. 17.

PATRVM eſt ſententia, mentem noſtram quatuor gradibus ad perfectam conſcendere ſuijpſius vnionẽ, qua poſtea Deo vnitur. Primum appellant lectionẽ. Hinc verò iã dixi,debere te inter cæteros eos tantum libros deligere, qui ad pfectam te p-

uehant affectionum tuarum victoriam. Hic cautus eſto, ne curioſitas te transferat ad ſciendi deſiderium. non.n.ita vnionem referres & mortificationem, ſed diſtractioné, & proprij fomentum amoris.

Secundus gradus dicitur meditatio: cùm à ſeipſa mẽs ruminatur quod in paſcuis collegit lectionis. Hic porrò patiens ſis oportet, vt importunas feras cogitationes, quæ interim te perturbabunt: toties animũ tuo reducens ſcopo, quoties auolat: eris enim demum victor.

Tertius eſt gradus mentalis oratio: quę aliud non eſt, quàm mentis in Deum aſcenſus, abſq; verborum ſtrepitu. In hac autem aliquando labor, aliquando delectatio ſentitur: prout à te fideliùs exercebitur. Ideò admodum ſunt vtiles, quas vocant iaculatorias orationes: quæ oportet, vt ſunt breuiſſimę, ita & ſint frequentiſsimę, omni ĩ loco & tempore: & quò magis erunt frequẽtes, eò erunt & leuiores. quemadmodum faciliùs accenditur candela, vbi recẽns fuerat extincta, & nonnihil adhuc tranſacti retinet caloris.

Hoc gradu ad extremũ peruenitur, qui

dicitur

dicitur contemplatio. Hæc porrò eſt ex cedenti amore adeò purificata, vt animam in Deum transformet: magiſq; dici poteſt eſſe in Deo, quam in ſeipſa: ideò nullo negotio potius à Deo mouetur, quàm ſeipsã moueat. Huc non peruenitur, niſi poſt multos labores, plenamq; ſuijpſius victoriã: inſtar Moyſi, qui primò à turbis ſegregatus montem conſcendit, ieiunioq; purgatus audit Dei voces internè: diuiniq; videt coruſcationes fulgoris: demumq; ſuperlucentiſſimam ingreditur caliginem; vbi cæcutit oculus, quoniam in Dei contẽplatione omnis deficit intellectus.

Hos in Cruce Chriſti longè meliùs offendes gradus, quàm in ſcripturis. Quò enim ad primũ, quæ adeò eſt efficax lectio, quàm hæc, quæ in codice habetur crucifixi: quæ à doctis pariter & imperitis poteſt agnoſci; quòd literis exarata ſit admodum capitalibus; plagis nempè & liuoribus ſuis? Vbi & tãta meditandi ſe offert copia, vt quò magis creſcit ſtudium, eò & aperiatur latius argumentum. Ita & mentem trahit orationi: quoniam quãtum in ipſo moratur, adeò in Deum ſubleuatur, cùm ſit homo & Deus,

mediũ & finis,creatura & creator: omniſq; in eum intuitus ſtimulus eſt orationi. Et planè ſi iugiter cor noſtrum eius aſsiſteret vulneribus,per eum quoq; iugiter Deo cõtinua adhęreret oratione.

Frenata,affectibusq; purgata mente, & ſpiritus verba ſuggeret orationi aptiſſima; tum & ſcriptura oĩs,pręcipuè verò Pſalmorũ liber. Cap. 18.

HIC iam modus eſſet edicendus orãdi; quibus nempè verbis tuum exprimere debeas affectum. Verùm hinc operępretium non eſt vt fuſiùs agam: tum quòd ſpirituſſanctus ipſe eſt,teſte Paulo, qui pro nobis poſtulat gemitibus inenarrabilibus: vt non opus ſit à nobis verba concipere, ſed ſpiritũ tantùm ſequi ducẽ; qui iuxtà captũ & indigentiam noſtram,id edocebit petere, quod expediat: tũ quòd & tanti orationibus redundent libri,vt magis verendum ſit, ne nimia faſtidium pariat abundantia, quàm vt præ penuria deficiamus: quandò quidẽ vel ſola dictio,intimo enuntiata ſenſu, multis præualeat,aridè diuiſo corde prolatis.

Ideò

Ideò omnis adhibenda eſt induſtria fræ-
nandæ imagini, ne in otioſa elabatur, ſed iugiter pio alicui exercitio occupetur: vt partim ſupra edocuimus. Hoc porrò facere non poterit, quàm diu prauis mundi ĩmoretur affectionibus. Mens enim inde agitabitur, veluti à ventorum tempeſtate. Vti videmus, ſi amas vel times quicquam, nõ potes à te frequentem abigere illius recordationem. Ideò conficitur, totum hinc pendere, vt paſsiones & praua deſideria vincamus, palatum animæ inficientia, quò minus Deum guſtet, cum ipſoq; norit familiariter loqui, prout charitas docet.

Huic rei ſi vaces, vltra Patrum libros, totã inuenies ſcripturam precibus redundantem: poteriſque à teipſo innumeras fabricare; Deum tibi ſtatuens præſentem, tuãq; illi aperiens neceſsitatem. Probo tamen vt in ſcripturis orationem inueniens, tuæ congruam neceſsitati, iuxta eã te exerceas: ad noſtram enim ſcriptæ ſunt doctrinam.

Ita ſi tribularis, poteris corde fundere, quæ dixit Anna amaritudine correpta verba, ob ſterilitatem, quam illi obiecerat eius æmula: aut Tobias, iniuria affectus poſt tot

moleſtias, ab ipſa coniuge. Si vis ꝓ proximo orare; à Paulo diſce & Moyſe, quorum vnus voluit cum populo perire, alter anathema eſſe à Deo pro fratribus ſuis. Vide & vti oret Abraham pro Sodomitis, & Samuel pro Saul, quem Deus reprobauerat. Si à ſpiritalibus inimicis inuaderis, defende te, prout à crudeliſsimo Aman Heſter orando ſe defendit; aut vti Iudith orando de Holopherne retulit victoriam. Si mors te vrget improuiſa, diſce ab Ezechia cum lacrymis rogare miſericordiam. dubio enim procul aut mortis reuocabis ſententiam, aut patienter feres & fructuosè.

Longum foret ſingulos recitare ſcripturæ locos, vbi modus orandi docetur: ſed ſingulariter te hortor, internè exerceri in Pſalmis: in quibus ignita offendes verba, quibus omnes exprimas animę tuę affectiones. Si Deum vereris tuis iratum culpis; vide in ſexto, & trigeſimo ſeptimo aptiſsima, vnde Deum tibi reddas placabilem, verba. Si vis miſericordiam conſequi; attentè inſequere quinquageſimi conceptiones. Si vis ſtupore affluere diuinæ magnitudinis; exercere ſuper octauo, & ſeptuageſimo ſecundo.

Hinc

Hinc legimus,quòd cùm à maligno exagitaretur Saul ſpiritu,refocillari ſe ſentiebat ad cantum pſallentis Dauid. Quis enim adeò afflictus eſt ſpiritus,vt diuinas audiens laudes non conquieſceret; quibus pleraq; redundat illorum pars diuinorum Canticorum? Quis iam Dei non accenderetur amore, vbi audit verba illa: Diligam te Domine? quis non confideret, vbi ait: Dominus illuminatio mea? quis non hilareſceret, vbi ait: Exultate iuſti in Domino? quis non in ſpem aſſurgeret, audiens: Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi? Verùm hinc fuſiùs agere, eſſet metam excedere ſolitæ breuitatis noſtræ, noſtrumque egredi propoſitum argumentum.

Methodus exercendi in Dominica oratione. Cap. 19.

QVONIAM Spiritusſanctus non ſemper eodem vtitur modo,ideò iuxta eius varietatem motionum,infinities poſſunt orationes variari. Præſtiterit igitur è multis vnam ſeligere excellentiorem, in eaque iu-

giter exerceri. Hanc verò nobis prouidit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, modum edocens orandi longè breuiſsimum, vtiliſsimumq́; præ cæteris: in quo virtus omnis, in cæteris omnibus diuiſa, continetur.

Hæc oratio in amore tota fundatur: omnemq́; excludit ſeruilem timorem, qui in veteri erat lege. Chriſto enim mediatore, qui Deus Dominus dicebatur, in patrē eſt conuerſus: neque verò curat terrenas petere ꝓmiſsiones; ſed principaliter regnum ſpectat Dei, ſolaque contenta eſt patris ſui voluntate. Et breuiter, ex hominibus Dei facit filios.

Huius breuem volo precationis formulam ſubiungere, vt poſsis per teipſum latiùs te exercere. Dices igiť, magis corde, quàm lingua. Pater noſter. iam non dubito quin me audias, cùm ſis pater: quis porrò pater filium non audit? Sed etſi pater filium derelinqueret, tu non me potes derelinquere: quoniam eſſe meum omnino eſt à te: ego verò opus manuum tuarum ſum: cumque eſſem mea culpa diſiectus & deſtructus, tu Verbo tuo, per quod creaſti, pariter & reformaſti: & nunc es pater meus.

O pater

O pater noſter : quis es tu; & quæ tua bonitas ? Enimuerò vndequaq; apparet magna & immenſa : magna ĩ creatione vniuerſi, cùm inde non egeres ; nihilo tamen inde factus maior, vti & ſine illo non eras minor : magna in gubernatione, quam nullo geris negotio, nô minus vni proſpiciẽs ſoli, quàm ſi nulla alia ſupereſſet cura : magna in ſapiẽtia : magna ĩ iudicio. Verùm enimuerò nullo in opere ita eluceſcit tuæ magnitudo bonitatis, quàm dum me dignaris poſt tot offenſiones, vt te compellem patrem. Vnde planè mihi liquet, ſi alia non adeſſent teſtimonia, infinitam eſſe tuam benignitatem.

Pater noſter. Tanta erat mearum grauitas culparum, vt nunquam auſus fuiſſem corã te apparere, niſi à tuo audiſſem filio, vt te cõpellẽ patrem : cui ceſſat voci omnis diffidentia, timorq; omnis in amorem conuertitur. Quî verò in te omnes non habebo opes, ſi es pater ? immò à te ſolo ſpero exaudiri : aliò quàm ad te, non confugiam : in te omnis mea erit iacta ſolicitudo.

Pater noſter, hinc vniuerſam diſco legẽ : quoniam cùm ſis noſter, doces vt proximũ diligam ; non quò ſit mihi beneficus, aut ſan

guine

guine coniunctus: ſed quoniam in illo eſt tui imago, qui es meus pater: cuius gratia teneor quicquid tibi eſt ſimile, amare, & vel meipſum odire, ſi à te me alienat.

Pater noſter: qui es. Tu verè es: Cæteræ non ſunt creaturæ: quia non aliunde ſunt, quàm ex te: qui vt dediſti vt eſſent, ita in momenta conſeruas. Te penes nihil omnia ſunt, quoniam vti è nihilo ſunt, ita in nihilum reuerterentur, niſi iugi tua ſuſtinerentur præſentia: in te non eſt præteritum vel futurum, ſed ipſa præſentiſsima æternitas.

Qui es in cœlis. ô quàm gaudeo, patrem habere in cœlis: quo verbo moneor, iam non debere cor meum in terris habitare, ſed ibi ſemper morari, vbi tu es, pater meus. In te enim omnis mea eſt hæreditas. quando autem mihi concedetur, vbi tu es, habitare, & nunquàm à te ſeparari?

Tu es in cœlis: immò ab omni es loco ſeiunctus: quoniam neq; in terra es, neque in cœlis. Si tuam attendo prouidentiam; tu es ſuper omnes cœlos: quoniam illa vniuerſa complecteris. Si tuum firmamentum; tu

ſubter

ſubter es omnia: quoniam omnia tibi innituntur. Si tuam ſpecto ſubtilitatem; vniuerſa penetrat, & omni eſt interior creaturæ, quàm ipſa ſibi. Quî igitur es tu in cœlis; ſi ita es ſuprà vt & infrà, ita intus vti foris, ita omni in loco vt nullibi?

O incomprehenſibilis pater. Et tamen in cœlis es: quoniam ibi magis elucēt opera tua præcellentiſsima: manusque tua eos eſt fabricata: tuoque mouentur nutui. Sed certè meliùs tu in cœlis tuis habitas Angelicis: vbi tua reſplendet pulchritudo: es & in animis iuſtorum, qui vt patri, hoſpitium tibi prębent in corde ſuo. ô pater; qñ talis erit anima mea, vt in illa poſsis, vti in tuo habitaculo, commorari? fac tu eam capacem & ſublimem, fide ornatam & operibus, & omnigenis virtutibus, vt continēter dicere poſsim; pater, qui in me es.

Sanctificetur nomen tuum. Cùm tu ſis pater, iuſtum eſt, vt tuum primum ambiam honorem: quemadmodum & tu meę ſolicitus es neceſsitatis. Sanctificetur igitur nomen tuum. At quando non fuit ſanctum nomen tuum ô pater? non'ne eſt ſanctitas tua immutabilis? non ne tui nominis gloria

infinita?

infinita? quî igitur mea fiet oratione ſanctior? Sed peto, vt nomen in ſe ſanctum, in nobis ſanctificetur, animęq; noſtrę eius virtute ab omni purgētur terreni affectus macula, quò tibi cõiungantur patri ſuo, cui omnis diſplicet culpa.

Nomen tuum. hoc eſt Verbum tuum, in nobis confirmetur: vt quẽadmodum in illo habemus vt ſimus, ita & confirmationẽ habeamus in gratia tui patris noſtri. Sanctificetur in nobis nomen Chriſti tui, vt ſemper eius ſequi poſsimus Crucem. Ita & nomen IESV: vt in alio non habeamus ſpem ſalutis. Ita & nomen tuum, pater, vt verè tui ſimus filij. Sit nomen tuum ſemper inſculptum noſtro in intellectu, voluntate noſtra, lingua noſtra: vt aliud in nobis non cõſpiciatur, quàm tui ĩ æternũ nominis gloria.

Adueniat regnum tuum. Quis porrò regnum impediat, ſi non aliunde ſunt res, niſi quòd tui ſunt regni portio? Tu regnas in toto orbe: At ego deſidero, vt, veluti pater, ex pietate gubernes, & non vti iudex: quoniam prius es pater, quàm iudex. Tu regnas in ſcriptura, quam ſpiraſti: Ego verò rogo, vt in tui gloriam toti aperiatur liber

mundo

mundo,vt te omnes adorent. Tu regnas in eccleſia tua: ego verò rogo,vt non aduerſus illam pręualeant eius aduerſarij. Tuum regnum tua eſt gratia: Ego verò te rogo, vt illi nos diſponas,vt ita nos eius ſimus capaces, quemadmodum tu es munificus & liberalis. ô pater noſter,fac nos per hæc media peruenire ad regnum gloriæ tuæ in æternũ.

Fiat voluntas tua. Ita tuus dixit filius, qui tuæ nunquam non morem geſsit voluntati. Quid me æquum eſt dicere,qui volũtatem nunquam non gero erroneã, niſi quatenus tuæ conformatur? Extinguatur ſemper omnis mea voluntas: quando non niſi malum nouit velle. Fiat ſemper voluntas tua: in qua omne meum ſitum eſt bonum: fiat inquam in aduerſitate & proſperitate,in vita & morte, in omni meo opere, verbo, & cogitatione.

Fiat voluntas tua: ſicut in cœlo, & in terra. In cœlo ſiquidem non eſt qui tuę reſiſtat volũtati: ita fiat in corpore terreno, vti in ſpiritu: ita in peccatoribus,vt in iuſtis: ita in infidelibus,vt in Chriſtianis.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Ita ſuos rogant paruuli patres. Quẽ

autem

autem ego rogem pánem, ſi tuus prohibet filius cibi ſolicitudinem & operimenti? Fortaſſe vult vt te illum rogem, ne ſim ego ſolicitus; cùm ſciam te noſtri curam gerere; neq; aliunde debeam quicquam expectare ſubſidij, tã animę, quàm corporis? Verùm longè excellentior eſt ille panis, quem tu mihi offers: egoq́; magis indigeo. Da igitur panem ſuperſubſtantialẽ: nempè teipſum; vt te ſemper anima mea paſcatur eſuriens. hoc autem non ſemel in die; ſed in horas: vt te ſemper viuat, vera vita, anima mea: tuaq́; paſcatur veritate meus intellectus: tuaque meum capiatur pulchritudine deſiderium.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Ampla eſt pater tua liberalitas; qui das poſſe alijs dimittere offenſas, & ita noſtrarũ veniã obtinere. quæ autem in nos committi poteſt noxa, qui te ſemper offendimus? quin ſi omnes aduerſum nos inſurgerent creaturæ, non ſufficerent iniuriam vlciſci, quã aduerſum te contraximus: tu enim verus es pater, nos verò veri nunquam fuimus filij. Certè pater, ſi aliud non adeſſet tuæ bonitatis teſtimonium; hic planè panditur infinita:

ta: quando nullo ita negocio, grauia adeò ignoſcis peccata,ſuffersque à peccatoribus dici pater.

Et ne nos inducas in tentationem. Tu es pater,tenerisq; tuis prouidere filijs. tu vides hoſtem noſtrum præpotentem: nos verò infirmos: quî igitur reſiſtemus ni vires præbeas, eiusq; cohibeas rabiem? Ne igitur permittas eum aduerſus nos præualere,ſed vti es pater,ita à peccato tuos protege filios.

Breuē hanc ſcripſi formulam,vt tu à te ipſo poſsis orando meliores tibi fabricare conceptiones, quàm ſint literis mandatæ: prout ſanctus ſuggeret ſpiritus.

Quomodo diſcernatur charitas à naturali amore: deque vera oratione, eiusq; profectu. Cap. 20.

Cvm ſint diuinus amor & naturalis in effectibus adeò conformes,ſæpe fit,vt amãs Deum animus naturali ex cognitione, prout fecere Philoſophi quidam,perſuaſum habeat,veram ſe iam conſequutum eſſe charitatem. Quæ vti ſpecie naturali aſsimilatur: ita

ita abſq; proportione vlla adeò diſtat, vt vna ſit abſque merito, altera infiniti capax ſit meriti: crediderimque, vt in humilitate nos detineat, noluiſſe Deum, nos habere certam huius rei cognitionem.

Attamen ſi quicquam vis habere cõiecturæ interni tui ſtatus, num auro diteſcas vel auricalcho, ſubdo nonnulla indicia, quibus deprehendere poſsis, qua incedas via, numque in tenebris agas, aut in luce: vt te in luce deprehendens, acceleres gradum, ne morte præueniare: ſi autem in tenebris, tẽpus habeas retrò pedem ferendi, viamq; cõuertẽdi periculosã in ſecurã.

Proprio verè contẽplatiuus non fidit cõſilio: Sed ſemper vellet ducem, quo dirigeretur: non vult etiam inſpirationibus duci & miraculis, verens hæc præter ſolitum eſſe priuilegia: neque tamen placet illi multiplicare conſilia; quod modica fit è ſtabilitate. Si hæc inter pugnantia medium offendas, non aberras à recto tramite.

Sunt qui fugiant reprehenſiones, quoniã amant laudes. Nonnulli adeò propriã contemnunt famam, vt vel nihili pendant proximi ſcandalum. Alij ſunt nimis ſcrupuloſi: alij

alij nimis audaces: quidam indiſcreto nimis agi ſe ſinunt feruore,& inquieto. Alij guſtū ſectantur: Vident alij aliorum peccata ſine compaſsione. Hi omnes agunt in periculo: níque velis falli,eorum fuge ab itinere.

Veram in incipiente charitatem his ortam videbis indicijs. Primò enim magnū adducit prætéritę culpę dolorem: firmum mox propoſitum non ampliùs peccandi,nō tam priuato ex detrimento, quàm ne Deus offendatur. Ad hæc verba Dei libenter audire,indiciū eſt amoris: qui enim ſe amāt, mutua oblectantur colloquutione. Aliud & eſt indicium,bene agendi promptitudo, ob amorem proueniens virtutis;peccatūq; indoleſcere alienum,ob proximi damnum, qui in Deo amatur.

Vbi creſcit charitas in proficiente, frequentem adducit venialium culparum examinationem,concupiſcentiamq; imminuit, interneque cor exercet pijs in cogitationibus,abſumptum iudicans quicquid temporis alibi,quàm in Deo occupatur. Quo in gradu intellectus incipit diuina illuſtrari veritate. Proprium eſt enim amicorum ſecre

ta cõmunicare, vti ait Chriſtus ad diſcipulos: Vos aũt dixi amicos: quia omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci vobis.

Manifeſtiora ac præcellentiora ſunt perfectæ charitatis indicia: quoniam vti Dei amore obliuiſcitur anima feruens omnia, quin & ſeipſam: ita & fit prompta, quæ vitam exponat pro ſalute proximi, tametſi inimici: gaudenterq; omnem fert tribulationem, acſi eſſet inſenſilis: nihilq; præter Deũ timet: quem tamen non timet, vti ſeruus, ſed vti filius: ita vt eius timor in amorẽ abſorbeatur, adeò ſyncerum & perfectum, vt ad præmium nec reſpiciat. Hoc in gradu, ſi, quæ concipitur in corde flamma, per altiſsima iugiter non refrigeraretur ſuſpiria, vita periclitaretur. Quocircà ſemper languet, longaq; è mora, quæ à dilecti eam retardat vnitione, ſæpe torquetur, cogiturque ſenſibus deficere, dulcéq; in ecſtaſeos ſomnum obdormire.

Quanquam ijs deprehendere poſsis argumentis tuum profectum, tamen quoniã præcipua noſtra eſt intentio loqui de oratione, quæ obtinetur iuxta charitatis menſuram, dico, te tunc fore in oratione incipientem,

tem,cùm depugnante in te hinc Dei amore,inde mũdi, multũ ſenties obſiſtẽtiæ ſubleuandæ Deo menti,ac ſi graue pondus velles à terra ſuſtollere: & ſi quando quicquã deguſtabis lucis,ſtatim euaneſcet,ſolitumq; regrediere ad pondus.

At vbi ceſſabit diffidentia ob familiaritatem,quæ in diuina naſcitur colloquutione; & iam non animo ita ancipiti,ſed ferè certo accedes, impetrandi quod petis: & citra difficultatem poteris perſiſtere in interiori ſtudio,ſecretũq; ferre ſilentiũ: te poteris dicere in oratione proficiẽtẽ. Et caue,periculũ te adducat tepiditatis retrò pedẽ ferre.

Perfecta,ignea omnino eſt,oratio: ardet iugiter in corde: lucetque in intellectu, ut vel minimum agnoſcere faciat peccatum: demumq; omnium inducit exteriorũ obliuionem,animamq; rapit ſupra ſeipſam diuinę in caliginis abyſſum.

Duo in oratione pericula, deſperatio & præſumptio, cum vtriusq; antidoto. Recitantur & perfectiſsimorum exempla oratorum, tum veterum, tũ recentiorum. Cap. XXI.

Dvo ingentia te poſſunt præpedire pericula ab hoc admirabili orationis fructu. Primum dicitur deſperatio: quæ tibi offert velut impoſsibile, vt ad tantam pertingas celſitudinem: quare animum deſpondendo, te cogit operi cedere. Aliud eſt è diuerſo præſumptio: quæ perſuadet, ad finem te iam perueniſſe, cùm vix bene ſis in limine. Vtroq; fraudaris perfectione. Ideò armari te oportet ſpe à dextris, à ſiniſtris timore: vt illa veluti ſtimulus ad curſũ te excitet: hoc veluti fræno temperere.

Si deſperationem vis vincere: quæ oritur vel è tuarum infirmitate virium, aut ab operis difficultate; conſidera hoc muneris non tua ex induſtria, ſed diuina potiſsimùm largitate tibi conceſſum iri: vt adeò fidentiùs eam te ſperes conſequuturum, quò minùs tuæ eò pertingent vires. Quare hoc tibi impedimentum magno erit vſui: neceſſe eſt enim, ſi huc debeas pertingere, omnino tui diffidas ipſius. Si igitur nequã inſuſurrat, te minus eſſe ſufficientem, ideoq; minimè hoc aggredi itineris; reſponde, tua factum iri inſufficientia, vt multò ſis aptior diuino recipiendo ſubſidio, quem pęnes nihil

hil eſt aut impoſsibile aut difficile.

Si diu hoc perſtitiſti in orationis ſtudio, neq; te quicquam vides profeciſſe, ideoque poſthac & animum deſpondes; recogita Deum ſæpe gratiam retardare, quò meliùs ſui agnoſcatur muneris, quoq; maiorē elargiatur. Cuius in argumentum, voluit è mulieribus diu ſterilibus homines educere præcellentiores: vti fuere Iſaac, Sampſon, Samuel, Io. Baptiſta, Nicolaus, & alij quamplurimi. Quo teipſum ſolare exemplo: ſæpe enim multorum labor annorū vna proditur die.

Si tua te terret fragilitas, Diaboli impetus, præſentis malignitas temporis, & quicquid te retrò compellit; recogita longè plures eſſe, qui tibi adſiſtūt, & numero & valore. Ita de Eliſeo legimus, quòd cùm ab hoſtili ſe videret circunſeptum exercitu, non extimuit, prout Giezi eius puer. Videbat enim alia ex parte fortiorem ſibi ſuppetias aduenisse exercitū. Et certè, ſi videres Angelos omnes, & Sāctos, Deumq; ipſum tui præſtolari finem certaminis, coronamq; offerre; nihili pēderes, ſi vel totus aduerſum te inſurgeret infernus: immò & ampliùs

gauderes, quò præſentius impugnarere; vt fidentiorem te oſtenderes: Pauli exemplo, qui omnem aduerſus ſe prouocans creatu ram, dicebat: Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? ac ſi diceret, vim non agnoſco, neq; in terris, neque in cęlo, quæ ab eo me poſsit dimouere.

Non minoris eſt periculi, perſuaſum habere, quòd iam perueneris; quàm peruentionem deſperare. Ideò huc quoq; tibi afferam remedium. In primis potes ex hoc elicere veneno antidotum; conficereq;, nõ eſſe efficacius argumentum, quòd longè abſis, quàm in animum inducere, quòd iam perueneris. Qui enim iam peruenerunt, indies magis paſſus accelerant, nihili pendentes quod conquiſierunt, eius comparatione quòd ſupereſt. Ita Paulus quæ retrò erant obliuiſcebatur: & quò in anteriora ſe magis extendebat, eò feruentiori accendebatur deſiderio: vti velociùs mouetur lapis, quò ſuò appropinquat centro. Porrò ſi cogites obiectum illud quò approperas, eſſe infinitum; ſemper te inde iudicabis inopem, etſi multis adornarere munerum chariſmatibus. At ſi totum te arbitraris poſ-

ſidere,

ſidere, ſcito mentem tuam non niſi finiti quicquam unquam deguſtaſſe.

Multa alia afferre poſſem documenta, deijciendæ arroganti noſtræ præſumptioni: ſed iam ad finem tendens, hoc vnũ tibi derelinquo præceptionis, vt, ſi vis perſpicere, quàm à vera abſis oratione, illos contemplare, qui clari extitere contemplatores: quorum comparatione te videbis inſtar pygmæi ad celſum gigantem.

Et vt mittamus Chriſti exemplũ & Virginis, quoniam ex excedenti repercutiunt luce aciem oculorum noſtrorum: quædam alia colligemus exempla. In primis verò quò rapiebatur celſitudinis Paulus, vbi ipſemet ignorabat in corpore an extra corpus fuerit? Verè cum creatis omnibus, ſeipſum quoq; tranſcenderat, omninoq; erat in Deum abſorptus.

Magdalenã legimus ſępius in die in aëra ſubleuatam fuiſſe: tantaq; erat vis ſpiritus; ut corpus redderet abſq; grauitate.

Antonius cùm ſæpe totam noctem tranſcgiſſet diuinæ contemplationi; ſuperueniente die, cõquerebatur & dicebat: ô ſol, nimis præproperè ad nos redijſti: tuaq; cõ-

triſtor luce: quoniam à ſuauiſsima me præpedit veri ſolis contemplatione.

Legere eſt & de Arſenio, ſæpe illum orationi inuentum fuiſſe, inſtar ignis, ardentiſſimum. Cogita quanto intus ardebat eius ſpiritus igne; ſi vel in corpus redundabat apparens flamma.

Abbas Siluanus, poſt excedentia, quæ illum intus abſorbebant, lumina, ſibi ipſi redditus, vultum operiebat; &, Occludimini, dicebat, lumina mea: quid amplius huius vultis aſpicere mundi, vbi quicquam nõ eſt pulchri?

Perſtitit Abbas Beſſarion quatuordecim dies & totidem noctes, immobilis ſemper in diuina cõtẽplatione. Hieronymus integras nonnunquã hebdomadas extra mũdum Angelicos inter diuerſabatur choros: ſuiq; ipſius factus compos, fieri non poſſe dicebat, vt humana eloquerẽt lingua, quod ipſe conſpexerat.

Quid Gregorium loquemur: qui cũ ad ſupremam aſſumptus eſſet ſedem, non aliter ingemiſcebat, à dulci contemplationis quiete raptũ ſe in moleſtiſsimas mundi occupationes, ac ſi nauta à trãquillo portu in ſæuiſ-

ſæuiſsimam ageretur tempeſtatem?

Bernardus adeò nonnunquam erat introuerſus, vt vbi ageret nõ aduerteret. Quare quadam die cùm lacum quendam preterequitaſſet, nunquam ſenſit ſe illum vel vidiſſe.

Non deſunt huic argumento exempla tẽporibus noſtris viciniora. Doctor, qui dicitur Angelicus, ſæpe fuit viſus à terra ſubleuatus, lucentem capiti gerens ſtellam. Franciſcus appellatus Seraphicus, nunc ad hominis ſtaturam, in aera videbatur raptus, nunc ad arborum ſummitatem: adeò aliquando ſubleuabatur, vt vix inter nubes conſpiceretur. Si hæc capis, erit vnde te nihil agnoſcas. Si verò videntur ſupra fidem; vel melius potes te à tanta cognoſcere perfectione lõginquum: quando nedum reipsà eam non aſſequeris, ſed nec fide capis.

Multi, quò propriam tegant inertiã; non amplius id eſſe, dicunt, temporis: ac ſi non amplius ille eſſet Deus: aut iam nos nõ exigeret, vt tunc, perfectos: ideò libet inter vetera, nonnulla & recenſere recentiorum exempla.

Non multis abhinc annis fuit Rauennæ

Virgo

Virgo Margarita, quæ præter alia clariſſima ſuæ ſanctitatis argumenta, quadraginta totos annos adeò fuit Deo ſubleuata, vt toto illo tempore nunquam guſtum ſenſerit terreni cibi. Oſanna Mantuæ Virgo, ſæpe à ſenſibus rapiebatur; cùm non poſſet anguſto adeò vaſculo ſpiritus amplitudo cohiberi. Helena Bononienſis Virgo celeberrima, niſi ſæpe vel aſperrima hyeme frigida pectus refrigeraſſet aqua, nimio defeciſſet præ feruore. Et ſi ſuperſtites etiam vellem meminiſſe, optima non deeſſent argumenta. Verùm horum pietas, etſi longè foret excellentior, ſolet adhuc viuentibus minus digna haberi fide.

Huiuſcemodi poteris exemplis facilè cognoſcere, quàm ſis in orationis ſtudio imperfectus. Neq; verò modici fuerit profectus, ſi cognoſcas te longè abeſſe. Tuum enim excitabitur deſiderium, vt vehementiùs ſemper adproperes: tantoque tibi videberis inopior, quò magis ſpiritualibus redundabis diuitijs: cùm infinitum ſemper tibi ſuperſit emetiendum iter, ſi immenſæ vaſtitatis pelago, vniri debeas Deo. Vale.

Præfato

Præſato fructuoſo ac deuoto Operi ſubſcribit F. Melchior ord. Prædicatorum, hæreticæ prauitatis in Lombardia Apoſtolicus Inquiſitor.

INCIPIVNT QVAEDAM dubia ſuper oratione, inſtar Problematum, numero centum; vtilia non minùs quàm ſuccincta.

Pijs Virginibus D. Siluestri Vincẽti D. Seraphinus à Firmo indignus eccleſiaſtes. S.

CVM audiſſem de vobis, Ven. Matres, nouum deſiderium, quod olim concepiſtis ex præſentia mei ſimul ac veſtri patris, D. Antonij Mariæ: cuius nũc ornat præſentia cœlum, prout olim ornabat terras; & ex conſuetudine feruentiſsimæ Virginis Ang. Paulæ Antoniæ; compulſus fui, tum vt profectui gratularer veſtro, tum vt & illum promouerem, ad vos deſtinare ſuccinctũ hoc de oratione Opuſculum

culum; cui ſubdidi dubia quædam, inſtar Problematum, vtilia non minùs, quàm breuia. Hoc porrò mei fuit muneris: cùm nó ignorem Paulum dicentem, alios quidem plantare, rigare alios, omnes autem eidẽ aptare ac diſponere fini, nempè vt diuinum recipiamus incrementum. Et quamuis nó hactenus mihi datum ſit ſacri huius collegij coràm habere notitiam; non tamen incognitis ſcribo, quin & plus quàm familiaribus; cùm Chriſti ſpiritu æquè iungantur abſentes, ac præſentes perfecta in vnione. Quoniam verò ea incidimus tempora periculoſa, de quibus, fore, dixit Paulus, homines, ſeipſos amantes: eò deuenimus internæ vitæ ignorationis, vt de illa loqui nouũ videatur; moi tiferámq; egredi formulam & conſuetudinem, immodicis plenã & infructuoſis tantummodò ritibus, hæreticum reputetur; & inter eos qui ſpiritales dici volunt, ſpiritalem agere vitam, hypocriſeos inſimuletur. Quare compellor eò magis illis affici, qui vitam Domini noſtri in ſeipſis inſtaurant, inſtaurareq; in alijs adnituntur, quò ad pauciorem hodie numerũ ſunt redacti. Ideò Ven. Matres, vos adhortor pſequi

ſequi cęptum internæ renouationis ſtudiũ, veſtroq; Pauli viſcera reficere profectu. Ita enim eritis illi gloria: ſolidumq; cõſequemini nutrimentum, vnde nouum cœpiſtis deſiderium: mihi quoq; meliori occaſionẽ pręſtabitis labori. Valete in Chriſto Cruci affixo.

Probl. I.

QVARE plerunque in oratione magis proficiunt interna idiotę & ſimplices, quàm docti & eruditi homines, etiam in ſacra theologia?

Hoc fieri non poteſt, quòd ſciẽtia ex ſui natura ſit mala, à Deo'ue ſubmoueat, q ſciẽtiarum dicitur Deus: neq; vel minùs, quòd ignorantia cauſa ſit, vt orationem edoceamur: cùm nihil ignoratione poſsit addiſci. Sed cùm ſit doctrina ſine humilitate adeò pernitioſior, quò eſt cum humilitate maioris fructus; ſequitur, vt illa à Deo ſubmoueat, iſta cõiungat. Tametſi verè oporteret immutari vocabula: cùm doctrina dici non debeat, quæ intellectum fuſcat ſuperbiæ fumo: neq; ignorãtia, quæ ſemper nouum aduehit lumen. Qui igitur mundanarum

narum ſunt expertes doctrinarũ,quùm non habeant vnde ſuperbiant, faciliùs credunt & obediunt,diuinaque capiũt ſecreta à mũdi abſcondita prudentibus, & reuelata paruulis.

Probl. II.

QVARE qui ex doctrina loquũtur acquiſita,etſi verum dicant, non penetrãt, & cor non ſuccendunt audientium; prout illi, qui orando addiſcunt?

Nullum,aio,poſſe agens ſupra proprias operari vires. Vnde conſequitur, ſi Deum in fundo non geremus cordis noſtri; nequaquam poterimus in aliena infigere: qñ ex abundantia cordis os loquitur. Ex quo poſſumus conficere: quemadmodũ tormẽtum bellicum, ſeu bombarda quam appellant,pila vacua,multum quidem perſtrepit, ſed non lædit,neque proſternit mœnia: ita verba docta ſine ſpiritu,peccatum non expugnant,reportant'ue victoriam.

Probl. III.

QVARE non transformatur in Deum mens noſtra per ſcientiam,vti per orationẽ?

Reſpon

Reſpondeo,ſcientiam ſeu cognitionem intellectui imprimere ſimilitudinem rei agnitæ: orationem autem mentem adducere ad rem amatam. Cùm enim nata ſit ex amore,amoroſiſq; augeſcat diuinis conſiderationibus; animam in Deum transformat,ſupraque ſeipſam ſubleuat.

Dici etiam poſſet,quòd quemadmodum homini non eſt gratus, qui eum nouit, ſed qui amat: Ita Deo non placet, qui non amans, eum cognoſceret: quemadmodum de ijs ait Paulus, qui cũ cognouiſſent Deũ; nõ ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerũt ĩ cogitationib' ſuis.

Dici & poſſet,in humanis præcedere cognitionem,at in diuinis amorem: vt ait Dominus. Cùm venerit Paracletus, ille teſtimonium perhibebit de me. hoc eſt, amore innoteſcet,quę mihi filio attribuit ſapiẽtia.

Probl. IIII.

QVARE orantibus nobis ſeſe offerunt variæ cogitationes,vniuerſaq; dici negocia?

Quanquam hoc fieri poſsit è propria & naturali mutabilitate noſtra; quæ tunc magis apparet,cùm plus impugnatur: attamẽ

præſtiterit dicere, agente id fieri Diabolo, qui varijs adnititur & confuſis imaginibus orationis perturbare negotium, vnde probè nouit totam pendere noſtram ſalutem. At noſtrarum fuerit partiū, agnita eius fraude, ſolidiori propoſito in illa perſiſtere; ne minùs cautè agamus in ſalute noſtra, quàm inimicus in impugnatione.

Probl. v.

QVARE magis ſolent affluere internæ conſolationes conuerſionis initio, quàm in progreſſu? &, ſi obſunt, quare dantur? ſi proſunt, quare auferuntur?

Reſpondeo, Deum primas dare conſolationes, non ob delectationem, ſed vt anima hac ratione poſsit noxias ſpernere mundi voluptates. ſed vti Deus hic ſe prodit miſericordem: ita anima ingratam ſe exhiberet, ſi vellet in lacte iugiter morari: quod tametſi ex ſe ſit vtile, cibus tamen eſt paruulorum, & minus perfectorum. perfectāque huiuſcemodi inuitant ſuauitates hominem ad ſuijpſius victoriam: vti flos ad fructum prouehit. Quo non obtento fine, nedum inutiles, ſed & pernitioſę ſunt om-

nes,quæ conceduntur,ſuauitates.

Probl. VI.

QVARE nonnunquam conceditur guſtus hoībus ſceleratis,& à Deo reprobatis? Multi,inquam,cùm ſint mali, bona quædam faciunt opera: quæ,cùm vitam nō ꝓmereantur æternam, iam ex donis naturalibus,iam ex ſenſibili gratia compenſantur. Ita faciunt terreni Principes, qui è reliquijs tranſmittunt eorum mēſæ,ijs qui mox morte ſunt plectendi. Vnde cōcluditur, quàm parum debeamus his inniti muneribus, quę & in vindictam Deus aliquando cōcedit.

Probl. VII.

QVARE cùm nonnulli multis annis orationi vacauerint, & cum interiori ſenſu, non tamen perfectioni pertingunt? Hic dici poſſet: quòd quemadmodum medicina ſanitatem non affert, niſi debita adhibeatur ratiōe: ita omnis ſpiritualis medicina fit prauo vſu exitialis. Ideò non deberet à Deo importunè peti quodpiā munus, ni priùs modum impartiatur eo vtendi ſui in honorem: tutęque eſt petitionis, totū in

manu ſua collocare. Ipſe etenim nouit, quod munus,quo'ue in tempore noſtro expediat profectui.

Probl. VIII.

QVARE ſenſibilem nonnulli in oratione petunt gratiam,minimeq́; obtinent?

Dici poſſet,primò eos,ob inſignem aliquam culpam,non gratiam ſed pœnã promereri. Præterea, quòd prauas in fundo aſſeruent cogitationes: quibus ita inficitur animæ guſtus,vti febris humoribus guſtus impeditur corporis. Fortaſſeq́; nonnullis minimè conceditur, quoniam ex ſuperbia ſe autumant perfectos: qui, ſi huiuſcemodi ditarentur muneribus, fierent ſimiles Lucifero.

Probl. IX.

QVARE quidam poſt exuberantes internas dulcedines,inde priuantur? nõnulli cùm eſſent earum expertes,exuberãt? quidam iam acquirunt,iam priuantur?

Huc multifariam oportet reſpondere. Et primùm dico,dari gratiam hanc aliquãdo manifeſtandæ hominis pietatis gratia,a-

liquando

liquando in proximi ſalutem, iam in miſeri huius mũdi præmium, iam quò cęcetur homo in peccato, iuſto Dei iudicio.

Ita & aufertur aliquando ob letalem culpam, aliquando ob patientiæ exercitiũ, aliquando vt affligatur anima, cauſam ignorans: vtitur & aliquando Deus huiuſcemodi viciſsitudinibus, ne capiatur anima afficiatur'ue theſauro, quẽ in manu ſua videt non eſſe ſitum. Quando autẽ perfectis hoc euenit, maioris eſt ſignum gratiæ, Deo ſibi placente, quòd gratis ſibi inſeruiatur.

Quidam in nimio feruore ſe cohibere neſcientes, temperare'ue cordis ardores, ita corporis deſtruxere complexionem, vt amplius non ſit capax interni ſenſus, inſtar fractæ cytharæ: quod & ſine eorum fieri põt culpa.

Probl. x.

QVARE non vult Deus haberi certitudinem horum affluxus, ablationis'ue internorum ſenſuum?

Reſpondeo. Si huius poſſet haberi certitudo, poſſet & anima certa eſſe quando eſſet in Dei gratia: quod ſciri nequaquã põt,

niſi per conieᶜturas. Vbi igitur culpa auſe runtur animæ, hæc ſubſequuntur indicia. non enim ſatis dolet: prauaq; ſentit increſcere deſideria: alięnoq; mæret profectu: deſperatq; ad priſtinũ redire poſſe feruorẽ.

Ita dico & ſuauitatem, profectus gratia datam, aduehere timorem gaudij plenum, profundamq; humilitatem, infinito ſociatã patiendi deſiderio: & iam facit hominem, ecſtaticum: iam nouam aduehit vitij cuiuſpiam victoriam: iam Deo animã relinquit abſorptam. Obſerua porrò per guſtum, ſeu ſuauitatem, intelligi donum omne, vel viſionem, vel prophetiam, lumen, lacrymas, gaudium, dolorem, & id genus: quę tametſi plerunq; ſint cum gratia, poſſunt tamen & abſque illa eſſe.

Probl. XI.

QVARE fieri ſolet, vt orationis tempore mens, multo vel cũ labore, minimè poſsit introuerti: poſtea aũt extra tp̃s illud nullo negotio ad internam perducitur vnionẽ?

Dici poteſt mentis vnitionem non in noſtra ſitam eſſe manu. Vnde Dauid gratias Deo agebat, quòd illi dediſſet inuenire cor ſuum, & oratione orare. Hoc porrò eſt ratio-

tionabile: quòd, cùm nos minimè in nobis ſimus, ſed in Deo, à quo pendet omnino vt ſimus; ſolùm in Deo ſimus noſtri ipſorum poſſeſſores. Ideoq; vti peccatum à Deo animã diuidit, & à ſeipſa: ita orõne Deo coniungitur, ſibiq; ipſi. Vti filium legimns prodigum, qui orando in ſeipſum eſt reuerſus: quod nequaquam ita ſe haberet, niſi priùs à patre recedens, à ſeipſo queq; longè receſsiſſet. Vt mirum non ſit hoc muneris in noſtra minimè ſitum eſſe facultate. Licet etenim liberam geramus facultatem, vires tamen non ſuppetunt. porrò cùm citra difficultatem concedatur, palàm fit, nõ meritis noſtris, ſed ſuaipſius impartiri gratia.

Probl. XII.

QVARE accedioſa ſeu diſtracta oratio (vbi nempè in varia mẽs diuiditur, etſi bona ſint omnia) fit tandem vel nullius, vel modici fructus?

Reſpondeo, ſolam ſtabilitatem opus adducere perfectioni. Quare anima inconſtans iam hanc, iam illam deſiderans virtutem, iam verò hanc, iam illam implorãs gratiam, nulli perfectè afficitur, diſponiturque.

Qui igitur frugiferè velit orare, perſiſtat in eius petitione, quod magis cenſet expedire: iuxtaq́; ſuam ſe coaptet petitionem : aliàs quî obtinebit caſtitatem, laſciuis ſi oblectetur cogitationibus ? qui'ue humilis fiet, iniurias deuitans ?

Probl. XIII.

QVARE non audimur, petentes modico aliquo curari defectu ?

Sæpe fit hoc, quia non ſe diſponit homo ad recipiendum, rite'ue nō petit. Vnde D. Iacobus ait: Petitis, & nōn accipitis, eo ꝙ male petatis.

Fortaſſe & hoc diuina fit permiſsione, vt fiat anima humilis, ſeq́; ipſam teſte experiētia agnoſcat, non propria virtute grauia viciſſe peccata, quando de minimis, vel maximè elaborans, perfectam non poteſt referre victoriam.

Probl. XIIII.

QVARE orando meliùs agnoſcitur, deleturque culpa, quàm per viam ſcrupulorum, peccatorumq́; recordationem ?

Reſpondeo, peccatum, cùm ſit tenebricoſum,

coſum,in ſeipſo non agnoſci: quemadmodum altiſsima non poteſt oculis luſtrari cauerna citra lumen. Quoniam verò oratio ſemper Deo adhæret,qui vera eſt lux: ideò in fideli eius exercitio peccati apprehenditur deformitas,noſtraq́ue indigentia. Vnde cogitur anima orationem intendere: & ita legitimum reportat fructum. At qui ſcrupulis obſidentur,veritatem non poſſunt pſpicere: immò quò magis culpas recogitãt, eò minus propellunt: quoq́; magis immoderato affluunt timore, eò neceſſaria deficiunt confidentia,quæ orando oritur,& orã do augeſcit.

Probl. XV.

QVARE nonnuli poſt diuturnum orationis vſum repentè ſunt prolapſi,deq́; optimis facti ſunt nequiſsimi : quemadmodũ de Herone celebri eremita refert Caſsianus?

Reſpondeo nequaquam procidi ſtatim ab vno ad aliud extremum: quemadmodũ & non niſi gradatim aſcenditur. Sed quem admodũ in corpore detegitur vna die grauis morbus,qui clanculùm multos per an-

nos prauis fuerat aggregatus humoribus: Ita anima ſenſim defectum contrahens, vbi non radicitus priuatum auulſit amorē, diſponitur cum tempore magno lapſui. Ita quòd non fit repente peſsima, ſed data occaſione, qualis erat in occulto, ſe palàm prodit. Quare de Herone legimus, quòd cùm eſſet magni nominis, proprio innitebatur ſenſui.

Probl. XVI.

QVARE qui proprij ſunt capitis, neq; alienam curant ſententiam, maximè prolabuntur, neque illis prodeſt multa oratio?

Reſpondeo, quemadmodum fundamentum eſt humilitas virtutum, ita & omnis cauſa eſt priuatus amor exitij. Ideoq; duce egemus, ne nobis credamus ipſis. Vnde Moyſe duce, nunquam periclitatus eſt populus ille; ſed quando voluerunt iuxta eorum ire deſideria, nunquā non errarūt. Ita & qui duces non curāt, apti ſunt qui in omne ruant periculum. Volunt enim citra alas volare timoris, qui initium eſt veræ ſapientiæ.

Probl. XVII.

Quare

QVARE maxima eorum pars qui hodie orationi incumbunt, à Diabolo deludũtur, vel per viſa & reuelationes, aut per ſomnia & exceſſus?

Fortaſſe hoc euenit, quia Satan eſt veluti Dei ſimia, vultque illi aſsimilari, falſaque ſuis impartiri munera ſectatoribus, propriã qui amant voluntatem.

Dici & poſſet, cùm vltima vertatur mundi ætas, fieri huiuſcemodi caſus, tanquam homini decrepito, qui cùm delirare incipiat, multas patitur mẽtis alienationes. Quod & in tẽpus coincidit Antichriſti aduentus: qui veniens (vt ait Paulus) in ſignis & ꝓdigijs mendacibus, ſuos iam pręmittit præcurſores, infinitam nempè gentis illuſæ turbam, qui illi viam præparent.

Probl. XVIII.

QVARE tempus nocturnum, locus ſolitarius & quietus, aptiores ſunt orationi?

Hoc verum eſt in imperfectis, qui periculum patiuntur videndis & audiẽdis multis quæ diſtrahunt, facileq; ab interna abducuntur vnitione. Perfectus autem omni in loco & tempore aptus eſt, qui in Deum

ſe

ſe ſubleuet. Et quanquam Dominus noſter ſæpe ſe reciperet in loca ſolitaria, haud quaquam tamen credendum eguiſſe illum ſolitudine: at nobis, cùm ſimus imperfecti, opus fuit eius exemplo.

Probl. XIX.

QVARE nõnulli meliùs orant corpore quieſcentes, quàm volentes illi vim inferre, ſupraq; proprias defatigare vires?

Hoc fit, quoniam cùm imaginatio laborat, concurrunt ad cerebrum ſpiritus. Cui eſt argumento; caput enim incaleſcit, extremęque frigefiunt partes. Cùm igitur corpus laborat, virtus abſumitur vitalis, neque poteſt tota vniri in internum opus, cùm in externum ſit diuiſa. Hinc conſequitur, aſſiduos oratores plerunq; eſſe cachoſtomachos, infirmęq; habitudinis. Cùm etenim copia vniatur ſpirituum capiti, ſtomachum relinquit caloris inopem, digeſtioniq; minus aptum.

Probl. XX.

QVARE laudibus efferuntur orationes iaculatorię, quæ inſtar iaculatorum perbre-

ues ſunt,& frequentes?

Aio mentem noſtram ferro aſsimliari, quod cùm inferbuerit, citò in naturalem ſuam reuertitur frigiditatem, ni ſępe in fornacem reducatur. Oportet itaq; ſæpe mẽtem ſuccendere orationis igne, vt in ſuo cõſeruetur feruore: quod fit per breues & iaculatas preces: quando quidem omni emitti poſsint in loco, tp̄e, & opere. Si etenim vita corporis à continua pendet & frequenti reſpiratione, ita animæ vita conſeruatur continua Deo aſpiratione. Anima plus à Deo pendente, quàm corpore ab anima.

Probl. XXI.

QVARE in Euangelio habetur; Oportet ſemper orare: alibi verò multiloquium diſſuadetur in oratione, vt faciunt publicani?

Non poteſt per continuam orationem intelligi multorum prolatio verborum, labiorumq́; perſtrepitus, more Phariſęorum. At vti Deus eſt ſpiritus, ita ſpiritu poſsidetur & affectu, qui inter varia & diuerſa opera poteſt perſiſtere. Quoniam verò mens noſtra non poteſt otioſa conſiſtere, diuinaq́ue

que minimè ſe occupans in colloquutione, in varia elabitur & noxia cogitata; non poterat Dominus conſilium relinquere, vel ſuæ conuenientius gloriæ, vel ſaluti noſtrę.

Probl. XXII.

QVARE orantes quidam eadem ſæpe iterant verba?

Fortaſſe hoc fit ex flammigero affectu, quo primò vniuntur vniuerſę animę vires vni obiecto: hinc ibi moratur ſine tædio, & ſumma cum delectatione. Cùm etenim infinitę ſint diuina pulchritudinis, nedum tędio non afficiunt appetentiam ob continuam cogitationem, ſed & ſemper magis accendunt. Vnde de D. legimus Frãciſco, totam illum noctem duobus immoratum verbis. Ego quoque hominem noui, ſuper vnico myſterio menſes plurimos inſatiabili cum affectu perſeuerantem.

Probl. XXIII.

QVARE qui diu orationi operam dedere, dehinc deferbuerunt, fiunt illis peiores, qui nunquam Deum guſtauerunt?

Ita & fortaſſe intelligi poteſt Pauli dictum;

tum; Impoſsibile eſſe rurſus renouari ad pœnitentiam eos,qui cùm ſemel ſint illuminati, guſtarint etiam donũ cœleſte &c. denuò prolapſi ſunt. Quæ propriè eſt tepiditas: quam Deus magis horret,quàm frigiditatem. Vt enimquod nondum plenè fouit gallina ouum,à nidoq; preceptũ, ante quàm perfectum ſit animal, omnino fit ſterile & inutile: ita & opus eſt eũ qui manum ponit ad aratrum,retroq́; aſpicit, ineptum fieri regno Dei.

Prob. XXIIII.

QVARE ſæpe nonnulli magis breui proficiunt, quàm alij multis in annis; ſæpeq́; ille idem magis proficit in mẽſe,quàm in tota ætate ſua præterita?

Ad primum reſpondeo; multa ad profectum conferre: naturalis nempe diſpoſitio; qua bene vtentes, citiùs ad meliorẽ peruenimus gradum. Proſunt & periti duces, ſalutiferaq́; conſilia,modi exercitiorũ, perſeuerantia,auxilium fidelium amicorũ ſpiritualium: vti Paulus ſua confouebat diſcipulos præſentia.

Ad ſecundum; Vti, inquam, arborem

ſecando

ſecando, vltimo deijcitur ad terram ictu; non quod ſolus ſufficiat, ſed in vim multorum præcedentium. Ita & multi ad oratio nem exantlati labores, diſponunt referēdo fructui in vna die. Rurſum multorum fructus peccatuum nouiſsimo proditur mortis tempore.

Probl. XXV.

QVARE pernitioſa aliquando concedit Deus munera, prout in deſerto dando Hebræis carnes in ſaturitate: nonnūquam & vtilia denegat, vti pœnitentiam ſpreuit Saul & Antiochi?

Tametſi altiſsima ſint Dei iudicia; attamen dicere poſſumus, quòd quemadmodū electis etiam mala cooperantur in bonum, ita reprobis etiam oratio fit in peccatum. Cùm igitur reprobis munera conceduntur, fiunt, ob eorum prauam affectionē, exitialia: vti in Pſalmo habetur; Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum. Ita & cùm vtilia non conſequuntur, fit quia non bona ea inquirunt intentione: non enim amore iuſtitiæ, ſed pænæ timore tantùm.

Prob.

Probl. XXVI.

QVARE cùm oratione oraret Helias vt cœlum clauderetur, ſtatim fuit exauditus: volens dehinc vt cęlum daret pluuiam, multum eſt connixus: Ita & in filij viduæ ſuſcitatione: vbi videtur præpotentior in malo oratio, quàm in bono?

Legere eſt in Pſalmo, dum loquitur Propheta de Sanctis: Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum: Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Sunt itaq; pietatis diuinę miniſtri, ſimul & iuſtitiæ. Quoniam verò plerunq; homines aptiores ſunt flagello, quàm ſaluti, non mirum ſi minori negocio obtinetur: tametſi non ſit abſque pietate vindicta. Vt enim ait Apoſtolus; Dum iudicamur: à Domino corripimur: vt non cum hoc mundo damnemur.

Prob. XXVII.

QVARE clamant Sancti vindictam à Deo, vti inducit in Apocalypſi Ioannes, ſæpeq; id regius facit propheta?

Reſpondeo

Reſpondeo Sanctos aliò non reſpicere, quàm in diuinum honorem: hanc verò veram autumant pietatem. Quare Moſes occidendo pius, Acab parcendo impius ſunt exiſtimati. Bonum enim eſſet totum ruere mundum ſinere, quàm Deum iniuria afficere, qui poteſt vel ſexcentos creare mundos.

Prob. XXVIII.

QVARE cùm oraret Moſes aduerſum Amalecitas, vincebat populus: vbi deſiſtebat, præualebat aduerſarius?

Fortaſſe hoc eſt, quod ait Propheta: Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Ideoq; debet oratione implorari: quando non in exercituum robore, ſed in eius ſita eſt voluntate victoria.

Dici & poſſet, in pugna Amalecitarũ cũ Hebræis ſignificari bellum carnis & ſpiritus. De quo dixit Paulus; Gratia nos Dei, per IESVM CRISTVM liberatum iri: vt aſsidua oporteat eũ oratione implorari.

Prob. XXIX.

QVARE videbatur velle vim inferre

Deo

Deo Moſes, dum dicebat: Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti: vbi videbatur propriam periculo exponere ſalutem?

Deus, aio, ſumma eſt libertas: & tamen gaudet, hominem inuenire, qui poſsit illi obſiſtere. Vnde per Ezechielem indoleſcebat, dicens: Quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus cõtra me pro terra: ne diſsiparem eam: & non inueni. Ceterùm huiuſcemodi vis eſt iuxta eius voluntatem: ipſeq́ue met tantam orationi impartitur virtutem, vt poſsit eius obſiſtere furori. Neq; verò hinc anima quicquã patitur periculi, quoniam quò magis ex charitate ſeipſam cõtemnit, eo magis in Deo ſtabilitur.

Probl. XXX.

QVARE ſedulò agebat Abraham, rogãdo Deũ pro eius multiplicatione ſeminis, cùm hoc illi ſpopondiſſet Deus, iureq; iurando ſe adſtrinxiſſet?

Aio Deum eſſe immutabilem, non tamẽ orationem eſſe ſuperuacaneam. Orando etenim diuinæ impetrantur promiſsiones,

orandoq́; implentur. Planè ſi Abrahã oratione ſuperſediſſet, ſimilis fuiſſet eius populi multitudini, qui inuiſa promiſsionis terra ſepulti ſunt in deſerto: non vtiq; Deo promiſsis non ſtante, ſed cadentibus ipſis fide, ſpeq́; in illum.

Prob. XXXI.

QVARE nolebat Deus fruſtra Hieremiã pro populo orare, & tamen voluit Abrahã fruſtra pro populo Sodomorũ orare?

Dici poſſet, nunquam fruſtra eſſe orationem, quoniam ſaltem in ſinum proprij conuertitur auctoris. At volens Deus oſtendere vtriuſque peccata populi ad ſummum aſcendiſſe, pro vno orationem vetuit, pro altero ſpeuit. vtrobiq; verò ſuum comprobauit iudicium eſſe longè iuſtiſsimum.

Prob. XXXII.

QVARE orando Iudith conſilium cepit adeò periculoſum, ſe, pudoremq́; ſuum in manibus exponens Holophernis?

Nulli reſpondeo ſe obiecit periculo: orãdo etenim certior facta fuit euentus totius: idq́; iam impetrarat, quod poſtea patrauit. Vnde

Vnde poſſumus inferre,tutum non eſſe ope ra iudicare ſanctorũ iuxta regulas noſtras. præuident enim ſuperno finem in lumine, certoq́; confidunt id ſe aſſequuturos, mediaq́; eligunt admodum à ratione deuiãtia, iuxta humanum ſenſum: vt & hæc fecit, & Ioſue,dũ clangentibus tubis ruere fecit muros Hierico,alijq́; ſimiles multi.

Prob. XXXIII.

QVARE orando Heſter cor immutauit Aſſueri,ita vt vniuerſus eius furor in caput retorqueretur Aman, quo mox nõ erat illi alter charior?

Hoc eſt quod ſcriptura dicebat: Cor regis in manu Domini: quocunq; voluerit inclinabit illud. Orando itaq́; debemus ad illum confugere, etiam in his quæ humanæ ſubduntur voluntati. Tunc enim vtiliter ab hominibus quicquã impetrabimus, vbi prius fuerit impetratum,acceptoque lętum Deo.

Prob. XXXIIII.

QVARE orando iniungit Hieremias Hebræis, vt pro vita orent Nabucodono-

ſor,qui erat impius?

Hinc colligi poteſt, orationis virtus quã ſit magna,quãdo nedum ad pios,ſed & impios extenditur. Ita & Paulus mandat orari pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus. Quæ fructuoſiùs funditur oratio,quàm pro priuatis: cùm quòd bonum Principis in totius redundat emolumentum populi: tùm quòd maiori verſantur in periculo,quàm cæteri. Iudiciũ quippe duriſsimum his,qui præſunt, fiet, teſte ſcriptura.

Prob. xxxv.

QVARE cùm vellet prophetare, adhibuit pſaltem Heliſæus, quo pſallente ſpiritus eum arripuit propheticus?

Haudquaquam credendum hoc virtute factum muſicæ: ſed quoniam in pſalmo diuinæ concinebántur laudes, mens prophetæ eorum incaleſcebat virtute. Ex quo apparet eos non ſemper ſpiritu agi ꝓphetico.

Eadẽ poſſumus ratione intelligere quod ait ſcriptura de Saul: cuius non ita exagitabatur ſpiritus,diuinas Dauid pſallente lau-

des

des corã eo. Et fortaſſe hæc erat Dauidis vis in feras, & in Gygantem. nihil enim diuinæ obſiſtit uirtuti, quæ in oratione deliteſcit.

Prob. XXXVI.

QVARE orans obtinuit pro puero ſuo Giezi Eliſæus, vt Angelicũ aſpicere poſſet exercitum: ſimulque hoſtilem cæcitate percuſsit exercitum, qui venerãt eum comprehendere.

Fortaſſe hoc eſt, propterea quòd Angeli nõ niſi à mũdis corde videri poſſunt: quod datum eſt puero, præceptoris ſui oratione. Vnde infertur, fide vnius ac oratione alij ferri ſuppetias, ita internè, vti & externè.

Rationabile porrò erat oratione cæcari illos Heliſæi externè, qui intus erant cæci. Vti enim fides illuminatur: ita præcipitari meretur perfidia in tenebras.

Prob. XXXVII.

QVARE cùm oraret Dauid vt ceſſaret peſtis, peteretq; huiuſcemodi in ſe eiusque domũ retorqueri plagam; ſtatim factus eſt voti campos abſq; propria fraude?

Reſpondeo iuſtum fuiſſe eius pœnitentia populum liberari,quemadmodũ ex eius arrogantia fuerat percuſſus. Qui etenim ſe dignum iudicat vindicta, dignus eſt venia. Vnde & infertur peccata Principũ in populum redũdare, pariterq; eorum fidem & meritum veniã illis promereri: quemadmodum membra ſui participant qualitatẽ ac affectionem capitis.

Prob. XXXVIII.

QVARE affligens ſe afflixit Dauid in oratione,quò ſalutem ęgrotanti impetraret paruulo,quã tamen nõ erat impetraturus?

Hoc ideò,quia diuinam ignorabat volũtatem,à qua nõ intendebat recedere. Quare illa agnita per paruuli mortem,ſtatim ad templum adijt,gratiasq; egit Deo. Ex quo poſſumus intelligere, quemadmodũ fas eſt rogare ante diuinæ notitiam voluntatis, ita illa agnita,iure illi eſt acquieſcendum, gratiæq; agendæ infinitæ.

Prob. XXXIX.

QVARE non deſtiterunt quidam ſanctorum ab oratione, etſi ſæpe paſsi fuerint repulſam?

repulſam?

Hoc fieri potuit, vel quòd quicquam petebant iuxta diuinam voluntatẽ, puta quòd immunes eſſent ab eius offenſa: aut ſuperno ex lumine agnoſcebãt ita expedire: quo in caſu admodum laudatur importunitas. Quare laudat Dominus viduam, quæ aſsidua coegit interpellatione iudicem illi adminiſtrare iuſtitiam.

Prob. XL.

QVARE cùm iam exaudita eſſet Danielis oratio, reſiſtentem habuit Principem, Angelum nempe Perſarum, quò minùs afferretur illi nuncius?

Multa ex hoc loco colliguntur: primum noſtræ adminiſtros eſſe Angelos orationis: Vnde Raphael Deo offerebat preces Tobiæ: & in Apocalypſi videt Ioannes Angelum offerentem phialas aureas plenas odoramẽtorum, quas ipſemet interpretatur ſanctorum orationes. Proximè, ſæpe exaudiri orationem, nos verò id ignorare. Quare oportet perſeueremus, vti fecit Daniel: qui ſi orationi ceſsiſſet, nequaquam promeruiſſet petitionis videre complementum. Ad-

hæc, hinc concluditur, inferiores poſſe Angelos inuicem in proprio lumine diſcordare, à ſuperioribus verò diuinæ certificari voluntatis, in quam omnes pariter conueniũt. Habuit igitur propheta viſionem illam, vt diuinorum nonnullam habere poſſemus ſecretorum notitiam.

Prob. XLI.

QVARE, quid oremus, inquit Apoſtolus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus?

Reſpõdeo, ſpiritu nos ſemper ſurſum agi Dei, nos autem proprio illi obſiſtere põdere. quo vero magis eius præualet ſpiritus, eò magis eſt fructuoſa oratio. ab ipſo enim naſcitur & cognitio & affectus. Vbi igitur nos Deũ oramus, imperfecta ſit oratio oportet, quatenus ibi noſtri habemus. Nõ etenim diuinæ poſſumus, vt par eſſet, facere ſatis vocationi. Cùm verò in nobis orat Dei ſpiritus, tunc vtiliter oramus, efficaciterque nihil non impetramus.

Prob. XLII.

Quare

QVARE potius mouentur Sancti, vt pro vno orent, quàm pro alio?

Hoc fieri non poteſt, quòd ſint perſonarum acceptores, quando vel propriũ ament inimicum. Sed dicere oportet, noſmetipſos ignorare quid expediat in oratione peti. In qua, vt ſit frugifera, neceſſaria eſt particularis ſpiritus ſancti motio: qua ſine ſi velimus pro vno rogare, non pro alio, vel præſumptuoſi erimus, vel crudeles.

Prob. XLIII.

QVARE dixit Angelus ad Tobiã: Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna?

Dico hæc tria ſimul iure ſociari: tum quòd temperatum ieiunium animam diſponit orationi, vti à crapula præfocatur: tum etiã quòd eleemoſyna redditur efficax oratio. Non enim eſt aptus qui à Deo beneficia impetret, qui proximo ſuo eſt tenax & immiſericors.

Prob. XLIIII.

QVARE ſcriptum eſt in Eccleſiaſte, meliorem eſſe orationis finẽ, quàm principiũ?

Fortaſſe hoc fit, quoniam vti natura ſem

per ad perfectiora progreditur, ita & gratia. Quare in aſsidua oratione mens incaleſcit, exuiturq; importunis cõfuſis imaginibus, quæ initio occurrebant.

Hoc porrò adumbratum crediderim in admirabili Heliæ viſione: qui primò vidit tranſeuntem coram ſe ſpiritum grãdem & fortem, propriȩ nempe exiſtimationis; mox commotionẽ, quippe iracundiæ: cui & ſucceſsit ignis concupiſcentiæ. Cùm autem in ijs Dominum minimè inueniſſet; in ſibilo tantummodò illum agnouit auræ tenuis: in interiori nempe iubilo, poſt victoriam omnis affectionis, internè poſſeſſo.

Prob. XLV.

QVARE præparari iubet ſapiens antè orationem animam noſtram?

Fortaſsis hæc eſt præparatio, forte propoſitum non amplius Deum offendẽdi, qui eorum non audit orationes, qui in peccato obdormiunt. Aut dicere poſſumus, exercitium meditationis orationẽ prȩcedere, quẽadmodum cognitio affectum. Priùs enim oportet meditãdo mens introuertatur, dehinc diuino ſe ſtatuat colloquio. Hoc aũt dice-

dicebat Dominus in Euangelio: vt ingreſsi cubiculum, clauſo oſtio, patrem noſtrũ piè inuocemus: hoc eſt, omni ſecluſa cogitatione, in fundum nos recipientes noſtrum, ad diuinam pertingamus vnionem.

Prob. XLVI.

QVARE rogant Dominum diſcipuli, vt doceat eos orare?

Hinc colligere poſſumus, quanti ſit hoc negotium momenti, quamúe honorificum, quando præceptorem exigit Dei filium, Apoſtolosq; meretur habere diſcipulos. Aio igitur magnæ quippe eſſe difficultatis, primò mentem introuertere: poſtmodum magna accidere in hac vnitione pericula, ne lupum intromittamus loco paſtoris: poſtremò magnum eſſe prodigium, omni locupletem videre hominem virtute, deiectũ verò ac ſi omnis expers eſſet boni. Vt conficiamus, tali opus eſſe orationi magiſtro, nõ quidem ſemel, ſed in vnaquaq; mentis eleuatione. Tuncq; eſt cõſummata, cùm dux noſter Chriſtus nedum ei initium dedit, ſed & progreſſum; & ad finem vſque perducit, nempe ſeipſum.

Prob.

Prob. XLVII.

QVARE orando mens deijcitur, verã-q; acquirit humilitatem?

Reſpõdeo humilitatem & orationem ſe inuicem cõſequi, quemadmodum vapor & pluuia. E' vapore etenim in aerem ſubleuato, producitur pluuia: quæ in terram cadens, denuò gignit vaporem. Ita oratio humilitatem gignit: ſuperno enim facit lumine propriam agnoſci indigentiam. humilitate verò increſcit oratio, quoniam quò magis agnoſcitur neceſsitas, eò fortiùs imploratur ſubſidium.

Prob. XLVIII.

QVARE orando ſolemus ſanctos inuocare, qui noſtras non vident neceſsitates?

Reſpondeo, ſanctos, cùm ſint vniti trãſformatiq; in Deum, omnia in ipſo videre clariùs, quàm ſi coràm adeſſent. Omnia.n. in ipſo contemplantur: vti in ipſo verũ habent eſſe; etſi nos non poſsimus id capere. Vti enim ſydera ſubtus aquam conſpiciuntur, & tamen non ibi ſunt, niſi in vmbra: ita nobis videmur eſſe in nobis ipſis, ſed verè ſumus in Deo. Ita & qui Deo aſsiſtunt, in ipſo

ipſo omnia contemplantur. Quid enim, teſte Gregorio, non videbũt, qui ſemper vident omnia videntem?

Prob. XLIX.

QVARE cùm poſsit & norit Deus noſtris largè ſuccurrere neceſsitatibus, vult tamen ad ſanctos confugiamus ſuos?

Fortaſſe, quia nullibi clariùs Dei eluceſcit honor, quàm in Sanctis ſuis: Ita vt non ſua ſe fraudet Deus gloria, ſanctos glorificans: ſed prodit & auget ſui gloriam. Et, ſi dicere licet, omnem à Deo eſſe actionem, ipſum nempe in igne nos calefacere, illuminare in Sole; multò verius eſt ipſum nos audire, opitulariq; in ſanctis ſuis. Vnde Moſes pro vniuerſo impetrat populo, Cananęa pro filia, Centurio pro puero. Porrò cùm ſint eccleſia militans & triumphans idẽ corpus; conſequitur, capitis virtutem gradatim deſcendere in ſingula membra. omnis verò virtus eſt capitis, Domini nempe noſtri IESV CHRISTI.

Confirmatur, quoniam cùm infinitæ ſit Deus virtutis, non poteſt à nobis cognoſci vel participari, niſi mediantibus eius crea-

turis: quæ non aliud ſunt, quàm ſpecula, in quibus infinita virtus finitè reſplendet, & iuxta captum noſtrum. Vnde in primã reſplendet Deus intelligentiam, & per illam in ſequentem, & ita gradatim ad vltimam vſq;: qui & pariter eſt ordo in Sãctis in cęlo & in terra.

Prob. L.

QVARE ſæpe, intercedentibus ſanctis nondum in Canonem redactis, id impetratur, quod per redactos minimè?

Dici poteſt ſolam Dei virtutem in vtriſque operari. In Canonem autem eſſe redactum, ſanctitatem non auget, ſed prodit. Quoniam verò Deus iuxta fidem noſtram operatur: vti idẽtidem dicebat Dominus: Fides tua te ſaluum fecit: ideò ſua impartitur beneficia per eos, quibus maiori afficimur fide.

Dici etiam poteſt, conceptam in Sanctos fidem, quibus minimè tenemur, maioris afferre occaſionem meriti. Porrò cùm velit Deus aliquem glorificare ſanctorum, mundoq; prodere, fidem accipit noſtram, eaque vtitur, vti medio, ad eorum glorificationẽ.

Cuius

Cuius rei gratia, maiora edidere ſancti miracula initio, quàm poſt eorum clarificationem.

Prob. LI.

QVARE id ſæpe impetramus per minoris meriti ſanctum, quod per maioris minimè?

Fortaſſe quia Deus vult gloria afficere ſanctos omnes: ratio autem eos gloria afficiendi eſt, illis intercedentibus munera impartiri.

At præſtiterit dicere, ob ſummam vnionem quæ inter ſanctos intercedit, orante vno omnes orare, & vnũquenq; gloria gaudere aliena, æquè ac ſua. Quare meritum ſuperiorum in inferiores transfunditur, gloriaq; inferiorũ in ſuperiores redundat, glorioſoq; illo à conſortio procul abeſt omnis arrogantia & inuidia, infinitusq; tantùm ibi regnat amor.

Prob. LII.

QVARE innumera operatus eſt Deus miracula ad oſſa, reliquiasq; ſanctorum?

Dicere poſſumus, cùm ſancti propria fideliter

deliter rexerint corpora: quæ Paulus Chriſti appellat membra, & templum ſpiritusſancti; dignum eſſe vt etiam in oſsibus honorentur: præſertim cùm eadem glorificanda ſint in cœlo oſſa. Huius autem habemus in ſacris literis exemplum: oſſa nempe Heliſæi, quæ cùm ſorte contigiſſet cadauer quoddam, ſtatim rediuiuum ſurrexit. Vnde & colligitur, poſt mortem orare Deum Sanctos: nequaquam enim id operata eſſent miraculum oſſa, niſi ſpiritus orando obtinuiſſet Heliſæi.

Ideoq; ſurgente in eccleſia, magnus habebatur concurſus ad oſſa Sanctorum: vti de Agatha legimus. Quò enim ſunt Sancti de ſua ſecuriores gloria, eò ſunt de noſtra ſeduliores ſalute.

Prob. LIII.

QVARE dum orat eccleſia, ea Virgini attribuit nomina, quæ ſoli cõpetũt Chriſto?

Reſpondeo Chriſti & ſanctorum eãdem eſſe virtutem: ideoq; nõ inconuenit, vt idẽ ſortiantur vocabulum, vniuſque actio alteri tribuatur. Vnde Dominus diſcipulos vocat mundi lucem: quod longè veriùs locum

cum habet in Virgine. Quoniã verò præ cæteris vnita eſt filio ſuo Sanctis: ideò dicitur vita,& ſpes,& aduocata noſtra, & gratiæ mater, & inter Deum mediatrix & hominem.

Hoc autem non derogat his,quæ ait Paulus: Vnum nempe eſſe mediatorẽ noſtrũ, IESVM CRISTVM. quamuis enim vna ſit vitis,operatur tamen varios in palmites, per eosq; vim ſuam adminiſtrat, quæ cùm attribuitur palmiti,non tollit ſed confirmat vitis virtutem. Vti enim ab illa oritur eius virtus,ita & illi debet accepto ferri.

Prob. LIIII.

QVARE orantes maiorem ſentimus in Virgine fiduciam,quàm in filio?

Huius aſsignant Diui Anſelmus & Bernardus cauſam,quia in Virginẽ à filio deriuat diuina pietas,abſq; vllo iuſtitię terrore. At in filio licet attrahat pietas,terret tamen quod ſcriptum eſt; Iudicem eum eſſe adeò ſeuerum,vt rationem ſit exacturus de vnoquoque verbo otioſo. Quid autem miri,ſi magis præfidat reus in ſola pietate, quàm in ea,iuſtitiæ coniuncta: quando eadem eſt

diuina pietas in vtroq; , & filij, & eius matris tribunali?

Et fortaſſe hoc aiebat Dominus in Ioanne: Qui credit in me,maiora horum opera faciet: quod nõ aliud eſt,quàm dicere: Maiora per fideles meos operor, quàm p meipſum. Quare legimus vmbra Petri ſanatos fuiſſe infirmos,quod de Chriſto nequaquam legimus.

Prob. LV.

QVARE ad Virginem ait Eccleſia: Da mihi virtutem contra hoſtes tuos: ac ſi donaret illa,non verò tantũ impartiretur munera?

Reſpondeo Sãctos,ob vnionem cũ Deo, operari,vti Deum. Vnde in Paulo loquebatur, & operabatur Chriſtus: aliquando etiam non orando ſed imperando operabatur. Ita & Helias dum ignem fecit è cęlo deſcẽdere in quinquagenarios: Heliſæusq; dũ immiſit vrſos, qui dilacerarent pueros illos proteruè ſe habẽtes. quæ vnio cũ maior in Virgine intercedat, poteſt & efficaciùs operari.

Prob. LVI.

Quare

Qvare orat Eccleſia pro infidelibus, qui à Chriſto ſnnt diuiſi?

Fortaſſe, vt fiant fideles. Omnis.n.orando gratia impetratur. Quare dixit Dominus ad diſcipulos: Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Ita oratione Stephani (vt eſt quorundam ſententia) factum eſt, vt perſequutor Paulus fieret Paulus prædicator.

Prob. LVII.

Qvare vult Paulus ſingulariter orationes fieri pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt conſtituti?

Reſpondeo, bonum Principum redundare in vtilitatem totius populi. Quocircà pro eis fuſa oratio, eò eſt fructuoſior, quò ad plures ſe extendit.

Dici & poteſt quod ait ſcriptura: Iudicium quippe duriſsimum ijs, qui præſunt, fiet. Cùm itaq; maiori agant in periculo, maioris eſt charitatis, illis opem ferre oratione.

Probl. LVIII.

Qvare ſcribit ſacer Dionyſius, conſueuiſſe in primitiua Eccleſia fundi precem

pro mortuis: quem ſemper coluere ritum fideles?

Reſpõdeo cum Paulo, fideles oẽs vnum eſſe corpus. Vnde conſequitur, vti alimentum vniuerſa diffunditur in mẽbra; ita orationis virtutem omnibus communicari fidelibus. In gaudium etenim redundat beatorum. Vnde Angelus Deo offerebat Tobiæ orationem: auxilium porrigit viuentibus. Vnde Paulus rogabat oratione adiuuari: fert & opem vita functis, vti dictum eſt.

Prob. LIX.

QVARE magis promeretur, teſte Gerſone, quæ pro defunctis funditur, oratio?

Fortaſſe, quia maiori prouenit è fide, animam in ea confitendo poſt corpus viuere, dariq; locum purgatorium, qui naturaliter demonſtrari non poteſt. Dici & poſſet, orationem huiuſcemodi nunquam nõ eſſe fructuoſam: propterea quòd pro quibus funditur, ſunt in gratia, capacesq; ſunt ſuffragij, quod ſemꝑ nõ habet locũ in ſuperſtitibus.

Grauioribus etiam torquentur cruciatibus, cùm à Tartareis minimè differant, prę-

terquam

terquam quòd finis habent certitudinem, Poſſunt inſuper vicem ſuis reddere ſuffragatoribus, vbi coram Principe fuerint reſtituti.

Prob. LX.

QVARE ait Gregorius poſſe alijs, non ſibi, vita functos impetrare: adducitq; Paſcaſij cuiuſdam exemplum, qui miracula patrabat, & tñ in loco viſus eſt purgationis?

Reſpondeo, poſſe illos munera impetrare, propterea quòd ſunt in gratia, iuriſdictionemq; habent in cœlo: tametſi nõ poſſint per ſeipſos, cùm ſint pupilli, illam exercere. Quid autem hoc miri, ſi ſacerdos malus poteſt alijs impetrare, nõ vti malus, ſed vti Eccleſiæ miniſter? addictusque carceri debitor, beneficia poteſt à Principe promereri, ſoluens nihilominus contractum æs alienum?

Prob. LXI.

QVARE ait Chriſtus ad Apoſtolos, nõdum illos quicquam petijſſe in eius nomine: ac ſi difficile admodũ hoc ſit, & arcanũ?

Immò arcanum valdè eſt inquam, roga-

re Deum noſſe in filij nomine: quoniam vt ipſe ait; Nemo nouit filium niſi pater: nullaq; ſufficit Creatorem cognoſcere creatura, niſi quatenus ſuo ſeipſum manifeſtat ſpiritu. Si etenim hoc omnes perciperent ſecretum, ſtatim omnis exaudiri promereretur oratio.

Et fortaſſe non poteſt in nomine filij petere, niſi perfectè deiectus, & ad nihilum redactus, qualis erat Chriſtus: qui eò factus eſt humilior, quò erat præcellentior; deijciens ſe vſq; ad mortem Crucis, cùm Deus eſſet vitæ glorioſus.

Prob. LXII.

QVARE, cùm oraret Paulus, vt ab eo abſcederet carnis ſtimulus, nequaquam fuit exauditus?

Reſpondeo, ſi fidelis oratio non ſemper id impetrat quod petit, iccircò fit, quoniam maiora illi parat Deus. Neq; enim fuit hoc Paulo gratiam denegare, ſed adaugere. Nō enim aliud volebat, quàm perfectam cum Chriſto vnionem. hanc autem melius cōſequebatur per tentationem, quàm ſi ab ea liberaretur. Vnde ad illum Deus: Sufficit

tibi

tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.

Prob. LXIII.

QVARE ritè frequentata ſacramenta ſubleuant, incenduntq; animã orationi?

Fortaſſe, quia Chriſti continent virtutẽ, qua ſanantur animæ vulnera, inualeſcitque ſpiritus aduerſus carnem, vti dicebat Apoſtolus: Quis me liberabit de corpore mortis huius? & ſubiungit: Gratia Dei, per IESVM CHRISTVM. Ideoq; ſurgente in Eccleſia admodum frequẽtabantur. Sed deficiente feruore, redacta eſt appetẽtia noſtra ad carnẽ & ſanguinẽ, vbi non eſt inueni re regnũ Dei.

Prob. LXIIII.

QVARE altaris ſacramentum, præ cęteris, mentem excitat orationi?

Hoc ideò, quia ait Dominus: Qui manducat meam carnem & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Porrò cùm panis iſte è cœlo de-

ſcenderit,quid mirum ſi animam cęlo prouehit? Panis iſte,cùm ſit ipſe Chriſtus,noſtra eſt via, cœli iter oſtendens: noſter eſt dux,qui cùm ſit veritas, errare non poteſt: noſtrum eſt robur, quoniam vita eſt vera, animamq; paſcit ſapientia.

Prob. LXV.

QVARE dubia oratio eſt infructuoſa? Huius aſsignat D.Iacobus rationẽ: Poſtulet autẽ (dicens) in fide nihil hæſitãs. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur & circunfertur: hoc eſt,nihil habet in ſe firmitudinis. Debemus itaq; certò præfidere Deum nos audire; & velle,& poſſe omnia nobis donare: nihilq; eſſe,in virtute vnigeniti ſui,ita arduũ,quod non poſsit obtineri. Vnde in omnis clauſula orationis infert Eccleſia: Per D. N. IESVM CHRISTVM. per ipsũ etenim ingreſſum habemus,fiduciamq;, ad Deum.

Prob. LXVI.

QVARE ſolebat Dominus noſter à turbis ſe ſubducere,cùm vellet orare: docẽſq; diſcipulos orare;clauſo oſtio, dixit,cubicu-

lum

lum ingrederentur?

Haudquaquam credendũ, mẽtem eius, cùm Verbo eſſet vnita, paſſam fuiſſe quicquam diſtractionis: cùm perfecti homines poſsint orare ſemper in medijs mundi occupationibus: Moyſesq; orabat in ſexcẽtis negotijs. Hoc autem fecit pro nobis: quemadmodũ omnis eius actio noſtra eſt inſtructio: cùm paucisſimi reperiantur, qui non detrimentum ſentiant è curis exterioribus.

Fortaſſe & hoc confert perfectis: quãdo vti ſolitudo imperfectum ad ſuiipſius addu cit conſideratioñe, ita maiori ſubleuat perfectum lumini. Quare Moyſes, dum moraretur cũ Deo in monte, reſplenduit adeò vultus eius, vt nõ poſſet populus intendere in eius faciem.

Prob. LXVII.

QVARE patraturus miracula Dominus noſter, aliquando orabat, aliquando & non oranti parebant creaturæ?

Hæc fuit varietas in reliquis Sãctorum, quoniam plus minus erant deificati, operabanturq; iuxta varias ſpiritus ſancti motiones.

tiones. Perfectus enim in Dei amore, nũquã non orat, etſi externè id non appareat. At in Chriſto credere oportet; cùm verè eſſet Deus, propria illum auctoritate chariſmata diſpenſaſſe: cumq́; verè eſſet homo, oratione impetraſſe. Quoniam autẽ ambæ hæ naturæ non in ipſo erant cõfuſæ, ſed diſtinctæ, poterat ſimul & diſpenſare, & impetrare iuxta eius voluntatem.

Prob. LXVIII.

QVARE ſuſcitaturus Lazarum lacrymatus eſt Dominus in oratione: cæcumq́; illuminaturus ingemuit; neq; ſtatim totam illi contulit ſalutem, prout alijs plerisq́;?

Hoc erat argumentum non eius impotentiæ, ſed noſtræ diſpoſitionis: quæ ſi talis eſſet ad recipiendum, qualis ipſe ad donãdum, citò fieret omnis capax gratiæ. Fleuit itaq; ſuper Lazarum, difficultatem ſignificans operis: ingemuitq́; ad cæcum, fidei arguens defectum, iuxta quam ipſe miraculũ operabatur. quare creſcente intus fide, augeſcebat & foris illuminatio.

Prob. LXIX.

QVARE non fuit exauditus tempore

paſsionis,

paſsionis, cùm rogaſſet vt tranſiret ab illo calix ille?

Hoc, dici poſſet, ad noſtram eum feciſſe doctrinã, vt, quando orantes minimè exaudimur, inferamus, vt ipſe ait; Non mea, ſed tua fiat voluntas. Dici & poteſt, permiſiſſe illum, ſenſum partes ſuas exequi, qui naturaliter mortem horret: cohibuit tamen illũ ſub ratione, dicens: Spiritus quidem promptus: caro autem infirma.

Fortaſſe & præſtiterit dicere, illum nunquam non fuiſſe exauditum: prout patri dicebat ſuo. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis. Cùm autem petijt vt calix ttanſiret; non mortem detrectabat, ſed articulum illum, in quo cõflictabatur, agoniæ. Vnde alius Euangeliſta dicit: Orabat vt trãſiret ab eo hora. hoc autem obtinuit ab Angelo confortatus, vireſq; reſumẽs, quò vim poſſet ferre Crucis.

Prob. LXX.

QVARE volens in deſerto panẽ multiplicare, habet Euangelium, primùm orando gratias egit patri?

Fortaſſe hinc ſignificare volebat, bifariàm

riàm in nobis augeri diuina beneficia: primò vt ea Deo accepta feramus; neq; verò noſtris meritis, ſed eius aſcribamus beneficentiæ: mox vt & ea proximis ex charitate communicemus. Terrenæ etenim facultates in multos diſtributæ decreſcũt: diuinę aũt quò magis diſpertiuntur, eò magis augeſcunt.

Prob. LXXI.

QVARE cùm vellet in monte transfigurari (D. referente Luca) priùs orauit, deinde ſubſequutum eſt miraculum?

Aio, orationem perfectam omnes has in anima producere effectiones: primò eã reddit omnino luminoſam & prudentẽ; quod in eius adumbrabatur claritate vultus: dehinc donat legis cognitionem; in cuius indicium, Moſes & Helias cum eo colloquebantur: demum facit Dei filios; quare audita fuit vox patris dicentis: Hic eſt filius meus dilectus.

Prob. LXXII.

QVARE mortis recordatio animã prouehit orationi?

Hoc

Hoc fieri poſſet, quoniam internũ præpeditur exercitium à carnalibus affectionibus, quemadmodũ oculus à puluere. Quoniã verò mortis recordatio inordinatos abrumpit affectus, præ omni alia cõſideratione; cõſequitur, ab ea induci animã ad mũdi contemptum, diuinamq; delectationem.

Hinc fit, vt mors initiò terribilem ſe offerat: poſtea autem frequentando fit delectabilis. Difficilè enim admodum diſſoluitur anima ab eo, quod iuxta ſenſum amat. At vbi pio fit exercitio ĩternè libera, ſtatim immutat conſolationem vanam & corruptibilem, in veram & immortalem.

Prob. LXXIII.

QVARE nonnulli plus, nonnulli minus, orationis tempore in lacrymas compunguntur?

Fieri hoc poſſet ex habitudinũ varietate: prout nõnullos videre eſt natura deuotos, qui faciliùs poſſunt verã indipiſci deuotionẽ, naturæ ſuffulti auxilio. Poſſet & id agi, operante Diabolo. Vnde quidam à crapula ſunt deuoti, ad lacrymasq; prõpti. Quæ porrò veræ ſint lacrymæ, in hac vita deprehendi

hendi poſſunt veri ex additione feruoris. nõ etenim ſunt aqueæ, ſed igneæ. Mortis verò tempore agnoſcentur ex noua confidẽtia, quæ fideli inoritur: per quam verè percipit; Beatos eſſe, qui lugent.

Prob. LXXIIII.

QVARE nonnũquam qui abſunt, orationi ſe ſentiunt, eidemq; mouentur cogitationi?

Hoc fortaſſe fit noſtrorũ miniſterio Angelorum: qui cùm orationi adſiſtant, duos faciunt, vnum eſſe in Chriſto, ſpiritus, inuicemq; ſentiri: quemadmodũ membra inuicem dolent. Quoniam verò Chriſtus vera eſt vnitas, quò magis illi animæ vniũtur, eò penitiùs inuicem iunguntur. Hæc aũt vnitio magis ſentitur orando, quoniam tũc magis adhæreſcit anima Deo.

Prob. LXXV.

QVARE nonnũquam orant Sancti, ne tot illis Deus affluat chariſmatibus?

Reſpondeo, id eos facere, timentes ne in hoc mundo præmio afficiantur, multitudineq; chariſmatum obruãtur propria ex ingrati-

gratitudine.

Recuſant inſuper ſenſibilem gratiã, quò magis noſtro aſsimilentur Domino, qui oĩ derelictus fuit ſolatio paſsionis ſuæ tempore, nobis exemplum relinquens patri inſeruiendi ſuo gratis omni in certamine, prout generoſi faciunt milites.

Prob. LXXVI.

QVARE paucisſimi perueniunt ad cõtemplationis celſitudinem?

Reſpondeo, contemplationem delitioſam eſſe veritatis cognitionem abſq; labore, & diſcurſu ſeu inueſtigatione: quæ mentem orñat noſtram, repletq; omni pulchritudine, & diuina ſuauitate. Ita quòd præſupponit eam omni iam purgatam terreno affectu, redactamq; inſtar mundiſsimi ſpeculi, in quo diuina poſsit continenter ſe exhibere facies. Quoniam verò multi hoc opus eſt laboris, nimirũ ſi à paucisſimis poſſidetur.

Prob. LXXVII.

QVARE attenta actuum Domini noſtri, & præcipuè eius paſsionis meditatio, ad

ad altitudinē ſubuehunt contemplationis?

Ex hac veritate, per experientiam agnita, (vti per eā multi ſimplices perfecti euadunt contemplatores) colligere poſſumus, Chriſtum Deum eſſe, & hominem. Proinde cùm in eo iuncta ſit humanitati diuinitas, humanorum eius actuum conſideratio ad Dei ſubuehit contemplationem. Vnde canit Eccleſia: Vt dum Deum viſibiliter cernimus, per hunc in inuiſibilium amorem rapiamur.

Prob. LXXVIII.

QVARE nonnulli contēplando rapiuntur à ſenſibus, vt de Petro legere eſt, & Paulo, alijsq́; compluribus?

Reſpondeo, trifariàm poſſe euenire mētis exceſſum. Primò à paſsione melancholica, quæ ſæpe in oratione inualeſcit, adeoq́; præualet, vt præfocet ſenſuum actionem. hæc autem eſt phreneſis, ſeu menſis alienatio. Poteſt & hoc fieri agente Diabolo, qui adnittitur in eius mancipijs id agere, quod Deus in ſuis, quò illi aſsimiletur.

Verus autē exceſſus ex immodico fit diuino amore, quo adeò abſorbetur anima, vt

non

non id capere ſufficiēs quod amat, ſeipſam excedere cōpellatur. De quo exceſſu ſcribit Riccardus: ſi nondum eò peruēnit anima, nondum perfectè creatorem ſuum diligit. Huius porrò rariſsimi ſunt poſſeſſores.

Prob. LXXIX.

QVARE bonus exceſſus fit ſæpius in iuuentute, procedente autem tempore attemperatur?

Hoc duabus fit rationibus. Primò quia in iuuentute ſanguis exuberat, facileq; ſuccenditur: qui cum tempore deferueſcens, & ſi maioris ſit capax feruoris, non adeò tamen eſt impetuoſus, neq; omni agi ſe ſinit interno ſenſu.

Confirmatur hoc, quoniam vbi anima diuinis non eſt aſſueta ſplendoribus, modico perſtringitur lumine, in exceſſumq; pro rumpit. Ex conſuetudine autem fit habilis, quæ maius ſuſtineat lumen citra exceſſum, quàm antea cum exceſſu. Prout cernere eſt aſſuefactum quempiam multæ epo tationi, nō ita facilè ebrium fieri, ſicut alius qui ita non aſſueuerit.

Prob. LXXX.

QVARE in illis abũdant veri exceſſus, qui non venantur, immò fugiunt huiuſcemodi admirabilia?

Cùm fugiat anima, inquã, diuinas ex humilitate viſitationes, aptior fit quæ illas poſſideat. Quocircà timens Virgo Angelo aſſenſum præſtare, promeruit vt in illa confirmaretur ſpiritus ſanctus: vltimumq; eligens locum inter ãcillas, ad primum fuit ſublimata. Ita Petrus ſeſe ingerens, nimia cum ſuiipſius confidentia, ad ſectandum Chriſtum, negatione ab eo eſt abſciſſus. Porrò cùm ex humilitate dixit: Exi à me Domine: quia homo peccator ego ſum: dignus fuit, qui ei arctiùs vniretur. Deus enim quò eſt excelſior, eò magis humilia reſpicit.

Prob. LXXXI.

QVARE contemplationis ſuauitas omnem aliam incomparabiliter mundi excedit ſuauitatem?

Reſpondeo, contemplationem principaliter reſpicere creatorem, in quo omnes inueniũtur delitiæ. Sita eſt etiam in ſuprema

animæ

animæ noſtræ portione, quæ dicitur ſpiritus & vnitas,ſeu fundus,quò vniuerſæ vniũtur animæ vires.

Cæterùm id quod præ omnibus auget cōtēplationis delectationem eſt, nõ enim ſubtilibus Deũ reſpicit inueſtigationibus; vbi elaborat intellectus: ſed amoroſo intuitu,flammigeroq; affectu vniendi, transformandiq; in ipſum. A' quo dilatatur mẽs intuitu in ampliorem cognitionem: affectusq; magis abſorbetur in bonum illud ſine fine amabile.

Prob. LXXXII.

QVARE eximij cõtemplatores magnos ſentiunt cordis ardores, & vita periclitarẽtur, niſi virtute ſe cohiberent diſcretionis?

¶ Fortaſſe hoc fit, quoniam in corde adunãtur omnes ſpiritus, omnisq; ſenſuum virtus ibi ſtabilitur,tanquam in centro ſuo.

Dici & poteſt, ardorem ſpiritus in eam magis redũdare corporis partem, quæ ſubiectum eſt amoris. Quocircà in quibuſdã ſanctorum inuentum eſt cor, Chriſti impreſſum myſterijs, in quibus viuentes iugi-

ter & ardétiſsimo cum affectu immorabantur.

Prob. LXXXIII.

QVARE verus mētis exceſſus in pauciſſimis reperitur?

Hoc ideò, quia purgatā præſupponit vitam, diuq́; exercitam in ſuiipſius victoria: ad quam metā pauci pertingunt. Tametſi enim multi delectentur ſacris lectionibus, vel meditationibus, internisq́; cōſolationibus; paucisſimi tamen ſunt, qui vniuerſum exuant priuatum amorem, euincantq́; ſancto ipſorum odio omnem affectū & diſtractionem.

Prob. LXXXIII.

QVARE adeò breui raptus fuit in tertium cœlum Paulus, minimè expectata vitę anteactę purgatione?

Fortę tunc fuit purgatus, cùm factus eſt non videns ex mirabili viſione. Et quanquam breue fuerit ſpacium, fuit eò voluntas efficacior. Præualet enim forte propoſitum multis infirmis cogitationibus.

Dici & poſſet, anticipatam in ipſo fuiſſe

gratiam,quò vas foret electionis. Labores autem illi in poſterum fuere reſeruati: vt ipſe dixit: Quia abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autem &c.

Prob. LXXXIIII.

QVARE contemplator non iam vacat petendis à Deo muneribus, ſed iugi potius Deo habendæ gratiarum actioni?

Hoc ideò,quia perfecta transformat cõtemplatio animam in Deum. Quare cùm totum poſsideat,nihil eſt amplius quod deſideret, vel petat; ſed vt ſemper gaudeat, laudesq; Deo referat, compertum habens vti ſibiipſi non poteſt Deus chariſmata denegare, ſeue ipſum derelinquere,ita nõ poteſt deeſſe animæ in ſeipſum ex amore trãſformatæ.

Prob. LXXXV.

QVARE ſæpe trahitur cõtemplator vi ſpiritus,quò minimè cogitarat?

Reſpondeo,in oratione rationem præcedere affectum: in contemplatione aũt affectũ ducere rõnẽ. Ita vt anima nõ ſeipſam

moueat, ſed moueatur, feraturq́; iuxta diui nam voluntatem. Quo in actu adeò eſt libera, vt vim patiatur: adeoq́; vim patitur, vt perfecta gaudeat libertate.

Prob. LXXXVI.

QVARE poſt exceſſum contemplatoris mens aliquando meminit, aliquando nõ, ea quæ vidit?

Vbi contemplantur ea quæ naturali poſſunt lumine capi, manet in contemplante memoria. Vbi verò ſubleuatur anima ad id quod omnem humanũ ſuperexcedit ſenſum, ſibijpſi reddita, non poteſt reminiſci quod viderat; ſolumq́; manet ſtupor iocundus, in quo delitiosè anima natat & enutritur.

Prob. LXXXVII.

QVARE aliquando poteſt raptui obſiſti, aliquando ab illo vis infertur animæ?

Fortaſſe hoc fit ex conſuetudine: de qua iam diximus, fieri illa animam fortem, quæ diuinas ferat viſitationes ſenſibus minimè excedens. At præſtiterit dicere, in raptu

Deum

Deum animam plus minus attrahere, prout ſe præparat eius recipiendo influxui per profundam humilitatem. Porrò vbi ita fuerit diſpoſita, ſtatim ſuccenditur, veluti lignum aridum igni admotum.

Prob. LXXXVIII.

QVARE maius ſubeſt periculũ illi raptui, cui poteſt reſiſti?

Reſpondeo: Vbi anima poteſt raptui reſiſtere, neq; id facit, iam ſe exhibet arrogãtem: nouiſsimum non eligens, vti Chriſtus docet, locum. Quare non mirum ſi periculo ſe exponit, quæ illudatur à Diabolo. Verùm vbi ex humilitate fugiens, à Deo cõprehenditur, iuſtè ab omni præſeruatur periculo.

Prob. LXXXIX.

QVARE faciliùs pericula incidimus in affluentia ſpiritalium dulcedinum, quàm in inopia?

Feri hoc poſſet, quòd in ſuauitatũ abundántia magis inuenit anima, vnde ſibi placeat, guloſitatiq; indulgeat ſpiritali, proximumq; diiudicet. At in priuatione, com-

pati diſcit, demittiq́;. Hæcq́; forte eſt illa, quam Dominus in Euangelio beatam dicit ſpiritus paupertatem. Verè etenim eximia requiritur virtus, cùm externè interneq́; ca reas cõſolatione, in diuino haud remittaris ſeruitio.

Prob. xc.

QVARE perfecti vel ipſa vident contemplatores occulta cordis cogitata, eaq́; quæ abſunt negotia: vti de Eliſeo legimus, alijsq́; compluribus?

Huic facilis eſt diſſolutio q̃ſtioni: quòd transformata in Deum anima diuinas induat proprietates: Dei autem propriũ eſt omnia conſpicere. Cæterùm quò facilior eſt reſponſio: eò difficiliùs ad hunc pertingitur gradum.

Prob. xci.

QVARE viſi ſunt nonnulli, dum contemplarentur, inſtar ignis ardẽtes; prout de Arſenio legimus, Franciſco, alijsq́; compluribus?

Dici poſſet: quemadmodum in carnalibus hominibus anima tota fit carnea: ita in

veris

veris contemplatoribus incipit caro participare conditioni ſpiritus: ideoq; apparet ignea, cùm ſpiritu intus ferueat charitate ſuccenſo.

Fortè & hæc oſtendit Deus indicia, quò nonnihil guſtaremus ſcintillulæ cęleſtis gloriæ: vbi (vt ait ſcriptura) fulgebunt iuſti, ſicut Sol, in conſpectu patris eorum.

Prob. XCII.

QVARE conſpecti ſunt nonnulli Sanctorum corpore ſubleuati à terra: prout de D. legimus Franciſco?

Tametſi Angelico fieri hoc poſsit miniſterio: quemadmodum ſcriptum eſt: Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabũt te, ne fortè offendas ad lapidem pedẽ tuũ. Attamẽ meliùs dicamus: quemadmodum ſceleſti homines incipiunt guſtare hac in vita infernum: ita veri contemplatores arrham deguſtant paradiſi. Quoniam verò inter corporis glorificati dotes ſumma annumeratur agilitas, per quam ſtatim aderit, quocunq; anima volet; nil mirum, ſi ad nonnihil ſpatij poteſt modicè hac in vi-

ta id contingere, quod in futura perfectè & perenniter poſsidebit.

Probl. XCIII.

QVARE veri contemplatores nonnũquam facie immutãtur ab vno ad aliud extremum: quemadmodum à ſummo pallore ad ſummum ruborem?

Dici poſſet, hoc fieri iuxta internarũ motionum varietatem: quemadmodum videmus timore homines palleſcere, verecũdia erubeſcere, alijq; ſimiles externè apparẽt caſus, iuxta internam affectionem. Hoc porrò limpidius cernitur in contemplantibus, in quibus variatur caro, iuxta ſpiritum.

Prob. XCIIII.

QVARE nonnunquam poſt exceſſum verba loquuntur admodum irrationabilia?

Fortaſſe hoc fiat ex multa cum Deo familiaritate, quæ contemplando acquiritur. Ex qua gliſcente amore, deficit timor, & reueritio: quemadmodum dolet Abacuc, ꝙ Deus iudicium non faciat in terra. Iobque maledicit diei natiuitatis ſuæ: moxq; gratias agit Deo: Etſi me occiderit (inquiẽs) adhuc

adhuc ſperabo in eum. Vbi apparet talem deſperationem duplicatam eſſe ſpem: taleḿque conqueſtionem geminam eſſe laudem.

Prob. XCV.

QVARE nonnulli ex contemplationis exceſſu fiunt ſimiles pueris inſipientibus: obliuiſcunturq́; terrena omnia?

Nihil mirum ſi abſtractus in Deum intellectus reliqua obliuiſcitur, quãdo in corporis idem videmus oculo; cui poſt ſolis viſionem omnia tenebreſcunt, donec durat maioris impreſsio lucis. Quoniam verò ſumma Deus eſt puritas, cõtrahunt ex eius conſuetudine ſimplicitatem quandam innocẽtiæ: quæ, ſi ſemper duraret, animam redderet impeccabilem: Deusq́; illam nõ poſſet derelinquere, cùm ſibi ſit vnita, niſi ſeipſum quoq; derelinqueret.

Prob. XCVI.

QVARE videntur nonnulli in feruoris exceſſu amentes, dum vel ſaliunt, vel tremunt, vel erumpunt in voces inſuetas & mirabiles?

Reſpondeo: quemadmodum ſucceſus ignis neceſſe eſt foris appereat; ita cōcepta in corde flamma nequaquam poteſt cohiberi. Quocircà varios erumpit in modos, iuxta ſpiritus motionem,in verba, geſtusq́; excedentes. Fortaſſeq́; hac de cauſa exiſtimati sũt Apoſtoli vino ebrij: Diuusq́; ſcribit Marcus; cùm domi prædicaret Dominus,audierunt id ſui, & exierunt tenere eũ: dicebant enim: Quoniam in furorem verſus eſt.

Prob. XCVII.

QVARE nonnulli contemplatores nimis ſe laudant: nonnulli nimis ſe deprimunt: ſæpeq́; ſimul dicũt verba, & proprię laudis, & vituperationis?

Fortaſſe ita intelligitur,quod de D. legimus Franciſco: qui totam tranſegit noctem duobus iterãdis verbis. Quis tu deus meus: quis ego ſum? Quo nimirùm in exceſſu infinitam contemplabatur Dei magnitudinẽ: illiusq́; collatione clarè propriam perſpiciebat vilitatem: Vnde poterat eò magis ſibiipſi vileſcere, quò in Deo ſe videbat nobiliorem. Ita Paulus nunc ſe peccatorum

agno-

agnoſcebat primum : nunc proprias deprędicabat laudes. Vbi etenim ad ſeipſum reſpiciebat, vilius quicquam cernere non poterat : at cùm in Deo ſeipſum cõtuebatur : cogebatur ſeipſum, immò in ſeipſo Deum magnificare.

Prob. XCVIII.

QVARE raptus in paradisũ Paulus ignorabat, in corpore fuiſſet, an extra corpus?

Erat fortè hoc vnum ex arcanis illis, quę ibi audierat: quæ non licet homini loqui. Multa etenim vſque adeò capacitatem excedunt noſtram, vt offendiculum relata afferrent. Dici & poſſet, Paulũ ita Deo fuiſſe abſorptũ, vt nedum trãſcenderit, ſuperaritq; cręata omnia; ſed & ſeipſum quoq; : nihilq; aliud, quàm Deum ipſum, poterat percipere.

Prob. XCIX.

QVARE diuinis videtur in exceſsibus anima Deo indignari, amoroſaq; quadam corripi impatientia?

Hic, inquam, deficiunt verba, & conceptus: immò vt vnum exprimatur, verba aſ

ſumun

ſumuntur oppoſita: immodicoq; ex amore prorumpitur in indignationẽ: cauſæq; finguntur diſsidij, vbi ſumma eſt vnitio: ex odioq; creſcit deſiderium, & ab immodico deſiderio augeſcit odium: hic deficit ratio: perit iuditium: & viuit anima in impatientiſsima quadã quiete, eſurieq; ſatiatiſsima, ſtultaq; ſapientia,& caliginoſa luce. Quò ſi pertingit anima, dici poteſt diuina magis, quàm humana: cùm in ſeipſa iam non agat ex amore, ſed in Deo.

Probl. C.

QVARE perfecta ſita eſt cõteplatio in negotiorum multitudine?

Perrarus & mirabilis eſt gradus iſte: & fortè poſtremus, quò hac pertingi poſsit in vita. Propriũ eſt etenim Angelorũ, vt ſemp agentes, ſemper contemplentur: neq; verò opus ex contemplatione fiat imperfectum, neq; præpediat opus contemplationem: ſed immò vnum horum alterum confirmet promoueatq;. Verè ſtupenda eſt hęc vita: quæ ſimul & internè agit & externè: videturq; diuiſa, cùm ſit vnita: & abſq; cõturbatione mille ĩmoratur ꝑturbationibus.

Beata

Beata q̃ eò iã peruenit anima. E' diuina etenim conſuetudine faciẽ referet internã, cum Moſe, lumine illuſtratam: cumq; Elia in cœlum rapietur in igniuomæ curru charitatis. quò non iam verbis, ſed æſtuantiſsimis aſpirandum eſt deſiderijs.

A. P. A.

PIO LECTORI.

Si eorũ, quæ hactenus ſcripſimus, mi lector, quicquã demiraris, cùm ſupra humanã tibi videatur conditionẽ: ſcito, longè admirabilius fore, diuinorũ ſi exprimi poſſet magnitudo myſteriorũ, q̃ in perfecta inuenire eſt vnitione Deũ inter & animã. Vti.n.oẽm Deus incomparabiliter ſuperat ſapientiam noſtram: de ipſoq; non nouimus, quid ſit; ſed quid non ſit: ita de vnione inter Deum & animam nihil nouimus, præterquàm in ænigmate. Et illi quoq; ipſi, qui experiẽtia deguſtarũt, haud quaquã exprimere potuerũt. Ita poſt angeli viſionẽ factus eſt mutus Zacharias. Quod quãquã dicat Scriptura ob eius factũ incredulitatẽ: attamẽ & dicere liceat, diuina trãſcendere myſteria côce-

ptionem

ptionem omnem, nedum & verba: ſolumq́; ſacro reuerenda eſſe ſilentio, quo longè melius exprimuntur: quandoquidem ea ſaltem confitemur talia, quæ verbis non poſſunt comprehendi. Tunc verò iuxta eorum conditionem & præcellentiam apprehenduntur, cũ manent incõprohẽſibilia: ſi aũt perſuaſũ quiſquã haberet ſe ea cõprediſſe, iã vel hinc planũ faceret, ſe vix ea deguſtaſſe. Significatum hoc fuit in Moſe: qui poſtea quàm Deum vidit, cauſabatur ſe haud eſſe aptum, qui populum illum regeret; dicens, ex diuina factũ ſe collocutione impeditioris & tardioris linguæ. Enimuerò vbi exuberant verba, ſœpe deficit ſapiẽtia. Nõ etenim fas eſt homini alta loqui cœli arcana, quæ vel ab ipſis plenè non capiuntur Angelicis ſpiritibus. In immenſo ſiquidem ineffabiliq́; diuinæ vaſtitatis pelago ſemper eſt inuenire vnde proficiatur: ideoq́; ibi conſeruatur cum perfecta ſatietate & iuge deſiderium.

Si tñ deſideras tibi innuã, quę ſit oĩum baſis ac fundamẽtũ mirabilium, quæ operatur Deus in Sanctis ſuis: dico, Dominũ noſtrũ IESVM CHRISTVM, verum Deũ,

pro

pro nobis hominem factum; cùm ad operis ſui cōſummationem deueniret; ſuo vltimo in teſtamento, quando cum lacrimis orans patrem, ſuos illi commendabat diſcipulos; dixiſſe: Pater ſancte, rogo, vt ſint vnum: ſicut & nos. Non pro eis autem rogo tantùm; ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum ſint: ſicut tu pater in me, & ego in te: vt & ipſi in nobis vnum ſint: vt credat mundus quia tu me miſiſti.

Non crediderim ego linguas omnes poſſe vel minimā attingere arcani huius partem. Neq; verò demiror, quod de quadam legere eſt muliere: quæ huius generis audiēs ſermonē, haudquaquam cohiberi potuit carnis anguſtijs: ſed ſpiritus eius auolauit à corpore: non valens nimirùm aliàs guſtare, quæ diuina hæc foret vnitiò. ò ineffabile ſecretum. ò vis amoris immodica: quid fieri non poterit, ſi hoc potuit?

Deſine iam, ô anima mea, demirari copioſa, diſcipulis in aduentu paracleti conceſſa, chariſmata: Varijs etenim loqui linguis, & prophetare, & infirmos ſanare, parum conferunt: quin & huiuſcemodi con-

ceduntur reprobis munera. Hinc autē obſtupeſcere ne ceſſes: quî fieri poſsit vt vniatur creatura creatori, ea rōne, qua ipſe ſibi vnitur: illeq́: idem ſpiritus, qui tàm perfectè Patrem vnit & filium, vt vniti & vnitio eadem ſint eſſentia; animas quoq; noſtras Deo coniungat, in Deumq́; transformet, in Deoq́; uiuere faciat, vita, non iam mutabili; ſed immutabili: qualis eſt ipſe Deus.

Contemplare modum iſtius vnionis; videbisq́; illam modineſciam: metire hanc transformationem; inueniesq́; ſine menſura. Quò verò eſt magis immenſa; eo & eſt verior: quòd in prima celebretur veritate: quò autem verior, eo & perfectior eſt vnitio: quòd cum ipſa fiat vnitate vera, & veritate vna ineffabili.

Si hæc non credis; væ tibi: bene etenim Chriſtiani nō aliud te habere oſtēdis, quàm nuncupationem. Planè verò ſi Chriſtū fateris verè eſſe Deum & hominē: quare tibi videatur impoſsibile hominem fieri Deum, & verè eſſe hominem? quin immò hac tantùm de cauſa factus eſt Deus homo, vt homo in illo poſsit fieri Deus: fraterq́; eſſe Chriſti, & cohæres, & amicus. Deſine

eà mirari, quæ de tuo audiſti Domino IESV CHRISTO: quemadmodum ſanaret ægrotos, excitaret mortuos, calcaret vndas maris, adaugeret panem: cæteraq; id genus: ſed vniuerſum collige cor tuum; hocq; vnum obſtupeſce; Deum & hominem, vnum factum eſſe. Quicquid enim patrauit Moſes in Aegypto, & in ſolitudine: quicquid Ioſue, cæteriq; prophetæ: quicquid Apoſtoli, Sãctiq; omnes: nil ſunt huic collata. Hocq; è ſtupendo ac ſingulari miraculo, qui eſt Deus homo; educta ſunt vniuerſa, & antiqua, & recentiora miracula: infinitaq; id genus, & maiora educi poſſent: nunquam autem quiſpiam hominum quicquam patraſſet miri; ni diuinæ participaſſet vnioni: quæ adimpleta eſt in CHRISTO IESV.

Iam quidem verba non inuenies, tanto conuenientia promẽdo myſterio: ni in exceſſum erumpas. Dicerénе velis, hanc eſſe vnitionem, qualis animæ intercedit & corpori? immò immensè eſt maior. Dicerénе velis, creaturam, cùm creatori vnitur, creaturam deſinere eſſe: fieriq; creatorem? immò ipſa eſt creatura: neq; tamen minus

eſt creatori vnita; quòd iam non in ſeipſa ſit; neq; operetur, qualis in ſe: ſed viuit, operaturq; in creatore: in ipſaque viuit, & operatur creator. Dicere an velis, cùm ſit in creatore, cōuenire eam quoq; ad ſingula creatoris opera, tàm gratiæ, quàm naturæ? Eheu anima, non ampliùs: regredere deorſum: dumq; agis in corpore, ne ſuperſedeas vnquam referendis Domino tuo gratijs: qui tantæ te inſtituit promiſsionis hæredem: Ne diſtringaris huius indagādæ vnionis rationi: ſed vaca ſemper laudibus creatoris tui. Interim otiosè non habebis cùm patefacta habeas Domini tui vulnera in myſticæ huius vnitionis teſtimoniū. Hic nidum colloca tuum: huc transfer cogitationes tuas omnes: hoc ſolum te iuuet meditari: hic impende fideliter vniuerſas animæ tuæ vires. Iam conticeſce lingua balbutiens: tuq; deſiderium meum, inſtar fulguris coruſcantis, curre, & recurre ſemper me inter & creatorem meum.

EXPLICIT.

D. SERAPHINI FIRMANI,

CAN. REG. LAT.

ac prædicatoris excellentiſs.

De vera cõuerſione tractatulus prebreuis, & aureus: ad mulieres Pœnitentes, ſeu conuertitas quas appellant, S. Magdalenæ, Vincẽtiæ.

Pijſsimæ, ac Ven. Virgini, Ang. Paulæ Antoniæ, per Chriſtũ Cruci affixũ matri, cum primis colendæ.

SVPERIORIBVS diebus R. V. mihi iniunxit, nonnihil ſcriberem ſpiritaliũ præceptionum mulieribus Vincentiæ Cõuertitis; quæ dudum ipſa agẽte ad meliorem ſe tranſtulere vitam. Cuius noluit contraire voluntati: quanquam iuxta vulgarem ſenſum iure potuiſſem tale recu-

ſare pondus, quòd magis expoſceret diu exercitatum quempiam in luctu pœnitentiæ, quàm in arida commentariorum lectione. Attamen tantum abeſt vt velim veſtræ non morem gerere voluntati: vt & omnino paratus ſim id libentiùs aggredi ponderis, cui me minus videbo parem: cùm perſuaſum habeam, non aliud eſſe, me ſupra vires à vobis prægrauari; quàm impetrari mihi à ſponſo veſtro duplicatas vires; aptioremq; me fieri maiori ferendo oneri, quàm imponatis: vt dicere poſsim, omne mihi veſtra fieri leue virtute pondus; quòd non à me ſuſtineatur; ſed me potius ipſum ſuſtineat.

Cæterùm non hinc amplius. Spero etenim maiori me ſemper vobis aſtrictum iri obligationi. Cùm neſcirem quánam ratione veſtræ facerem ſatis voluntati; me conuerti ad legenda ex Opuſculis R. F. Baptiſtæ Cremenſis, nonnulla. Ex quibus clarè perſpexi; ſi de eius doctrina, ſimul & pietate, tanta cum laude verba facitis; nó quidem vos mouet obſtinatio, ſed purus veritatis zelus. Vtinamque pia vſqueadeò doctrina à ſpiritalibus agnoſceretur, operique

man-

mandaretur. Eò etenim maiori haberetur venerationi, quò à plerisq;, ob modicã rerum diuinarum cognitionem, cõtemnitur. Hac igitur mea in Operula ſi quicquã erit quod veſtræ faciat ſatis voluntati, iam noſtis vnde ſit: vt vobis nõ immeritò gratum eſſe poſsit. Verè etenim hic fateor nõ aliud me appoſuiſſe, quàm colligendi laborem, aridamq; ſtyli cõpoſitionem. Quare aliud non expecto præmij, quàm vt agnoſcam, quàm à vera abſim Chriſti Cruci affixi imitatione. Quem nunquam nõ pro me exorabitis: prout in illo iugiter viuit ſpiritus veſter.

R. V.

Addictiſsimus, Seraphinus à Firmo
Can. Reg., & Prædicator.

De diuina vocatione. C. 1.

Quandoquidem dilectæ filiæ, Crucifixi benignitas à peccati vos ſorde ad ſuum dulce pertraxit iugum; æquum eſt, vt recogitantes ſtatum veſtrum priorem, necnon & præſentem: quàm ille fuerit abominabilis,

iſte iucundus; referatis à vobisipſis confuſionem, à Deo conſolationem; qui ſua vicit bonitate malitiam veſtram. ô quàm magnum eſt, cui aſtrictę tenemini, debitum. ô quàm bene dicere poteſtis, quod dicebat propheta: Niſi quia Dominns adiuuit nos, paulò minus habitaſſent in inferno animæ noſtræ. Recordàmini filiæ meæ, non grauius fuiſſe peccatum laſciuorum Gigãtum ante diluuium, quàm veſtrum: neq; Sodomitarum, vel Gomorrhæorum: & tamen illi aquis, iſti igne periere. Vos autẽ vtroq; à flagello nedum præſeruatæ, ſed & in tutũ prouocatæ, adductæq; eſtis caſtitatis portũ. Legere eſt de Noe, virum illum fuiſſe iuſtũ: Lothq; inter nequiores illos erat ſine peccato. Nihil igitur mirũ, ſi ambo à Deo ſunt præſeruati. Quàm verò vos afferre poteritis iuſtitiam veſtram, quare tale Deus vobis indulſerit beneficium, vt vos à miſera Diaboli ſeruitute ad felicem gratiæ ſuæ vocaret libertatẽ? Certè equidem maius fuit vobis impenſum beneficium, quàm tribus pueris in ardenti preſeruatis fornace ab incendio: quando in peiori peccatorum flamma vos detinebat Sãtan ſepultas.

Si

Si defenſus fuit Daniel à Leonib': & vos, à Diabolo iam ferè deglutitę, fuiſtis à benigna Crucifixi Chriſti manu recuperatæ ab eius faucibus: quin (vt rectiùs loquar) cùm in ventre iam abſorptæ eſſetis tartarei ceti, denuò diuina eſtis largitate ad vitam reuocatæ, adductæq; in terram tutam pœnitentiæ: vt nedum veſtras poſsitis ſaluare animas; ſed & veſtro, cæteros prouocare pœnitentiæ, exemplo. ô pietas verè infinita in vobis agnoſcitur. ô vis magna charitatis Chriſti: quî iam nos poterimus tanto illius vicé rependere amori: quando vbi nos exuberauimus in peccato, ipſe exuberauit in gratia; ſe ex noſtra oſtendens malitia meliorem? Hoc ego verò ampliùs demiror, quàm vniuerſi creationem. Si etenim infinitam oſtendit in creatione potentiam; in peccatoris iuſtificatione, potentiam ſimul oſtendit, & miſericordiam infinitam.

Hæc volui vobis ſcripſiſſe, filiæ meæ, nó quò perterrefacerem, ſed vobis anſam præberem, nedum beneficio potiendi quod vobis Deus indulſit; ſed & indiès magis vos aptandi ad maiora recipienda chariſmata: quandoquidem Deus, cùm ſit ad dandum

copioſior,

copioſior, quàm vos ad ſuſcipiendum; indignetur, cùm vos videt magis ad infirmiſsima veſtra reſpicere promerita, quàm ad im mēſam eius liberalitatē. Deſiderio itáq; deſiderans vt in melius ſemper proficiatis, cō pendiò nonnulla collegi documenta: quæ attendentes, victoriam referre valeatis de hoſte: diuinæq; auxilio ſuffultæ gratiæ, eò ſublimiorē peruenire ad virtutis gradum, quò peiori è peccatorum conditione à Deo eſtis euocatæ: vt in vobis glorificetur, quēadmodum in Magdalena, & Paulo: quibus extitit culpa pręterita maioris occaſio profectus.

Quî vincatur deſperatio. C. II.

PRIMA hoſtis pugna, quàm vos ſuperare oportet; à ſpiritu infertur deſperationis: quæ ni obtineatur; peiori, quàm antea, vos fine concludet. Suadere nititur hic ſpiritus, fieri haud poſſe, vt victoriam referatis de peccato. Hoc autem iccircò molitur, vt ad mortem vſq; ſuis implicitas vos detineat catenis: ſciens nimirùm nūquam id vos cōſecuturas muneris, quòd minimè

ſperatis.

ſperatis. Et ſi quidem nonnihil in vobis videt deliberationis; ſtatim pugnam ingeminat; quò penitus cedere vos cópellat operi.

Aduerſus hunc, filiæ meæ, ſpiritum, armemini oportet firma diuinæ pietatis conſideratione: cui maior irrogatur deſperatione iniuria, quàm cæteris ſimul omnibus peccatis. Heu, quàm patri diſplicet noſtro, illi aſcribi, quòd non poſsit, vel neſciat, vel nolit nos ſeruare. Si etenim ſumma ipſe eſt ſapientia, ſumma potentia, ſummus amor: quî deſperabimus nó aliqua ex iſtis illi præcepta præcellentia?

Scitote, odio Deum illos habere, qui ipſi non confidunt: ita & qui ſunt puſillanimes. Quemadmodum filijs indignatus eſt Iſrael, quòd extimeſcebant terram ingredi promiſsionis, propterea quòd gens illã cuſtodiret bellicoſa. Neq; etenim Deum credentes illis robuſtiorem; haudquaquã meruerunt illam poſsidere. Cótrà verò Deo placent qui proprijs diffiſi viribus, illi innituntur: quemadmodum dicebat propheta: Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

Operit ſe puſillanimitas pallio humilitatis:

tis: & inquit: Tantam ego hadquaquã mereor perfectionem: digna nõ ſum, quæ ſim ſancta: ſatis mihi, ne me trudat Deus ad inferos: mea omne promerentur malũ peccata. Quis iam nón crederet hæc ex humilitate prodire verba? Ego verò affirmo ex gemina procedere ſuperbia, priuatoq; amore: quòd non illam velint nudam amplecti Crucẽ, infinito cum deſiderio: ſed perſiſtere volunt in peccato. Huiuſcemodi, verè ſi eſſent humiles, dicerent: Ego volo penitus eſſe ſancta: quoniam, quò ero ſanctior, ero & humilior: voloq; meum, præ creaturis omnibus, honorare creatorem; quòd ſupra omnes, illum offenderim, iniuriaq; affecerim, creaturas. Hoc, modico cõtentum eſſe, ex corde proficiſcitur ignobili: quod quidem non omne vult miſſum facere peccatum: cùm hinc deſiſtere non velit, nempe, vt, quanto fieri poteſt, Deum honore non afficiat.

Huc vos fortaſſe: Si tanta nos admiſimus tamq; horribilia peccata: non'ne temeritatis eſt, & arrogantiæ inſignis, velle illis æquari, qui nulla, vel tàm leuia admiſere, vt, noſtri comparatione, dici poſsint innocentiſsimi?

tiſsimi? Non'ne æquum eſt, deſcrimen haberi, Virgines inter & proſtitutas? Ego verò, filiæ meæ, reſpondeo: non mea quidem ſententia, ſed Euangelio id atteſtante, de peccatrice: cui remiſſa fuerũt peccata multa: quoniam dilexit multum. Vbi ſubijcitur: Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Igitur dimiſſa in cauſa ſunt peccata, quò maiorem impetremus gratiam. Non igitur multitudine deſperandum erratuum: ſed adnitendum, vt pœnitentia emendemur, lucroque id conuertamus quod fuerat detrimento: quando diuina pietas è noſtro malo, maius elicit bonum.

Si dicerem vobis, quò Deus vos inuitet perfectionis, cum omnibus culpis veſtris; tametſi vel omnes mundi culpæ in quališbet veſtrum colligerentur; non facilè mihi fidem accommodaretis. Veruntamen me cogit charitas, non omnino reticere. Dico vobis, niſi per vos ſteterit, fieri poſſe, vt charitate Martyres adæquetis, puritate Virgines, contemplatione Anachoritas, & Monachos, innocentia qui in matris ſanctificati fuere

vtero.

vtero. Hoc porrò quò maiori vobis videtur admirationi,eo id Deus facit libentiùs: quòd mirabilis ſit in operibus ſuis ſemper: itaq; glorificatur, & agnoſcitur. Cumque omnis,quãtum fieri poteſt, illum teneatur honorare creatura; partium & veſtrarum eſt,idem facere: cumq; dignetur ipſe gloriam referre immedicabilibus ſanandis vulneribus; infinitamq; ac largifluã eius oſtẽdere liberalitatem in peccatoris iuſtificatione; haud debetis & vos tãto deſpoliare bono,& Deum ipſum tanta fraudare gloria.

Contrà ſi adducetis veſtrorum deformitatem peccatuum; ego verò pulchritudinẽ adduco gratiæ: quæ nimiiùm eſt præpotentior in inſtauranda anima, quàm peccatum in euertenda. Si Dæmonia dicetis aduersũ vos inualuiſſe; ego verò dico vobis adeſſe & Angelos,& beatos omnes, numero, virtuteq; incomparabiliter ſuperiores. Si vos terret quod ait Chriſtus,nedum grauiſsima peccata, ſed & otioſum omne verbum in extremo diſcuſſum iri iudicio; audite & illum,vbi inuitat dicens: Venite ad me omnes,qui onerati eſtis: graui nempe peccatorum ſarcina; & ego reficiam vos. Si vos

per-

perturbat peccatorum grauitas, multorũq́; animæ veſtræ vulnerum; reſpirate contẽplandis eius vulneribus: quæ, veſtri ſanandi gratia, ſuſtinuit: cumq́; tot eius cruciabilium cauſa fueritis dolorum; ne velitis & cæteris ſuperaddere deſperationem: ſæpe recogitantes, plus illi irrogaſſe iniuriæ infelicem Iudam deſperando, quàm illum nundinando. illo ſiquidem in ſcelere, vitam illi ademit corporis: at hic vel diuinitatẽ ipſam: peccatum credens ſuum ſuperexcedere infinitam filij Dei benignitatem.

Si perfectè peccatum odiſtis, propellite illud à vobis, quàm fieri poteſt. Si perfectè vultis propellere, adhærete Deo omni conatu. Hoc porrò facietis, proponẽtes velle illum ſupra quàm fecerint Virgines, honore afficere. Ipſemet enim atteſtatur, gaudium eſſe in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonagintanouem iuſtis: qui non indigent pœnitentia. Iam firmo cum propoſito ſi hac quotidie ſtabiliemini in ſententia, ego me vadẽ ſpondeo, qui veſtrorum reddam Chriſto rationem peccatorum omnium. ô felix pœnitentia, quid tibi impoſsibile eſt? Tu hu-

mano

mano reddidiſti ſenſui Nabuchodonoſor, qui pauloantè præ ſuperbia beluam induerat, ut fœnum ueluti bos agri comederet. Tu breui peccatum deleſti Dauid prophetæ:neque ablatæ illi fuerunt diuinę promiſſiones,Deoúe minus fuit, quàm antea, acceptus.Tu ſentētiam retractaſti,iam pronuntiatam in populũ Niniues.Tu è perſecutore ſtatim prædicatorem, eq; ſuperbo Saulo humilem feciſti Paulum.Tu modicis lacrymis diffamatam peccatricem reddidiſti ſanctiſſimam: quæq; dudum erat ſocia Dœmoniorum, illam ſummæ matri ſociaſti Dei. Tantæ tu es uirtutis, ut & malignum in bonum conuertas peccatum:quando, te intercedente,ubi magis abundauit culpa,magis abundat & gratia: quiq; erant Dæmonia, fiunt Angeli:luxurioſi fiunt caſti;& ut breuibus comprehendam,non minus eſt ille felix, qui tibi adhæret: quàm qui nunquam peccauerunt.

De ſpiritu fornicationis. c. III.

VBI firmo ſinceroq; propoſito à uobis propuleritis ſpiritum puſillanimitatis; iãq;

non impoſſibile reputabitis, ueram acquirere perfectionem; ſed immò illi toto anhelabitis affectu; tunc præſtolamini filiæ meæ acriores ab inimico, quàm antea unquam, inſultus. Conſueuit enim eos acriùs impugnare, qui ſe accingunt ut uiriliter obſiſtāt. Quoniam uerò diu implicitas uos tenuit immundæ catena luxuriæ; inde adnitetur uos aggredi, unde uos ſæpenumero inuenit infirmiſſimas. Qua in re uos adhortor uiriliter agere: tot pollicens uobis in cælo coronas, quoties de illo uictoriam referetis.

Putidus iſte ſpiritus ſæpe aperto ingreditur Marte; & ex omni uos impetit latere: cor primò obſcęniſſimis fuſcans imaginibus: Dehinc dormiētes turpiſſimis uos perturbat ſomnijs: membraq; ad fædas impellit motiones. Hoc autem nititur, ut tali perterrefiat animus difficultate, ſalutiferæq; renuntiet pęnitentiæ. Hic iam dignoſcitur legitimus fidelisq; pugnator, ab infido & deſide: legitimus etenim fidelisque haud expaueſcit: quin īmò magis roborat̃: & licet multa referat uulnera, non cedit tamen: ideoq; haud dici poteſt victus; cùm deficientibus viribus non deficiat animus:

neque verò gloriari poterit ſe victorem aduerſarius; niſi vbi volens cedit. Verùm iners miles & minimè fidelis abijcit arma, nempe fidem & orationem: victoriamq; deſperans, fit omnino victus.

Hic vos adhortor eos imitari,qui vrbem obſidione circuncingunt: qui quò eã euincant, commeatus illi intercludunt, & adimunt propagnacula. Ita & vos corpori ſub trahite veſtro immodicum & cibum,& ſomnum: cohibeteque ſenſus omnes veſtros. Sunt etenim animæ feneſtræ: vnde ignitis Diabolus eam percutit concupiſcentiæ iaculis.

Aequum igitur eſt, filiæ meæ, quò ab illicitis caueatis,licita etiam dimittatis: omneq; horreatis diſtrahens, otioſumúe verbum: ſæpe recogitãtes nimis vobis eſſe vnde lugeatis, ſi anteactæ vultis facere ſatis vitæ. Hoc dixerim, quoniam nonnihil ſemper procurat anguis Tartareus aditus in animam noſtram: verbumque offert quodpiam, ſub ſpecie recreationis: poſt quod prolicit & diſtrahentes vt audiamus fabulationes: ſenſimq; aufert mentis vnitionẽ: dehinc pugnam renouans carnis, deſpera-

tioni nos adigit. Ideò opus fuerit, dum infirma adhuc eſt tentatio, penitus obſiſtere. Vbi etenim inualuerit morbus, vireſq; defecerint noſtræ, fruſtra illum depellere adnitemur.

Quoniam uerò arcem potiſſimùm obſidet cordis; hüc oẽm oportet adhibere induſtriam: uti in Canticis ait Canticorum: Pone me, ut ſignaculum, ſuper cor tuum. Ita ſi hunc optàtis expugnare ſpiritum; obſignate cor ueſtrum continua Chriſti Crucifixi recordatione: inſculpãtur eius uulnera mẽti ueſtrę omni in actione, & motione: comedentes ad ſingulum morſellum in ipſum reſpicite: bibentes non obliuiſcimini fel & acetum, quo in extrema ſua ſiti fuit potatus: loquentes, ad uerbum quodlibet, eo oculos reuoluite: eiuſq; è uulneribus, infrugiferũ diſcite uitare ſermonem: cùm inceditis, uel quidpiam agitis, nunquam non poſſim uos aſociet. O quàm uobis erit facile, hunc ſuppeditare ſerpentem: ſi caput, hoc eſt primas eius ſuggeſtiones, baculo allidetis Crucis. Hinc dicebat Auguſtinus, efficatius ſe non inũeniſſe remediũ aduerſus tentamẽtá omnia, quàm uiuidam uulnerum Crucifixi re-

cordationem:ibi delitefcit anima; ſitq; tuta haud poſſe Diaboli patere inſidijs.

Aduertite,filię,multiformem admodum eſſe fornicationis ſpiritum: & ubi una non poteſt fallere uia,ad aliã aggreditur. Hinc pauci illum euincunt:petitq;Eccleſia à ſpiritu liberari fornicationis:innuens nimirùm minimè uniuerſas noſtras ſufficere uires illi debellando. Peſſimus iſte imiſcetur coloribus:quicquidq; pulchri uidemus,laſciuiæ conuertit: inſerit ſe odoribus,& ſaporibus: ſe offert omni tactui,& motioni, & actioni: quare ægrè euadit anima ab eius inſidijs; cùm inferne obſideatur & ſupernè, intus & foris, à dextris & à ſiniſtris. Nil mirum, ſi Sampſon à natiuitate ſanctus, Dauidq; diuinorum plenus chariſmatum, & Salomon à Deo dilectus, decepti ab eo fuere: multiq; eremicolæ poſt innumera pænitentiæ opera, multaq; diuinitus accepta munera, huic impegere laqueo: ſed quidem illi ſunt demirandi, qui ſingulari inde euaſere priuilegio: quando hoc deuicere in certamine Satanam, carnem, propriamq; ſimul naturam.

Sæpe ſe offert ſub ſpecie Diſcretionis:

horta-

hortaturq; ne atteramus corpus; quò in diuino poſsimus perſiſtere famulatu: unaq; cum neceſſario introuehit & ſuperuacaneũ; cumq; inualuit ſuper ſenſu quopiam, ſatagit & alium corrumpere: neq; vero ſtatim audet pœnitenti ſe prodere: ſciẽs nimirùm ſe propulſum iri: ſed vti auceps ſua tegit retiacula: ita ille ſuam celat fraudem. Vti Dinæ fecit, filiæ Iacob: cui immiſit, mulieres, egrederetur, vt inuiſeret regionis illius: cumq; vidiſſet eam Sichem, vi oppreſſit. Vnde indignati eius fratres, Sichem occidere, cum omnibus ſuis, depopulatiq; ſunt ac vaſtauerunt terram illam. Quis iam tantum ſperaſſet exitium modico usqueadeò ab initio? Ita agit malignus, cùm ſuadet viros inſpicere; aitq;: quid iſtoc mali eſt? malo non intueor fine. ô filiæ, ſi fieri vultis caſtæ, paciſcimini cum oculis veſtris, ne in quemquam vnquam eos figatis. Oculus etenim hominis virulentior eſt oculo baſiliſci: animamq; occidit diuinæ factam imagini.

Si hinc fallere non poteſt; immodicæ adhortatur abſtinentiæ: magnamq; ſuggerit vim lacrymarum: interimq; omittit

nos impugnare. Vbi verò nõnihil nos videt ſecurè agentes; aduocat ſibi auxilio inanis ſpiritum gloriæ: quo ſuademur, nihil iam nos vereri caſum; acſi deperiſſet concupiſcentia omnis: Tum verò duplicatis aggreditur viribus: eoque periculoſiùs nos impugnat, quò minus eramus cauti. Porrò hanc ſi vultis vitare decipulam; dum in carne habitatis, & ſpiritus hos regit artus, nunquam vobis præſidite ipſis. Haud etenim ſpiritus iſte dici poteſt reſtinctus, donec vel minima in nobis viget priuati ſcintilla amoris; ſoluſq; perfectè humilis, ſibiq; ipſi ad nihilum redactus, perfectè hunc triumphat. quò pauciſſimi ſanè pertingũt.

Tacere haud volo ſubtilem ſpurci huius Diaboli aſtutiam, qua in ſpiritalibus vtitur hominibus, ſub ſpecie ſpiritalis beneuolentiæ. Principiò etenim præ ſe fert profectus deſideriũ: dehinc ſenſim paulatimq; caritas inflectitur in adulationem: ſpiritusq; fit caro. Hoc autem in diſceſſu deprehenditur. Mens etenim manet confuſis plena imaginibus, anxiaq;, & deſideranter reditũ expectat. Hic porrò certa non poteſt dari regula: quando & inter ſanctos intima in-

tercesſit

terceſſit affectio ac beniuolentia. Hinc autem dignoſci poteſt. Vera etenim charitas amorem inducit contemptus, aſſiduę orationis, ſolitudinis, & profectus: animamq; reddit tranquillam, puritatisq; amatricem cuius oppoſitum facit carnalis amor. Sed tuti fuerit conſilij; dum tenelli ſumus, ne accedamus ad ignem. Si etenim longè aberimus, non periclitabimur: ſed quidem, nimis accedentes.

Vſqueadeò maligna eſt hæc vipera, ut audeat etiam ſanctis ſe immiſcere Sacramẽtis. Quare ſæpe Confeſſioni inducit peccatorum, non quidem peccati odio; ſed quò quis habeat vnde rememoretur præteritas delectationes; denuoq; ita poſsit excitare titillationem. ò quàm præſtiterit, quod ſemel ritè hac in materia confeſsi ſumus, perpetua ſepelire obliuione, quàm cum periculo retractare. Iſte quò magis immiſcetur viſcus, eò fit tenacior. Si vis ignem reſtinguere, ne illum attrectes: ita enim in maiorem erumpet flãmam: ſed terræ illum obuoluas. Haudquaquam poſſunt hæc ore retractari verba, quin mentem inficiant. Hic igitur tutum nobis fuerit, non admodum

eſſe ſcrupuloſis, ſi velimus victores eſſe.

Nonnulla huic remedia vitio. c. IIII.

Tametſi ex his, quæ diximus præcedenti in capite, ratio haberi poſsit deuincendi ſpiritum fornicationis: attamen ſuſiùs hinc libet agere; cùm non ignorem perfectam huius ſolius victoriam triumphum vobis parituram de cæteris omnibus Dæmonijs. Principio itaque vos hortor; vbi ſolidum ſincerũq; ieceritis propoſitum, indiesq; illud renouaueritis; non uelitis expaueſcere ad omnem immũdi huius canis latratum. Sæpe etenim importunis ſolet ſuggeſtionibus ibi aſtruere vt culpam faciat videri, vbi nõ eſt culpa; ut lapſus imaginatio verũ perducat ad lapsũ: dicitq; cũ propheta: Perſequimini, & cõprehendite eũ: quoniã nõ eſt, qui eripiat. itaq; videri facit, nos tentationi aſenſum præbuiſſe, cùm minimè id verũ ſit.

Hic iamprimùm opus fuerit, diſcretionis lucerna dignoſcere tentationem inter & aſſenſum: quod minimè nouit mens ſcrupuloſa, præ luminis defectu: quod enim opus eſt inimici, ſuæ aſcribit voluntati. Quòd enim ita ſe res habeat; id nequaquã

admitteret

admitteret peccatum, vel ſi totum lucraretur mundum: moleſteq; ſunt ei huiuſcemodi cogitationes. Hæc porrò agnita (vt diximus) tentatio, promeritum ſemper affert, virtutisq; augmentũ: prout Paulo fuit. Ideò hinc mœrere non debemus, ſed de manu Domini illam accipere, vice prædilecti theſauri. Dehinc optimi fuerit conſilij, ne reſpõſitemus, contendamusúe cum huiuſcemodi cogitationibus: meliùs etenim vincũtur, ſurdũ ſi agamus: quemadmodum canis vbi videt viatorem ſuum proſequi iter, neq; eius ſiſti latratibus, tandem retrocedit. Hoc autem mens præſtabit noſtra, vbi diuina oblectabitur iugiter exerceri meditatione. Quo etenim magis erit plena Deo, pijsq; meditationibus: eò minùs ibi locum habebit Diabolus cum ſuis technis.

Oportet itaq;, filiæ, ã vobis omnino ablegetis otium & deſidiam. Non etenim vinci põt ſpiritus fornicationis, niſi ab his, qui prius otij fuere victores. Quandoquidem uti terra inculta ex ſeipſa producit ſpinas & tribulos: ita & otioſi mens in peccata prorumpit: quoq; magis otium ſectatur, eò minus eſt otioſa. Non etenim pietati occupa-

ta,

ta,ſemper euagatur ab vna in aliam cogitationem: demumq́; oppletur confuſionibus. Ideoq́; non vos pigeat iugiter exercere nedum manus,ſed & mentem: agendo ſimul & foris, & meditando intus.

Vbi hoc propuleritis deſidiæ Dęmoniũ, arrham iam obtinebitis caſtitatis:præripueritisq́;hoſti valentiora,quę induat,arma.Cęterũ quoniã maligno huic Serpẽti nodi sũt multi, voluminaq́; multa: oportet & multis aduerſus illum præmuniri remedijs. Cũ verò ſuperbia ſit,quæ parit fouetq́; luxuriã: neq; vnquam perfectè erit caſtus, niſi qui humilitate fuerit prædotatus:ideò hoc ſemper cordi vobis ſit documentum; vt æternũ ſuſpectam habeatis omnem propriam voluntatem: quippe quæ in omne vos demerſit flagitium: inualeſcereq́; fécit aduerſus vos Diabolum. Hæc veſtrarum fuit proditrix animarum: ſiq́; eius pergebatis parere cõſilijs,dubio procul ad tartara vos demergebat.quî igitur potiſſimo vnquam poteritis veſtro confidere inimico? Nẽpe ſi priuata voluntas odio vos adduxit Dei; partium veſtrarum erit, prę omnibus vosipſas odire ſancto illo odio, quo ad ueram adducami-

ni

hi amorem: vti Chriſtus dixit; Qui odit animam ſuam in hoc mundo:in vitam æternam cuſtodit eam.

Hoc porrò facietis filiæ meæ, amplectentes obedientiæ iugum: quæ aliud non eſt, quàm Deo immolare propriam voluntatẽ: eamq́; igne concremare amoris: vti in Cruce exemplum dedit Dei filius: qui propriæ nunquam obſecutus eſt voluntati; etſi errare hadquaquam poſſet: Monitos nos volens, multò minus noſtræ nos morem gerere debere: quando ita facientes, non errare non poſſumus: quin immò illam ſequentes à bono nunquam non diuertimus in malum. Rationi porrò conſonum fuerit, vti paruit Dei filius vſq; ad mortem: ita & nos, eius amore, pareamus vſq; ad propriæ mortem voluntatis.

Obedientia exhibetur hominibus, quòd vicem gerant Dei: ideoq́; diuinam in nobis operatur virtutem. vti in Moyſe viſum eſt: qui dux à Deo electus fuit populo illi: cumq́; homo eſſet, agebat vti Deus. Deus enim in illo operabatur: vbiq́; populus illi rebellabat, conquerebatur Deus, & Moſi dicebat: Non te ſpreuerunt: ſed me. Iu-

ſtèq́;

ſtèq; nimirùm illis conquerebatur: diuina enim agit virtus in obedientia, non autem hominum: ita & inobedientia Deum offendit,non homines. Vnde nonnullorũ eſt Patrum ſentẽtia, minoris fore periculi Deũ offendere,quàm ducem, illò nos prouehentem: Ducis etenim auxilio ſuffulti, poterimus Deo reconciliari: verùm amiſſo ductore, nedum in illo Deum amiſimus: ſed & medium illum accedendi.

Inferũt itaq; cũ agamus in tenebris,exorbitemuſq; à recta, pleniq; ſimus ſpiritaliũ ægritudinũ,neq; verò à nobisipſis poſsimus ſubniti; uim omnem profectus noſtri in hoc ſitam eſſe, vt peritum ſortiamur ducẽ. qui certè non erit talis, niſi præceſſerit viã illam, qua nos vult educere; magiſq; doceat re, quàm verbis. Hæc porrò eſt ratio, quare perpauci perfectionem attingant; quando hoc in tempore fidi non inueniuntur præceptores, diſcipuliúe morigeri: vt verè felix dici ille poſsit, qui idoneũ à Deo ſortitus ſit ductorẽ. Quo quidẽ quàm vos aſtrictæ teneamini Deo beneficio, non ſcribo. non etenim video quod maius hac vobis tempeſtate indulgeri potuiſſet beneficium.

ficium.

Penes antiquos Patres p̃potẽtius aduerſus oẽs inimici artes non erat remedium, quàm vt aperirentur venenatæ omnes cordis cogitationes. Ita enim noxia detegentes, quæ intus ſpargebat Serpens cogitationum ſemina, vim omnem illi abſcindebãt. Quemadmodum qui venenum hauſit, ſi ſtatim è ſtomacho illud reijciat, ante quàm ſerpere incipiat; mortem euadit. Hinc ſuas nonnulli in ſchedulam redigebant cogitationes; fideliterq; & humiliter eas ducibus reuelantes, nullo fiebant victores negotio. Neq; verò mirum, ſi peccati abſcindentes radices; primos nempe cogitatus; breuì Sancti euadebant. Vti ſcribit Io. Caſſianus ſex menſium poſſe ſpatio perfectam acquiri caſtitatem: teſtaturq; Io. Chryſoſtomus anni ſpatio veteres illos Monachos perfectionem attingere conſueuiſſe.

Cæterùm melius hinc teſtimonium in nobis ipſis licet agnoſcere. (contrariorum ſiquidem eadem eſt diſciplina per contrarium) Quando poſtea quàm ſimplicem hanc haud ampliùs nouimus obedientiam; poſt multos in Dei famulatu inſumptos annos,

nos, illi idemmet ſumus: eodemq; (vt dicitur) hæremus in luto. vtinámq; non recederemus: prout illorum eſt moris, qui propriam minimè trucidantes voluntatem, è ſpiritalibus fiunt tepidi: digni qui à Deo æternùm repudientur. Multi hanc rident obedientiam: multi modici autumant valoris: paucisſimi fideliter illã amplectũtur.

Legere eſt de Paulo Simplice, ad Antonij nutum adamuſsim ita obedijſſe: acſi Deus ipſemet foret. Neque verò certè incaſsùm: breuì etenim ſuum æquauit magiſtrum. Ioannes Abbas per integrum anni ſpatium bis quotidie aquam per duo miliaria humeris aduexit, quò aridum irrigaret lignum: quòd obedientia illi hoc erat iniunctum. Mutius, ad Abbatis præceptum, propriũ voluit demergere in torrentẽ filiũ; perfeciſſetq; ſanè, ni ipſe idẽ illũ cohibuiſſet Abbas. Maurus, D. Benedicti diſcipulus, accurrit ſuper aquas lacus; quodq; ſuo parebat magiſtro, paruit illi aqua. Complures obedientiæ gratia penitus irrationabilia patrabant: nudi incedebant; feras, & angues arripiebant: igni proſiliebant: cæteraq; id genus: quæ nos, terrena turgidi ſapientia, ſtultitiam

titiā ducimus; quòd diuinæ ſimus expertes ſapientiæ.

Verùm hæc ſufficiant filiæ meæ, vt conficiamus, fornicationis ſpiritum voluntaria peſſum premi obedientia. Ideoq; adnititur Diabolus è fundo illam abſcindere noſtro: os occludens, ne fideliter illum adaperiamus: ſciens n mirùm non adeo modicam eſſe tentationem, quæ ſilentio preſſa, non grandeſcat;habilisq; fiat, quæ nos in barathrū demergat peccati: contrà verò quælibet magna tentatio,fideli fit ada peritione leuis, ac ſuperabilis. Quòd ſanè vobis ſingulariter neceſſarium eſt documen tum; quando experientia cōprobaſtis,quā ta incideritis damna,veſtræ obſequentes vo luntati.

De frugifera pænitentia. c. v.

Non pertingitur filiæ meæ, è profundo peccati ad diuinæ celſitudinem gratiæ, citra medium pænitentiæ: qua ſine non voluit Chriſtus longè innocentiſsimus redire in cœlum; ne vſqueadeò nos ſimus arrogātes, vt poſt infinita arbitremur ſcelera illud ſine pœnitentia acquirere. Ad hanc igitur

vos

vos inuito: quam Chriſtus vobis offert: vbi ait: Tollite iugum meum ſuper vos: & diſcite à me; quia mitis ſum, & humilis corde. Quibus in verbis oſtendit, veram pœnitentiam magis internè ſitam eſſe, quàm in corporis affictione.

Audientes pleriq; horribilem ſanctorũ Patrum pœnitentiam, in corporis affictionibus, incredibili abſtinentia, ſilentio extremo, lachrymis aſsiduis, pernoctationibus immodicis, cœterisq; id genus exercitijs: voluere illis aſsimilari; propriæ vim inferentes naturæ. Qui nedum illam non ſunt aſſequuti pietatem: ſed & vel tepuerunt; eoq; facti ſunt corpori indulgẽtiores, quo prius erant auſteriores: vel externa è pænitentia facti ſunt arrogantes: ſentientes nimirùm ex illa dignos ſe ſanctitatis nomine præ cæteris. Quare cùm oppoſitum inde conſecuti ſint effectum; præſtitiſſet illis, inde carere, quàm externè tantùm eſſe bonis. Volo igitur hac in parte quæ via ſit tuta, breuibus vobis aperire.

Veram oportet pænitentiam magis emetiri iuxta humilitatis magnitudinem, quam iuxta corporis macerationes: quin, niſi hæ humi-

humilitate ſocientur, magis aduehunt exitij, quàm fructus. Si verò uiſi ſunt nonnulli in corporis attritione indiſcreti: vt fuit D. Franciſcus, & D. Bernardus: quorum ille inter acutiſsimos ſe iniecit vepres: iſtę in ſtagnum inſilijt gelidarum aquarum tẽpore horridæ hyemis: nequaquã ſunt in exemplum trahendi: Nõ etenim illo agimur, quo tunc ipſi, ſpiritu qui nempe fuit, vt ſpiritum deuincerent fornicationis: Quo in articulo & nobis in rem foret id capere conſilij, vbi periclitaremur, caſumq; vereremur. Nõ nunquam etenim ſummæ eſt diſcretionis, indiſcretiſsimum eſſe: multiq; in proprium deſæuientes corpus, breuì illud ſubegere Dæmonium, quod videbatur inſuperabile. Quocircà cautè agendum, ne ſub prætextu tuendæ valetudinis, proprium foueamus alamusq; inimicum.

Vera, pactum eſt, pænitentia, quod init anima cum Deo; velle ſe quippe omne ablegare procul peccatũ: maiorẽq; adhibere bono ſedulitatẽ, quàm priùs malo. Quare profligat à ſe omnem voluptatem, nedum corporis, ſed & animæ. Contrà verò illi, q. niſi internè conſolẽtur aliqua ſpiritali viſi-

tatione; orationi non perſiſtunt, obedientiæúe. Neq; verò hi vident, ſe non Deum amare, ſed ſemetipſos: ſuntq; mercenarij, ſeruiq; infideles. Totum contrà facit verè pænitens. Inſatiabilem ſiquidem gerit iuſtitiæ eſuriem: quæ exigit, vti oblectando iniuriam intulit creatori: ita pænis tantùm paſcatur & doloribus: perpetuis dignum ſe reputans malis: excupienſq; omnes de ipſo vindictam ſumere creaturas. Itaq; veram à Deo conſequitur miſericordiã: eoq; illum inuenit clementiorem, quò deſideriũ illum honorandi rigidius eſt, & terribilius.

Haudquaquam credite filiæ meæ, naſci hanc locutionem è deſperatione: vel fieri non poſſe, ut tale inoriatur deſiderium cordi pænitentis. Quin immò qui ita non eſt affectus, nondum veram abſolutamq; gerit ſpem veniæ; quæ ſolum è perfecto naſcitur ſui ipſius odio; ſed neceſſum eſt, priuati ſit plenus amoris, qui, niſi timor adeſſet pænæ, ſemper ĩmoraretur peccato. Verè & perfectè penitens diuinam tantùm indolet offenſam; neq; credit Deo ſuum poſſe face re ſatis ob peccatum totum mundum; recolens ſemper, vſque adeò ſe offendiſſe po

tentem

tentem ita, & beneficium, & benignum Dominum. Quare ſatis non poteſt dolere poſtulatq; aduerſum ſe vindictam; quemadmodum ægrotus, citò valetudini reddi deſiderans, qui manſuetum prouocat aduerſum ſe deſæuire medicum; neq; verò igni parcere vel ferro.

Sat non habet verè pęnitens Deo in gratiam redire: ſed & ſemper vellet illi ampliùs placere: quò ſupra illatam illum honoraret iniuriam. Hinc, agat quàmlibet, nihil arbitratur: omnemq;, vel minimam noxam, magnifacit: ſciens nimirùm nullum habendum modicum peccatum; quando quolibet pro peccato mortuus eſt Chriſtus. Vt hinc videre liceat, quàm à vera illi abſint pænitentia, qui peccatum admittunt animo poſtea pęnitendi. Nequaquam verè pęnitens animum gerit Deum offendendi; tametſi ex infirmitate labatur: ideò veniam meretur. Qui autem ſcieus prudenſq; labitur, animo poſtea reſurgendi; haudquaquam meretur ſubleuari: quin, diuino permittente iudicio, è modico in deterius labetur peccatum.

Multi ſunt, qui corpus durè atterant

ieiunijs, & uigilijs: verùm non ferunt proprium eorum demitti ſenſum: ſicq; internam fouent ſuperbiam, omnium quæ eſt radix vitioſorum affectuum. Quapropter facilè indignantur; proximumq; diiudicāt; modicaq; perturbantur occaſione. His opus fuerit periculoſæ eorum pænitere pænitentię; quando è medicina ægrotant; externaq; ſuperbiunt ex humilitate; ſæpeq; cōuertuntur ab extremo ad aliud, facti demum eò corpori ſuo teneriores, quò priùs erant magis auſteri. Frugifera porrò pænitentia proprias omnes mortificat voluntates: lætanterq; fert cruciatum omnem, quicunq; illi inferatur à Deo, Satana, vel hominibus: abſcindens à ſe querelam omnem: dignumq; maioribus ſemper ſe ducens malis. Hoc ſanè longè eſt durius corporis qualibet afflictione. prout paucíſsimos hūc videmus ad gradū ꝑtingere: multis interim externa præſulgentibus pænitentia.

Haudquaquā tamen hinc externa reijcitur afflictio: quæ Sanctis fuit concelebratiſsima, vti virtutis inſtrumentum, mediūq; ad perfectam pertingendi Dei vnionem. Cæterùm monitos quidem velimus illos, qui

qui huiuſcemodi finem ſuum ſtatuunt in operibus, ne magna ſe arbitrentur præſtitiſſe: aliosúe deſpiciant; ni velint fructus expertes manere pænitentiæ· at ſatagant omnem euellere priuatam affectionem, ſundumq; Deo occupare. Hæc autem ſufficiat dixiſſe externa de pœnitentia. Quandoquidem vna non omnibus poſsit præfigi viuendi regula: ſed quod vni eſt neceſſarium, alteri ſuperfluit; iuxta conſuetudinum, habitudinumq; varietates: vt periculosè poſsimus oẽs eadẽ metiri menſura: periculoſiusq́; etiam aliena ferri poſsit de vita conſtans iudicium.

De compunctione. c. VI.

Diuina exigit, filiæ meæ, iuſtitia, vt amiſſa per culpam non recuperetur gratia, niſi media contritione. Cuius nedum potens eſt virtus peccatum delere: ſed & gratiam induplicare: quemadmodum de peccatrice ait Chriſtus: cui remiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum: ſubdens: Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit. Acſi præteritorum multitudo erratuum

amorem inaugeret. Quam ſanè ſenten-tiã operępretium eſt veſtris nunquam nó infixam manere cordibus: quò poſsitis il-lum à vobis propellere Diabolũ, qui adni-titur peccatorum ſuadere recordatione, vt modico ſitis contentæ: acſi tantam à vobis non exigeret Deus perfectionem, quantam ab his, qui non tanta admiſere ſcelera. Et quanquam præcedenti hinc egerim in ca-pite; non pigebit & hoc legere: quòd ve-ſtra ſingulariter è re ſit, pænitentiæ, quod vnicum eſt veſtrum præſidium, claram ha-bere notitiam: non quò ſciatis; ſed vt ope-ri eam demandetis.

Verùm iamprimùm operæpretium eſt, vt, quæ vera ſit conpunctio, vobis explicẽ: vt mox rationem illam acquirendi poſsim commonſtrare. Sæpe transfigurat ſe Satan in ſpiritum compunctionis: corq́; dulci-bus replet lacrymis: quam nos, vti diui-nam accipientes viſitationem, deludimur. Quoniam verò difficile eſt admodum di-ſcernere, quando talis à Deo ſit viſitatio: quando à Diabolo: tuti eſt conſilij, non præfidere: ſed animi pendere: omniaq́; ve-reri: fugiendo in lachrymis omnem ſuaui-

tatem

tatem: ſolumq; in perfecto noſtriipſorum perſiſtendo odio. Admodum dedecet pæni tentem animam delectamentum venari: quam par foret nudam excupere Crucem: cumq; amaritudine coram Deo recogitare grauiſsima ſcelera, in ipſum admiſſa. Sanè ſi Niniues populus voluptatibus indulgendo voluiſſet Deum ſibi reddere placabilem ſeipſum ſefelliſſet: propheta Dauid non ſolatijs ſe oblectando, ſed amatè flendo amiſſam recepit gratiam. Arbitrantur multi nequaquam errari poſſe, ſi oblectationem amplectamur ſpiritalem. Neq; verò hi vident maioris præſentiorisque ſæpe eſſe periculi, quàm carnalē: quoniā ſub ſpecie fallit deuotionis, priuatumq; clanculùm alit amorem. Vbi verò huiuſcemodi priuantur voluptate, impatientia permouentur, conqueruntur q;, ac ſi propriæ cauſa ſuauitatis Deo ſe conuerterint. Vnde & peius naſcitur incō modum, vt nequaquam inuenire valētes internam conſolationem, mundanis conuertantur voluptatibus, omnemq; remittant pænitentiæ rigorem.

Sunt, qui ex naturali habitudine, facilè in lachrymas erumpant, arbitranturq; hanc

teneritudinem veram eſſe compũctionem. Tamen, cùm ſit natura, laudem non meretur, neq; vituperationem. Multum autem ab illa differt, quæ, fructuoſo è ſtudio, à Spiritusancto conceditur. Quoniã verò vbi ſit hæc motio à Deo, vbi à Diabolo, vbi à natura, initiò non pôt diſcerni, oportet ab effectionibus huiuſcemodi agnoſcere diſcrimen.

Salutifera inducit compunctio animam in purum diuini honoris intuitum, doloremq; offenſionum illi illatarum, tametſi vel Deus nihil vellet inde inferre ſupplicij. Vnde inferre poſſumus, ſi amore potiſsimũ præmij, vel pęnarum timore quis inducitur ad flendum; non perfecta agitur compunctione: quando, ſi ceſſaret præmium, vel pœna, peccatum reciperet. Vera autem contritio ad tantum prouehit peccati odiũ, vt præeligere faceret omnis priuationem præmij, omnisq; aditionem cruciatus, quã Deo iniuriam irrogare. Vbi igitur compunctio victoriam non adducit priuati amoris, affectionumq; omnium, amoremq; contemptus, & mortificationis Crucis; merito eſt, vnde ſuſpecta habeatur.

Planctus

Planctus iuxta Deum, non fit è teneritudine, vel hypocriſi, vel imaginatione: ſed è diuinæ dolore offenſionis: Ideoq; ſumma ibi eſt ſine deſperatione triſtitia: ſummaq; ſine leuitate lætitia: continenterq; animam extimulat in regiæ heroicæq; profectũ virtutis: balneumq; eſt, vbi ab omnibus detergitur maculis, fitq; candida, & apta, quę Chriſto copuletur in vnitione perfecta amoris. His verò deprehenditur indicijs. Aufert enim acceptarum recordationem iniuriarum: inducitq; ad amandum vel ipſos aduerſarios. Vbi verò perfectus eſt planctus; animæ immẽſum aduehit opprobriorum deſiderium: quemadmodum verè ambitioſus ĩſatiabiliter appetit honores. Quò gradatim pertingitur. Primò etenim fræнare oportet ſenſus, ne rationem obruant; in aduerſisq; non queritentur. hoc autem proprium eſt incipientium. Dehinc obliuioni mandentur iniuriæ omnifariæ, cum affectu bonum pro malo rependendi. quod proficientibus ſpectat. Demum vt & deſideranter amplectantur aduerſantia omnia, tanquam prædilecti theſauri. hocq; eſt peculiare perfectorum.

Oriuntur

Oriuntur verę lachrymæ ex attenta ſtatus noſtri conſideratione: tã præteriti, quã præſentis & futuri. Recogitando ſiquidem præteritum: vti nifrugiferè ſit elapſum, & irreuocabiliter: quanta potuiſſent agi bona: quanta vitari mala: quàm prætioſum ſit tẽpus: cogitur ingemiſcere anima, longè amplius quàm indoleat mercator, vbi fracta naui, amiſſaq; merce, nudus ad litus euaſit. offert & præſens lugendi materiam: vbi tot mente colliguntur imperfectiones, & negligentiæ: tot quotidianæ offenſiones aduerſus beneficum ita Dominum: tot proximorum noſtrorum calamitates, tàm corporis, quàm animæ. Qua nimirum ex meditatione, cor cogitur piũ in lachrymas diffluere. Multò verò ampliùs, vbi viuida cũ fide ad futura extenditur: altẽ recogitando extrẽmum mortis articulum, & horrendos faturæ vitæ cruciatus: perpetuamq; diuinæ priuationem præſentiæ. Vt dicere fas ſit, omni in tempore offendere æſtuantem animam, vnde lugeat: ni ab incogitantia fuſcetur. Probè autem idem deputauit natura membrum, & fletui, & viſui: quò innueret, ritè videntẽ ritè plangere. Vnde

ſæpe fleuit Chriſtus : riſit nunquam. Vti enim ante admiſſum peccatum non erat luctus; poſtq; rediuiua corpora non iam erit in electis; ita, dum præſens agitur vita, nunquam non oportet lugeamus.

Delet ſpiritus hic planctus peccatum, non aliàs atq; nunquam fuiſſet ſcriptum. Siq; inuenire eſſet iuſtum ſine lachrymis, peccatoremq; cum lachrymis; dicerem hunc eſſe illo meliorem; vbi ille ſui vitio eis careret. Haudquaquam tamen emetimur perfectionem, iuxta modum lachrymarum; cùm ſæpe modicæ multis præpōderent: ſi ab intentiori emanent affectu. Præcæteris verò illæ præcellunt, quæ, nobis minimè id agentibus, erumpunt; prout contrà, quas venamur lacrymas, modici ſunt valoris. Nihil ſanè mirum, ſi, qui longè maximā tēporis partē curioſis inſumunt ſcientijs, hac carent ſalutifera lachrymarum pluuia: contraria etenim incedunt via; propriæ nempe complacentiæ; cùm fletus naſcatnr è mortificatione, ſuiq; ipſius odio. Vbi à ſaturo, exuberant deuotionis lachrymæ, ventre; valde pertimeſcendum, ne peregrinus, ſeu aduentitius, ac

citò cedens ſit ſpiritus; quoniam vti proficiſcitur fletus è moderatis ieiunijs; ita & ex crapula in nihilum redigitur. Neq; etiã illi confidere debemus ſpiritui, quo magis lachrymis impellimur coram hominibus, quàm in ſolitaria quiete. hoc etenim inanis peculiare eſt gloriæ.

Poſtremò vbi mouet animam Deus ad lachrymas, conuerſio ſequitur morum; ſolida & ſincera indiès propoſita; paſsionum victoria; virtutis additamentum, luminisq; interni; continuaq; in Deum impulſio. Tunc verò abſolutè noſter erit hic ſpiritus, vbi ſemper nobiſcum morabitur. abſcedit etenim ſæpe ab imperfectis; ſed iugiter manet cum perfectis. Beati, ô filiæ, illi, qui, iuxta verbum Domini, nunquam nõ lugent: cum ipſo ſiquidem æternùm conſolabuntur.

De Chriſti paſsione. CVII.

Si optatis filiæ, meę verã acquirere cõpũctionẽ; vos iuuet corde iugiter veſtro vulneribus immorari Chriſti cruci affixi. è quibus ſpirat ſemper ventus vrens contritio-

nis

nis ; humoresq; in altum ſubleuat peccati ; reſoluitq; eos in fœcundum lachrymarum hymbrem; vnde terra cordis noſtri germinat, primùm piarum flores cogitationum ; mox diuinorum ſolia piorum colloquiorũ; demumque perfectę fructus conuerſionis, Deoq; vnitionis. Hic ager eſt ille, vbi oẽm vos oportet veſtram nauare operam ; quòd hic deliteſcat pretioſum illud contritionis, margaritum, quod illis tantum ad aperitur, qui reliqua omnia, præ illo, obliuioni mandant.

Multi hoc in paſsionis ſtudio diu ſe exercuere ; neque tamen vnquam perfectæ theſaurum adinuenere conuerſionis; quin illimet ſemper manẽt ; quoniam vel gaudium quærunt ſpiritale ; vel proprijs ſibi placent in virtutibus ; proximumq; dijudicant ; & (vt vno dicam verbo) non merentur id inuenire, quod fideliter minimè requirunt. Quare mihi viſum eſt, methodum præſcribere, qua breui poſsitis multum referre fructum.

Iam verò primùm velim filię meę, ne credatis, ſeriem paſsionis, vti rem, recogitari, debere præteritam ; ſed vti præſentem ; in

quo-

quolibet renouatam peccatore. Haudquaquam etenim arbitrari debetis, Chriſtũ partim pro vno, partim pro alio paſſum eſſe; ſed omnis eius perpeſsio integrè fuit pro vnoquoq; ; ita vt verè ego ſolus dicere poſſim, cauſa extitiſſe omnis eius cruciamenti; totiesq́; illud iteraui, quoties recidi in peccatum.

Dicat igitur anima pænitens, intendens oculos mentis Chriſto crucifixo. Mi Domine, qua fronte poſſum ego tuo ſiſti conſpectui; cùm tuus extiterim toties carnifex? certè quidem, ni tua eſſet nimia benignitas; vſqueadeò haudquaquam auderem; ſed quando tuo paſſus es proditore complecti; tuiſq́; ignouiſti crucifixoribus; fer, oro, verba iſtius, qui peiùs te cæteris omnibus tractauit.

Mi Domine, quàm grauis fuit ille dolor, vbi proprium videbas diſcipulũ Phariſæos adeuntem: tuamq́; nundinantem carnem: non ſecus atq; vitulum ad macellum? Cõqueri quidem poteras illi & dicere: mi diſcipule, quid feci tibi: aut in quo moleſtus tibi fui, vt vſqueadeò aduerſum me inſequieris? Deſine Domine illi conqueri: te etenim

nim aibitrabatur, vti vnũ ex cæteris, hominẽ. Ego ego verus ſum tui proditor: qui te verum noui Deum; & tamen tui millies depactus ſum pretium ſanguinis à Diabolo, dum ipſiſsima ſum voluntate peccato aſſenſus. Ita tibi sẽper gratias habebo, quòd tua non paſſus es longanimitate, me, vti ille fecit, deſperare.

Quàm grauis fuit mi Domine, doloris gladius ille, qui animam tranſuerberauit tuam, cùm matri ipſi tuæ, quam præ vita diligebas tua, extremum, ad mortem profecturus, vale dixiſti? Diriſsima ſanè fuit eius excruciatio, cum à ſe vidit diſſeparari, quod bonum erat omne ſuum. Verùm in cauſa fuit culpa mea, tam tui, quàm ipſius, doloris; quando mei ſanandi gratia, dereliquiſti primò cœlum, dehinc & matrem, & omne quodcunq; amabas, vel ipſam etiam vitam tuam. ô Virgo, ego cauſa ſum mali tãti: bene potes de me conqueri; ego tui omnis reus ſum doloris.

O vos diſcipuli, graue fuit erratum veſtrum, proprium derelinquere magiſtrum, qui pauloantè pedes vobis abluerat; proprioq; & corpore & ſanguine, tanta cum

charitate,vos pauerat, commonefeceratq; omnium, quæcunq; forent euentura. Verùm cauſari poteſtis, præ infirmitate,mortisq; terrore, vos illum dereliquiſſe. Ego verò miſer, non quidem ſemel, vt vos; ſed innumeris vicibus; non quidem ignoratione; ſed malitia; ilum deſerui; non inq̃ mortis timore, quando eam nullus intentabat. Qua iam dignus ego ero excuſatione? Vos citò illi rediјſtis; ego verò tanto iam tempore illum offendens, nunquã redeo; vos fide erratum duplò compẽſaſtis; ego verò nedum fide nõ augeſco,ſed & indiès fio frigidior. certè nihil eſt error veſter,meo collatus; immò & veſtri reum me palàm inclamo, & arguo.

Eheu mi domine, quid eſt hoc rei,quòd pater tuus aduerſum te deſæuijt; iam enim bis à te tãtis imploratus cũ lachrymis, nõ te audit,miſerabili vſqueadeò in articulo, vbi præ dolore cõtriſtata erat anima tua vſque ad mortem? quod tuum occluſit tibi peccatum eius ianuã pietatis? Sed ecce, immò te audiuit, Angelumq; tranſmiſit ſuum,qui te confortetur: Conſolatio tamen tua, non niſi Crux eſt, pænam non ademit tuã,quin

potiùs

potiùs adauxit. Te etenim video præ ago-nia viuũ ſudãtem ſanguinẽ, nedũq; mẽbra tua afflicta, ſed & terram vbertim aſpergẽ-tem. Eheu mi Domine excrutiate; tu humi iaces derelictùs à diſcipulis, tuoq; patre, ex-pectans, vti te meo conieci dolorem in illũ peccato, ita & mea ſoler pœnitentia: ſed ecce, meo conduplico tuum dolorem tepo-re. Nõ mihi præ mea ſunt duritie, lachrymæ illę, quibus nõnihil tibi afferrem refrigerij, quin immò tanta eſt peccati mei grauitas; cui te diſſoluẽdo vadem interpoſuiſti; vt & tua vetetur mater tibi quicquam præſtare ſolatij.

Quare non fugis mi Domine tuo à pro-ditore, qui oſculo aduẽtat nefario te excar-nificaturus, diroſq; adducit, te comprehen dere, miniſtros? Forte tuam vis palàm fa-cere patientiam. Et quidem magna tunc fuit tua patientia: ſed multò eſt illa maior, quam mihi exhibes. Te etenim toties vene rabili oſculatus ſum in Sacramento, præ meq; tuli, & habitu, & verbis è tuorum vel-le eſſe numero diſcipulorum, dehinc te pro didi, fidemque fregi, totque peccando poſt mihi impenſa beneficia, tua renouaui

vulnera. Ego ego mi Domine, fui, qui mea tuas reuinxi manus ingratitudine; manus illas, quæ fideliter vſqueadeò meam operatæ fuerant ſalutem. Ego nodoſum collo inieci funē, vbi acceptam à te in baptiſmo conculcaui peſſumq́; dedi gratiam, ego faciem cecîdi tuam, cùm nomen blaſphemaui tuum, iamq́; dolore non diſrumpor, ſed perſiſto peccans.

Totam te video in cruciatibus noctem, ſatellites inter & milites, illuſum, attritum, conſputum. Non adeſt, qui te conſoletur, quiúe ſaltem lachrymoſam abſtergat & ſanguineam faciem. Quis verò te malè ita affecit, niſi ego? Tu aliunde ſolatium non recipis, quò ego ſim tibi ſolator. ſed heu Domine, te verò interim offendo, aliud q́; à me referre non potes quicquam ſolatij. O Petre, ſi negando tuum tu cōtriſtaſti magiſtrum; ſaltem vbi te reſpexit, & galli audiſti cantum; ad cor redijſti, amarè flens. Ego autem ſi me reſpicit, aufugio, & lumina occludo: vbiq́; meis inſonare fecit auribus eius vocem Euangelij: obſurdui, cumq́; pænitentiæ me aduocauit; cucurri ad peccatum. ergo Domine à me ſolatium ne ex-

pectes,

pectes, ſed diriorem ſemper cruciatum.

Cor meum, quî non diſcinderis, quî nõ totum in lachrymas diffluis, videns, tui culpa, perductum Dei filium ante Annam; cumq́; manſuetè vellet ſuæ rationem reddere doctrinæ; immani ſilentium illi imponi alapa? quî non illum vides publicas per plateas, iam ad Caypham, iam ad Pilatum, iam ad Herodem adduci, ab omnibusq́; digito commõſtrari, diffamariq; vti impoſtorem, blaſphemum, & hæreſiarchã? O quã grauis fuit illa culpa, quæ longè innocentiſsimum videri facit ſceleſtiſsimum: quæ prophetarum Archiprophetam hœreſeos facit inſimulari: quæ gloriæ Regem opplet opprobrijs: quæ ſapientiæ Deum veluti reddit amentem? ô anima mea, defle: non etenim ipſius, ſed tua, id permiſit Deus, culpa.

Sat quidem hucuſq; eſſe poterat mi Domine, patefaciundę tuę tolerantię, meęq; malitię. Sed quid iſtoc eſt? te etenim video deſpoliari nudum; columnęq́; alligatum, ab immaniſsimis nebulonibus diriſsimis cędi flagellis. Eheu, circunſpiciens non inuenis, qui te ſoletur. Qui verò tui ſunt carnifices, quę tua flagella, niſi mea pec-

cata? Nequaquam mirum, ſi totus liuori-bus ſuper liuores operiris, teneraq́; membra tua vndequaq; manant ſanguinẽ; quã-do mea ſemper iterans peccata, tuos iteraui cruciatus. Tuq́;, cor meum non diſcin-deris? adhucq́; moraris tuo cędendo magiſtro, Deoq́; tuo?

Quàm fuere immanes mi Domine, populi illi: vbi te videntes totum diſcerptũ, ſpinisq́; perforatum acutiſsimis, purpureãq́; indutũ veſtem, arundinẽq́; præ manibus geſtantem, præ ludibrio; nedum non ſunt commiſerti, ſed inclamauerunt: tolle, tolle, crucifige, crucifige. Bene poteras tunc dicere: Popule meus, quid tibi eſt præ me cauſæ, vt ſanguinem ſitias meum, ſi ego vt vitam tibi donarem, carnem aſſumpſi tuã? Bene poteras conqueri, quòd vita Barabæ famoſi latronis præeligeretur tuæ aſſeruã-da. Sed ego tibi gentem purgo illam: ſi enim te regem gloriæ agnouiſſent, nunquã tale perpetràſſent facinus. Quam verò aſſumam ego excuſationẽ: qui optimè ſciẽs, meo quolibet è peccato, profuſum tuum ſanguinem: ſciens te verum Deum & hominem, nunquam peccare pepercí? Eheu,
quoties

quoties tuum ſpreui ſanguinem, toties tibi antepoſui Diabolum: petijq; viuat ille in me: tu morte plectaris.

Eheu mi Domine, lata eſt iam ſententia: Tu latrones inter, ſęuis ſtipantibus miniſtris, Crucem gerens humeris, ad patibulum deduceris. Eheu nō iam aſpectus tuus eſt ille: facies tua ſputis, liuoribus, lachrymis deturpata, & ſudoribus, iam non hominis, nedum Dei videtur hominis: ſpecies tua verſa eſt in deformitatem: honor in infamiam: omnis verſa ſuauitas tua in amaritudinem: Mater tua non valens ſubuenire, addit ſua tibi maiorem pœna dolorem: Reclamat lex omnis, palamq́; proteſtatur te non mortis reum: dolent Angeli: omnes creaturę conqueruntur: ſolum mortem tuam expoſtulat peccatum meum: teq́; omni vi, & ſubſidio, & gaudio expoliauit. igitur cumulatioris ſum ego malitię, quàm ſit omnium bonitas creaturarum tuarum: nimiaq́; prę nequitia, non doleo.

Domine, quando te ſemper peccato ſociaui; da mihi, te Cruci etiam aſſociem: nō quidem quo faciam tibi ſatis: hoc enim tuum eſt: ſed quò finem iugi imponam meo

erratui.ſi tu non me vis à dextris glorię,ero à ſiniſtris pęnę: fortè ita mea dirumpetur durities.

O anima mea,vide ſaltem nunc tui enormitatem delicti. Vbi manus protendebas tuas luxuriæ; clauis configebas manus Domini tui Cruci: eoq́; maiorē illi incutiebas cruciatum, quò in peccato propenſiorem quæſiſti oblectationem: Vbi laſciuis impendebas deſiderijs noctes atq; dies totos; tu ſanctos eius perterebrabas pedes: Vbi veſtib⁹ & aureis torquibus te exornabas, quò hominibus placeres; tu nudum illum deſpoliabas. Quid tu putas forent laſciui ac petulantes tui contuitus:niſi lachrymæ in oculis Domini tui? Quid aliud erant & tui ornamenta capitis: & genarum fuci: & ſuauium oblectamenta odoramētorum: quàm & configere ſpinis eius frontem: & eius cædere faciem: & vellere coma m & barbam eius?

O amariſsimus peccati mei fructus: quádo propterea morti occumbere video vitę Deum meę. ô Crux, non fuit natura, quæ te ita produceret rigidam, aptamq́; illum ſuſtinere, qui vniuerſum ſuſtinet: ſed bene

fuit

ſuit mea rigiditas, vbi creatori rebellaui meo propria ex obſtinatione. O claui, non terra fuit, quæ vos ita fecerit rigentes: & ſi quidem natura ita eratis; citò colliquiſſetis, ne illi quicquam noceretis, qui vos creauerat, ſed immenſa mea durities veſtræ fuit in cauſa. O fel & acetum, niſi amaritudine peccati mei amaruiſsetis, cõfeſtim obdulcuiſſetis; quò nonnihil afferretis refrigerij extremę creatoris veſtri ſiti. Sed tanta mea eſt amarities, vt inclamante illo è Cruce vſq; in præſentem diem, dicenteq; animæ meę: Sitio, ſiti dirumpor, præ tuæ deſiderio ſalutis: haudquaquam tamen vnquam eius aures porrexerim voci: aliudq; de me referre non poteſt, niſi peccati fel: vt priùs ſiti dirumpatur, quàm mea ſentiat quicquam è conuerſione refrigerij.

Quid dicam iam neſcio. Maiorem etenim mea non video duritiem. Totum video tenebris obnubi mundum: obſcurari cælum præ compaſsione: ego verò nihil ſentio. Video diſcindi petras, & muros, & montes: ego verò non diſcindor. Lugentes video cum matre Angelos, creaturasq; omnes: ſolus ego areſco. Tremen-

tem video terram; ego non moueor. Cēturionem video, cum Longino, militibusq; alijs, pectora tundentes, flentesq; domum redire: ego verò continenter eum offendo. ô creaturæ omnes, ſi omnis ego ſum cauſa veſtræ conturbationis: quare nó aduerſum me conuertimini omnes? quare non Deum vlciſcimini veſtrū? palàm cōteſtor, nolite mei misereri: quoniam ego non ſum veſtri ac mei commiſertus Domini: ne vereamini in me nimis deſæuire; nō etenim vnquàm poterit tanta pæna eſſe mea, quanta fuit culpa.

O Virgo excruciata, ô Ioānes, Magdalena, voſq; reliquæ mulieres, quid de me agendum hominum omnium nequiſsimo: immo vnico omnis fonte nequitiæ? Ego cruciatus ſum cauſa veſtri, creaturarumq; omnium: maióriq; præ culpa, haud poſſum cum cæteris tantum indolere malum creaturis. Certè dignus ſum qui omnium euellar è conſortio creaturarum.

O mi Domine, quid erit de me? Tu Patrem oraſti tuum, tuis parceret crucifixoribus, eorum cauſans ignorantiam. ego autem non quidem ita pecco: ideò illus non

ero

ero particeps orationis. Tu latroni pepercisti, donastiq; Paradiſum. ego verò non illam gero, quam tunc ille, cordis contritionem. Tu matri Ioannem cõmendasti tuæ: cui autem debeo ego commẽdari, cùm ſim obfirmatiſsimus peccator? Tu veſtes militibus, corpus Nicodemo reliquiſti: mihi, præ iuſtitia, nihil quàm Tartarreos relinquere potes cruciatus. ego verò libenter accipio: & quando tanti mei errati non vnquam te honorificaui pænitentia; ſpondeo, planeq; recipio, ibi me tibi gloriam daturum: meisq; è tormẽtis æternùm tuis exhibiturum materiam creaturis, vnde te collaudent.

Hac, filiæ meæ, ratione poteritis, è Chriſti excruciati meditatione, fontem educere ſaluberrimum lachrymoſæ contritionis. Quanquam verò quæ ſcripſimus, à deſperatione videantur proficiſci; ſcitote huiuſcemodi medijs ꝑtingi perfectã ad ſpẽ. Tũc etenim veſtrũ penitus abolebitur erratũ, ubi vos ĩfinitè illud exaggeraueritis: tũcq; oẽs vobis patrocinabũtur excuſabuntq; creaturæ, cùm vniuerſarũ errati vos reas, argueritis: tũcq; cœlo dignę eritis quę do-

nemini

nemini, vbi vos dignas agnoſcetis gehennæ.

De infinita peccati grauitate. c. VIII.

Haudquaquam mirum filiæ meæ, ſi cõplures Sanctorum cousq; deuenere excedentis compunctionis, vt propria prægrauauerint, ſupra Dæmonum, reproborumq; hominum, peccata. Quandoquidem vti ſua Chriſtus in perpeſsione ſupra omnem indoluit creaturam: ita immenſum anima eius è vulneribus concipit proprij dolorem peccati. Neq; verò fieri poterit vt perfecto culpam odio inſectemur, ni ipſe ſuo oculos adaperiat ſanguine. Quandoquidem ſolus nouit Chriſtus vniuerſam peccati grauitatem: vti ſolus illam diſſoluit, illiq; fecit ſatis.

Proinde Chriſti vos hortor immorari doloribus, nedum externis, ſed & internis: qui incomparabiliter fuere diriores. Noueritis itaq; indoluiſſe Chriſtum, præ omnibus: quoniam meliùs lucidiusq; omnibus, priuationem agnoſcebat cœleſtis gloriæ, acerbiſsimamq; damnatorum, quę peccando incurritur, pœnam. Sentiebat inſuper

illorum ſeparationem omnium, quotquot poſt patratam eius redemptionem, denuò ab eo erant diſceſſuri. Qui ſanè cruciatus, tametſi pro omnibus ſimul fuerit peccatoribus; fuit nihilominus & pro quolibet in ſingulari, & quolibet pro peccato. Qui longè fuit maior dolor, quàm ſi qualibet pro culpa, vi corporis quodpiam abſciſſum illi fuiſſet membrum: quemadmodum longè illi erant chariora corporis ſui myſtici membra, nempe fideles eius. Quare tantus fuit internè eius angor, vt vel creaturæ ſimul oēs haudquaquã illum potuiſſent ſuſtinere. Inſuperq; indoluit, ꝙ non ęternùm dolere poſſet: ꝓmeruitq;, acſi æternùm doluiſſet.

Perfectę igitur ſpiritum compunctionis vbi vultis acquirere, diſtinete mentem veſtram huic exercitio, palamq; agnoſcetis infinitę peccatũ eſſe grauitatis. primùm quòd aduerſus Deum vergat, qui eſt infinitus. mox quòd animam bono expoliat infinito, & in tempus infinitum, addicitq; pœnę infinitę, perenniq; cum Deo diſcordię: pulchritudinemq; deturpat animę, quę eſt infinita, cùm diuinam in ſe gerat ſimilitudinem. demum bono deſpoliat pręterito;

nempe

nempe merito Chriſti paſsionis, ſimul ac preſenti; ſuffragio quippe piorum omnium in cœlo & in terra; futuro quoq;, quę eſt gloria. Iam videte quanto cordis cum dolore deflendum ſit, tanti quod eſt cauſa mali. Si quis verò ſuorum meditatione non luget peccatorum, vel hic maius agnoſcat peccati ſui pondus, quando tantum, tamq; exitiale non poteſt dolere malũ: ſaltemq; indoleat, dolere ſe haudquaquam poſſe.

Verè cõtritus debet fundum quotidie ſe recipere in ſuum: primumq; vniuerſa recolere diuina beneficia; vt meliùs propriam agnoſcere poſsit ingratitudinem: Beneficium nempe creationis; recogitans non à ſeipſo, ſed à Deo conſecutum ſe, vt ſit: non quò Deus illi teneretur; ſed mera ex liberalitate, munificentiaq;: non quòd Deo opus eſſet vt ille eſſet; ſed illi, qui accepit vt eſſet; quandoquidem ſuis non fiat maior Deus è creatoris; quemadmodum illis circumſcriptis, non erat minor.

Adhæc cogitet, quid eſſe, conſecutus ſit; nempe non lapis, nõ planta, nõ belua; ſed vt beatitudinis ſit capax, intelligentia

dotatus

dotatus, & ſapientia; idoneusq́;, omnes qui recipiat virtutes. Subinferat deinde redemptionis beneficium; quod illo eſt maius. Nil etenim nobis naſci profuiſſet, iræ filijs; niſi ſubueniſſet filij Dei redemptio. Vbi hæc, aliaq; recoluerit beneficia (tametſi vniuerſa colligere haud ſit poſsibile) tunc ad conſiderandum ſe conuertat; quis ſit, quem peccando offendit; indoleatq́; creatorem ſe offendiſſe, redemptorem, beneficum, & amicum, parentemq́; vnicum; erubeſcatq;, quòd vel tunc cùm illi iniuriam irrogabat, noua Deus illi apparabat munera & chariſmata.

Hinc diſcutere ſe debet anima, quæ conteri appetit, quid eam impulerit, vt Deum offenderet. Inueniet nimirùm, cùm cognitione fuerit inſignita, totq́; p̄uenta b̄n̄ficijs; haudquaquam poſſe ſe iuſtam prætendere vel cauſam, vel ignorationem; ſed ipſiſsimam tantùm malitiam. Qua nimirùm nedum Deum, ſed & creaturas offendit omnes: quoniamq́; in Deo ſunt omnia; iniuria Deum afficiendo, omnia ſimul iniuria affecit. Vt verè poſsit inferre, propria ſe voluntate, malitię plena, vniuerſum con-

turbaſſe, quin immò, quantum in ſe fuit, ad nihilum ſeipſam redegiſſe, perdidiſſeq́; peccati ſeruam ſe faciendo, pœnæ addictã, gratia diſpoliatam, exulem à gloria.

Excedenter loqui hic cogor, quòd non ſufficiant verba promere peccati deformitatem: ſiq́; vel intellectus creati omnes, linguęq́; omnes adnitterentur eam pandere, nunquam ſanè id fieri poterit. Quandoquidem vti ſolus ſeipſum comprehendit Deus, ita malitiam peccati, quæ Deo priuat, ſolus perfectè nouit Deus. Quapropter haud verebor in illius deteſtationem poſſe metam tranſcendere. Aio igitur, vbi anima Deum offendit, vniuerſam eam diuinam deturpare bonitatem, ad nihilumq́; redigere in ſeipſa, Deumq́; haud vellet inueniri, ne ſuam vlciſceretur culpam: vt dici poſsit, quantum in ſeipſa eſt, deſtruere eam Patris potentiam, Filij ſapientiam, Spiritusſancti bonitatem. Et quanquã hoc fieri haudquam poſsit, infinitam tamen exigit pœnam, Deo magis animum, quàm actus vlciſcente, vti fecit Lucifero, ipſi æquari ſatagenti: qđ ſanè fieri non poterat; pœnas tñ dedit, acſi opere perpetraſſet.

Eadem

Eadem dicere fas eſt ratione, peccatũ ab ſumere patratam pretioſo filij Dei ſanguine redemptionem, quando ita ſingulari pro anima mortuus eſt Chriſtus, atq; pro omnibus: & cùm peccator Deum offendit, ita illum offenderet, ſi ſolus ageret in terrarum orbe, prout in tanta hominum copia. Quare eundem incidit reatum, acſi infinitum perpeſsionis ſuæ pretium deleret. Multo & ampliùs dici poteſt, per ipſum non ſtare, quin vniuerſam aboleat cœlorũ gloriam, & Angelos, Sanctosq; omnes; vt, quò ad iuſtitiam infinitè infinitam mereretur pęnam, ſi eſſet capax.

Hinc dicere auſim; ſi verè contritũ inuenire eſſet; haudquam poſſet aliud contueri peccatum, quàm ipſius; neq; crederet malitiam in mundo inueniri, præter ſuam; & ſi alia inuenitur, crederet è ſua emanaſſe; omneq; erratum lugeret, vt ſuum ipſius; oĩsq; ſe arbitraretur cauſam mali. Quoniã mortiferũ quodlibet peccatũ ſufficeret venenare totum mundum. Idq; ſi non præſtitit, virtute non eſt factum peccatoris; qui ſanè vt vnum, ita innumera admiſiſſet ſcelera, ni affuiſſet impedimentum. Si inquam

quam, requireretur perfectè contritus, quænam maior foret, qua Deus vti poſſet, iuſtitia; conſtanter reſponderet; vt vniuerſa illi ſoli impenderetur gehenna. Si interrogaretur, qua Deus inſigniori vti poſſet clementia; vt ſoli ipſi, reſponderet, peccata ignoſceret. Si rurſum, quæ maxima ſit Dei æquanimitas; diceret, quòd eius vnius peccatum tandiu & tulerit, & ferat: Sique in Deo caderet verecundia; diceret; nullius cuiuſquam rei Deum puderet, niſi quòd tale, tamque abominabile mundo ſeruet mõſtrũ, quale ipſe ſua ſe reddidit culpa. Quare non demiror, quenquam perfectæ impulſum ſpiritu compũctionis, eouſque deueniſse contemptus, odijque ſuiipſius, vt nimio Deum honorandi deſiderio, infernũ concupierit. Si etenim amor priuatus ſæpe ad perfectum adducit Dei cõtemptum: longè amplius prouehere poteſt Dei amor ad abſolutam ſuipſius aſpernationem. Quò ſane paucisſimi perueniũt. Longè etenim maxima pars prædicta culpam ratione nequaquam perpendunt: ideoq; non merentur, præ exceſſu, ſeipſos tranſcendere: propriamq; contemplari malitiam, in compa-

ratione diuinæ bonitatis.

Exemplum peccatricis. C. 9.

Ad hunc, filię meę, gradũ voś ĩuito. Talib' ĩn. ſcitote vocat vos Deus medijs. Quãq. verò ſuccẽdẽdis aĩs vr̃is multa poſsẽ ꝓponere exẽpla, in qbus incredibilis cõpũctionis uis ꝓdiť; vti Marię Aegiptiacę, quę ſuũ lugẽs peccatũ, ex ĩpudẽtiſsima meretrice facta eſt veluti Angel' Dei ĩ terris; vti Pelagię, quę cũ pelag' eẽt laſciuiarũ, ui cõmutata eſt cõpũctionis ab extremo ad aliud; vti Thaidis, quę triẽnali luctu ex ĩpudiciſsima et vana, facta eſt sãctiſsima, ita ut viderit Paulus Sĩplex parari illi ſedẽ in cęlo, quã parari credebat Antonio ei' magiſtro; Nihilo minus breuitatis gr̃a, ijs alijsq; multis ꝑtermiſſis exẽplis, id tm̃ memorabo, quod per peccatrice in ſacro habet Euangelio.

Erat hęc (teſte Grego.) Lazari ſoror, & magna Princeps: q̃ vbi è viuido xp̃i verbo ſui agnouit grauitatẽ peccati, ſtatĩ in ſeipſa cõfuſa ꝑ ſpũ cõtritionis, oẽm exuta uanitatẽ, ꝑuilesq; ĩduta pãnos, vti pri' erat famoſa peccatrix, ita et facta ẽ famigerata pęnitẽs. quo vobis exẽplũ afferret, filię meę, ęquũ eſſe, ut ĩpensã antea in laſciuijs vitã duplicata cõpẽſetis honeſtate, cũq; tot admiſeritis illicita & à licitis caueatis.

Iã verò qs cogitaŕ ſufficiat, quã ſuſtineret ĩ

corde ſuo pugnã,cũ hic culparũ memoria p̃te-
ritarũ,infinitaq́; diuinarũ grauitas offenſionũ ĩ
barathrũ eã demergebat deſperationis, indeq́;
metus relabēdi in peccatũ, qđ iã ex cõſuetudi
ne ferè erat in nãm cõuerſũ; eã perterrefacie-
bat.Hos verò inter cogitatus,ſeſe diuinę offe-
rebat ſpes clemētię.O quàm erat afflictus,ĩpu
gnatusq́; eius ſpũs.Xp̃s ſiquidē illũ expugnare
volebat:Diabolus nequaq̃ ſuũ egredi habitacu
lũ,tãdiu poſſeſſum.Vñ poſt multa tonitrua,tur
binesq́; indolētiũ altiſsimorũ ſuſpiriorũ, ſubſe
quutus eſt copioſus lachrymarũ hymber:qui-
bus propriã abluendo conſcientiã,horribilem
contemplara eſt peccati deformitatē:qđ prius,
ſinu fouens proprio, nunquam agnouerat.

Cuius mõſtrifico in aſpectu, tm̃ arrepta eſt
in ſuipſius odiũ,vt libenter,præ rubore,ſubter
Luciferũ ſe demerſiſſet.Heu(dicebat)creaturę
oēs de me pęnas ſumite.ô cœlũ,nõ amplius lu
cē mihi porrigàs aut vitã. ò aer, quare non ſis
marmoreus, ne vitã ſubminiſtres ĩmũdiſsimo
huic ſpiritui?ô terra, quare nõ dehiſcis,vt infi-
nita mea obruas ſcelera?ô Angeli,quî me tãdiu
ſuſtinuiſtis, qñ corã vobis enormia vſqueadeò
admiſi flagitia?Venite Dęmones,accurite Tar
tareæ Eumenides,in me inualeſcite, fiat vobis
de me poteſtas:Et qñquidē tota ſum vr̃a;meis
gaudete cruciatib⁹:nõ me vnq̃ poteritis vſque

adeò reddeř mõſtroſã,prout meme ego reddi di peccando : non tanta eſt veſtra omnis omnium deformitas,quanta mea ſolius.

Mi Dñe,quid agã? digna forẽ quę deſperarẽ:ſed ſi deſpero, tuę cõtraeo clemẽtię. Nolo igitur deſpare:nõ ꝗdẽ priuatũ vt fugiã dãnũ: ſed ne in honorẽ admittã tuũ. Redire ad te volo,ꝗm ita tibi eſt placitũ. Quî aũt potero vnꝗ̃ illos attolleř oculos,ꝗbꝰ crudeliter vſqueadeò te offendi?& tñ ſtat ſnĩa tuis proſterni velle pedibus. Et ſi gratũ tibi foret trudere me in Tartara;parata ſũ,ꝗ̃ tibi ſẽper grãs referã:debitricẽq; me inclamẽ trãſacti tpis, cũ iure meritò pęnã mihi iſligeř đbebas: ꝓfitebórq; palã vniuersã nõ ſufficeř gehẽnã meę vlciſcẽdę culpę.

Sic affecta,deſpanti ſimilis,ſed vel maximè ſpans,ſparſis ꝑ colla capillis, collachrymáſq;, domũ egreditur,publicas ĩgemẽdo ꝑ plateas, indolẽtiùs lõgè quàm vnꝗ̃ mater ſuꝑ vnigenito,quẽ videt iacẽtẽ vita functũ : nihili pẽdẽs ſi ab oĩbꝰ amẽs exiſtimeř:adeò etenĩ erubeſcebat intus,vt nihil erubeſceret foris : nulloq; inuitãte,prorũpit in cõuiuiũ,vbi recũbebat Dñs : & lautas inter epulas,ꝑ̃tioſaq; vina,non cõfundi tur poculũ illi offerre amariſsimarũ lachrymarũ:nequaꝗ̃ audet eius apparere cõſpectui, ſed retro pedes eius ꝓſternitur,ſuis illos rigans la-

chrymis,ꝑtioſo vngẽs vnguẽto, ſparſis tergẽs capillis,nihil loquẽs,ĩmodico illi verba ĩterrũpẽte dolor̃.Ita ſeipsã obtulit holocauſtũ Deo: animãq; reſignauit & corpus,vitã & ſensꝰ oẽs, ſeruitio cõuertẽs Dei quicqd priùs ĩ illius impẽderat ĩiuriã,iuſtoq; delẽs ĩiuſtã dolor̃ culpã.

O quàm differt mũdanũ à diuino iudiciũ. Scãdalizatur tali è ſpectaculo Phariſæus, quo iucũdat̃ Xp̃s; pctõres hoĩes illas ĩprobãt lachrymas, q̃ diuino ita sũt acceptæ cõſpectui: q̃ Angelos lętificãt cęli: q̃ diuinam cõſtringũt iuſtitiam: peccatoremq; mox conſtituunt Sanctũ. Ecce venit culpis iſta plena: iam verò diſcedit chariſmatũ plena. Quæ dudũ peccati erat exẽplar,nunc facta eſt Chriſti prædilecta,ab illoq; audit dulce illud verbũ: Remittũtur tibi peccata.O mirũ magnũ:mirũ admirabile:maius inquã,quàm vita functũ ſuperas reuocare ad auras:maius, quàm è nihilo vniuerſa condidiſſe. Hic etenim Deum palã fit nedũ eſſe omnipotentem;ſed & ſine fine clementiſsimum.

Hæc illa eſt, quæ Dei matris indiuidua fuit comes:quo nobis innoteſceret, poſſe nos vera pœnitentia amiſſæ reddi innocentiæ: quin & ampliori.Hęc,poſt Deiparam Virginẽ,oẽs fide antecellit,neq; vnquã à Cruce recedit,vbi Petrus cũ alijs multis,nequaquã audebãt accede-

re,

re. Hæc, poſt reſurrectionem, perſiſtit ad ſepulchrum: alijsq́; recedentibus ipſa non recedit: vnde meretur primum accipere nuntium reſurgentis Chriſti. Hæc poſtea quàm Chriſtum euangelizauerat, multos annos in Maſsilienſi eremo Angelorum & Chriſti felici vſa eſt conſuetudine: nuncq́; cum illo regnat beata in cœlis. Haudquaquam igitur fuere illi impedimento ad perfectionem tranſactæ culpæ: quin illi, vt ſcala, fuere; qua ad maiorem conſcenderet celſitudinem. O felices lachrymæ, ò fructuoſa compunctio: quis mihi tui talem dabit fontem, qui noctes atq; dies omni mea me in actione aſſociet? Currite filiæ, currite viam iſtius: eius ſequimini vexillum: neq; verò vnquam laſseſcite; niſi quando, perfecto ex veſtri ipſarum odio, pęnitus Chriſto eritis transformatæ crucifixo. In quo valete.

A. P. A.

Ego F. Melchior Cribellus, Mediolanẽ: Inquiſitor, vidi librum præſentem: & tanquã laude dignum, ad impreſsionẽ admiſi.

D. SERAPH. FIRM. CAN. REG. LATER.

Ac Concionatoris celeberrimi, De aurea & regali Diſcretione tractatulus, nullisnon internam vitā profitētibus apprimè neceſſarius.

Illuſtriſs. Principi, D. Ioannæ Vrſinæ Gonſagæ, Marchioniſſæ, & in Chriſto cūprimis colendæ.

SCRIPSI ſupiorib' annis Illuſtriſsima Princeps, perbreuem de Diſcretionis virtute tractàtulum. Quem cũ memoria repeterē Illuſtriſſ. D. V. ſanequàm arriſiſse: non quidem mea crediderim tàm induſtria; quàm pia eius aſfectione & fide; denuò mihi viſum eſt in præ-

præſenti illum relegere. Cumq; nonnulla percurriſſem ex Opuſculis R. P. Fratris Baptiſtæ Cremenſis; agnoui, illius comparatione doctrinæ, maturi plenæ feruoris, frigidè me illa ſcripſiſſe de virtute, quam ſoli noſſe poſſunt feruentes. Quare viſum eſt mihi eius è ſententijs meum libellum exornare: quemadmodum Corniculam legimus plumas induiſſe Pauonis. Neq; verò hinc quicquam vereor temeritatis notari, confundi'ue: quando, dum veritas agnoſcatur, omnis mea mihi grata eſt confuſio.

Quam mihi lucubratiunculam viſum eſt illi deſtinare: vt ſciat, virtutem Diſcretionis eò nobis magis amplectendam, quò tempeſtate hac magis illa egemus: vbi, ſi quis vera præditus ſit Diſcretione, à pleriſq; cenſetur indiſcretus: propterea quòd vnà cũ cæteris vſqueadeò extincta ſit hæc virtus, vt non iam agnoſcatur; ſi fortè in quopiam ſit inuenire. Ita nimirùm Domino vſuuerit noſtro IESV CHRISTO: qui tameſi omnibus eius in actionibus eſſet longè diſcretiſsimus: quin ipſa Diſcretio: fugienſq; extrema vitioſa, medio continen-

ter adhæreret; fuit tamen à tepidis Phariſæis condemnatus vti maximè indiſcretus. Qua ſanè in re haud meliùs poterant Diſcretionis ſe penitus comprobare expertes. qui, ô, Deo placeret, non noſtris vigeret error temporibus.

Vbi igitur nonnihil Illuſtris. D. V. ab oratione, alijsq; neceſſarijs operibus ſuppetet otij; nõ pigeat hanc percurrere Operulã. Nõ alia etenim de cauſa eã illi nũcupaui, quàm vt nõnihil inde referat ſpiritalis ſolatij: poſtq; moleſtas adeò mundi curas, poſsit huiuſcemodi recreari laxamentis; vnà cum Excellentiſſ. Duciſſa, ſua ſimul ac mea Domina. Si verò mea è lucubratiuncula nonnihil poterit conſequi leuaminis; animum addet, maiori me dicandi operi: quod honori ſit Dei, Sanctorumq;, ipſiq; in ædificationem.

Ill. D. V.,

Seraphinus à Firmo indignus
Eccleſiaſtes, addictiſsimus.

De Diſcretione: & quî mater ſit omnium virtutum. c. I.

PLERIQVE dubitauerũt,quę'nã ſit virtus illa,quę cæteras ſimul omnes annectat. Quandoquidem, ni hęc reperiatur catena; ſæpe hæc illi nedum videretur diuerſa uirtus, ſed & pugnans. Quemadmodum Moſis zelus, vbi tot gladio interemit homines, videbatur prorſus eius obuiare inſitæ manſuetudini. Iudithq́;, tametſi caſtiſsima, ſi iuxta opus, quo vſa eſt, ſeſe adornandi, iudicetur: videbitur pudorem ſuũ periculo expoſuiſſe: niſi virtutẽ inueniamus quãpiã, pugnantibus in operibus perfectam nobis oſtendentem concordiam.

Qua ſanè è dubitatione nonnulli facilè ſeſe expediunt: dicentes, virtutem omnẽ accipere à charitate formã ſuã: cuius è pręſentia fit virtus plus, minus'ue meritoria: iuxta quòd illi participat. Tametſi verò nitatur hæc reſponſio veritate: plenè tamẽ intellectui non ſatisfacit, qui in particulari noſſe vellet, vnde ſit, quòd nõnulli poſt multas partas virtutes miſerè prolabũtur: ex quo planum fit ipſos nonnulla in parte

de

defeciſſe, rectaq; non inceſsiſſe via.

Huius rei gratia cùm conueniſſent Patrum pleriq;,Io. referente Caſsiano, vnaq; conferentes ratiocinarentur, quæ recta eſſet Deo perueniendi via: poſt varias relatas ſententias, Antonius, cui tum ætate, tum experientia omnes deſerebant: reſpondit, hanc eſſe Diſcretionis virtutem: cuius temperatur vniuerſum ſpiritale exercitium præſentia; ita vt vel è lapſu lucreretur; quemadmodum & ipſa circunſcripta, præcellens vſqueadeò non eſt virtus, quæ in vitium non conuertatur. Sæpeq; quò excellētior eſt virtus, ſine diſcretione; eò maiorem ſolet demergere in ruinam. Quemadmodū equus quò currit concitatiùs, eò maiori exponitur periculo; ni fręno cohibeatur.

Refert ibi celeberrimi exemplum eremicolæ, qui ea in ſolitudine aſperrimam, quinquaginta & eo amplius annos, egerat pęnitentiam: cui nomē Hero. Tantę erat iſte abſtinentiæ, vt vel ipſo Paſchatis die, tantillum nunquam remitteret ex auſteriſſimo eius viuēdi genere. Qui tandem deludi ſe ſiuit à Diabolo, vt in puteum ſe demergeret. Vnde ægerrimè extractus, nunquam

quam potuit eius perſuaderi errati: miſerabiliterq; ita vitam concluſit ſuam, quæ tanta videbatur ornata ſanctimonia. Huic ſanè nihil aliud deſiderabatur, quàm Diſcretio. Ideoq; cæterarum omniū vacuus fuit. Quemadmodum ſępe fit, vt nauis omnibus inſtructa neceſſarijs, ſolo deficiente perito nauiculario, miſerabile incidat naufragiū.

Crediderim ego nō aliud ſignāre voluiſſe decem parabolam Virginum: quarum nōnullæ admiſſę fuerunt à ſponſo: quædā excluſę: niſi quòd è ſpiritalium numero, nōnulli lucernā gerētes Diſcretionis ad finem vſq;, cœlū ingrediūtur: deficiētes nōnulli ab illa, ianuā offendūt occluſam illā, quæ ſolis conceditur poſsidenda diſcretis.

Idē crediderim ſignificare voluiſſe dñum in Euāgelio, vbi dicebat: Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex: totum corpus tuum lucidū erit. Si aūt oculus tuus fuerit nequā, totū corpus tuum tenebroſum erit. Quandoquidem nī Diſcretionis oculo illuminetur vniuerſum virtutum corpus; infrugiferæ manent, meritiq; expertes; vt non poſsint legitimo intendi fine.

Legere eſt, Saul Regẽ Iſrael fuiſſe à Deo reprobatũ: quoniam cùm in mandatis haberet vt Amalecitarum Dei hoſtium occiſione occideret, nedum homines, ſed & iumenta; ipſe partem aſſeruauit prædę: reprehenſusq; à Samuele propheta, cauſabatur hoc ſe feciſſe, vt haberet vnde Deo poſſet offerre ſacrificium de victoria. Sed nequaquam admiſſa fuit eius excuſatio. E diuersò autem Abraham incunctãter propriũ voluitq; immolare filium: neque per ipſum ſtetit quo minus id patraret. Taliq; ex obedientia illam conſequutus eſt benedictionem, qua Saul fuit ex inobedientia priuatus. Quandoquidem haud nouit Diſcretionis agnoſcere lumine, quid Deo ſit placitum. Cuius conuenire voluntati, verum eſt ſacrificium: aliàs manemus in tenebris. Non etenim diſcernentes diuinum quod ſit beneplacitum, iuxtaq; proprium operantes ſenſum, volumus Deum nobis acquieſcere, cùm rurſum par foret illi nos obtemperare. Nihil etenim bonum eſt, niſi diuino conſentiat nutui: bonumq; eſt quicquid illi viſum eſt: cuius ſanè voluntas, modus eſt, quo, quid bo-

num

num ſit, emetimur. Vnde noſtrum foret, Diſcretionis lucerna ſcrutari eius voluntatem, illiq́; in omnibus & per omnia conformari.

Contrà autem pleriq; hodie faciunt ſpiritales: qui Deo non intendunt; ſed quã-dam ſibijpſis fabricãtur, vt viſum eſt, ſanctitatem: proprijsq́; ſibi placent in operibus: facileq́; illos dijudicant, qui aridæ eorum non aſsimilantur conſuetudini, & formulæ: fiuntq́; ſæpe proprij capitis; ita vt illis præſtiterit virtutibus illis caruiſſe, quibus cùm ritè vti neſciant, præ diſcretionis defectu, vitio conuertuntur. Huic igitur potiſsimùm regali intendere debemus Diſcretioni: qua docemur, qua nam ratione ritè quamlibet exercere poſsimus virtutem: quando non virtute ipſa, ſed legitimo eius vſu, Deo comprobamur.

Quæ ſint Diſcretionis proprietates. C. II.

DISCRETIO oculus eſt intellectus noſtri, quo plus inter minus'ue diſcernit: neq; viam ſinit excedete mediam regiamque:

que: labi ue extrema in vitioſa. Ideo dici poteſt vitiorum frenum omnium, ſtimulusq; virtutum. Quare opus eſt aduigilet, oculatusq; ſit diſcretus, nedum craſsis perſpiciendis & euidentibus, ſed & minutiſsimis quibuſcunq;: omniaq; diſpiciat præſentia æquè ac præterita.

Docet Diſcretio vel de malo bonum educere, è vulnereq; recipere ſanitatem. Quandoquidem fræno ſemper cohibens appetentiam; ſi quidem nonnihil incidit modici defectus; ſtatim ſedulitatem ingeminat: facitq; hominem, quàm antea, cautiorem. Quare qui enorme quodpiam lapſus eſt in erratũ, dici haud poteſt diſcretus. Niſi etenim huius fuiſſet inops virtutis, haudquaquam cecidiſſet: ſic & qui è lapſu non fit melior, diſcretus neutiquam eſt; ꝙ malo bene non vtatur.

Quò anima magis proficit hac in virtute, eò & magis ceteris ſimul in omnibus increſcit; hincque deficiens, deficit & à reliquis omnibus. Quocircà mirabilis eſt virtus iſta, & haudquaquam facilè perceptibilis. Quis capiat, vti ita timeat diſcretus, vt nunquam tamen deſperet; quin timore

incre-

increſcẽs creſcit & in ſpe? qui'ue nunquã non mæſtus ſit ſine amaritudine; lætus ſine diſſolutione? quî alijs rigidus ſit citra aſpẽ ritatem: manſuetusque citra relaxationẽ? Haudquaquam poteſt Diabolus ruinæ impellere diſcretum; quoniam æquè vtitur ſiniſtra atq; dextera, & in tentementis magis proficit, eq́; caſu reſurgit fortior.

Hanc ſi cupis poſsidere virtutem; omnes opus eſt amplectare ſummo in gradu; neq; verò modico ſis contentus. Diſcretio etenim animum reddit inexplebilem, qui omni lucretur in loco, & ſtatu, ſemper proficiẽs. Hoc dixerim, propterea quòd multi videntur quapiam in virtute diſcreti; neque verò forent in alia: ita & quopiam in ſtatu oſtendunt ſe diſcretos; non in alio. Sed certè ſi verè eſſent diſcreti, id declararent quacunque in re; noſſentq́; tegere, & prodere eorum, ſine periculo, munera. Velit indiſcretus nõnullam tegere virtutem; de inani occulta periclitatur gloria: velit ꝓdere; manifeſtæ ſe exponit arrogantiæ. Diſcretus porrò ita hic, vt ibi, humilitatem conſeruabit.

Cùm non norit homo ſine hac virtute ſeipſum

ſeipſum regere, longè minùs cæteris noue rit proſpicere: vtiq; ſibijpſi animi eſt dubius, nec quid magis expediat nouit deligere, ita alijs conſulens conſilia ſuggerit è formula, quæq; emetitur non iuxta diuinum lumen, quod lucidum eſt & expeditũ, ſed iuxta tenebroſum mundi iudiciũ, etiã ſi è ſacræ verbis Scripturæ, dictis'ue Patrum prompta ſit eius ſententia. Quid etenim animæ in momenta expediat, haudquaquã pôt tabulis exarari; ſed ſolus nouit Deus, idq; veræ reuelat diſcretionis compoti, qui continenter cum ipſo internè moratur.

Difficile eſt admodum noſſe, quis verè ſit diſcretus. Nonnulli etenim immodicã quandam affectant prudentiam; hancque dicunt Diſcretionem; cùm reuerà ſumma ſit indiſcretio. Ita illi, qui vt morigeri videantur & obſequentes, amplius quàm in mandatis habeant, exequuntur; volentes nimirùm & proprium nonnihil ibi locũ habere ſenſum. Cui & aſcribuntur numero, qui citra humilem vellent precem diuina capere arcana; quique dijudicant contemnũt'ue aliorum opera; terrenaq; loquũtur cum aſtutia.

His

His tamen deprehendes indicijs, num hanc obtineas virtutem. Primùm etenim, in dubijs, mox tibi dabitur vt agnoſcas quid expediat, quid'ue capiendũ ſit tutioris conſilij. Dehinc & euenientibus aduerſis, mẽte manebis trãquilla & imperturbata; certus nimirùm omnia diuino fieri nutu, tuam in ſalutem, profectumq;. Demum & poteris conceſſum tibi lumen alijs transfundere; & vnicuique ſalutiferum & expeditum præbere conſilium, iuxta eius cõditionem, Deiq; voluntatem.

Quàm ſit arduum hanc poſsidere virtutem. C. III.

TAMETSI ex his, quæ diximus, conſtare poſsit, quàm ſit difficile hanc obtinere virtutem; quæ cæterarum omnium eſt perfectio, nonq; acquiritur niſi poſt omnis victoriam peccati; tamen quò maiori ex eius arduitate permoueamur deſiderio, (quemadmodũ in arduis mens magis inardeſcit generoſa) adhuc fuſiùs indè agemus. Diſcretio ſita eſt in medio; quod inuenire noſſe, multi opus eſt laboris; quemadmo-

dum ab illo declinare longè eſt facillimũ. Ita videre eſt, verbi gratia, in his qui ad ſcopum dirigunt ſagittas: qui nullo negotio aberrant à ſcopo; quòd hic nulla opus ſit arte, quocunque emittantur iacula; at metam attingere, hoc verò non niſi ſumma fieri poteſt cum arte, vnaq; ſolùm via. Ita, inquam, virtutis ſcopum attingere, vt à dextris non declinemus, vel ſiniſtris, pauciſſimis, & non niſi multa poſt experimenta conceditur.

Hanc crediderim arctam eſſe ianuam, quà nos Chriſtus inuitat, ſi ad vitam volumus ingredi. Tametſi nomen hoc, diſcretio, externè ſonet mediocritatem quandã, obtentu facilem. Verùm enimuerò ſi virtutem volumus perpendere; non iuxta vulgarem ſenſum; ſed eius perfectionem: cõperiemus, negotium omne ſitum eſſe, vt medium obſeruemus. Non etenim obſeruari poteſt, niſi ab illo, qui virtutes ſimul omnes poſsidet: quandoquidem connexæ ſint ſimul omnes: vnaq; ſeparari non poſſit ab alia; connectente eas Diſcretionis nodo. Igitur vna ſi deficiamus, deficimus ab reliquis omnibus: vt mirum non ſit bre

uem

uem vſqueadeò diſcretorum eſſe numerũ, vel inter illos ipſos, qui dicuntur interni. Pauci etenim vniuerſas (vt par foret) amplectuntur virtutes.

Sola fit Diſcretione homo verè humilis: quòd ſua faciat claritate virtutem conſpici in ſummo eius culmine: cuius collatione propria agnoſcitur imperfectio. Et quemadmodum tenebris circunfuſus oculus, album minimè diſcernit à nigro: ita mens huius expers luminis, nequaquã quæ propria ſit contuetur miſeria: labendi facilitas: reſurgẽdi difficultas: inimici aſtutia: viæ arctitudo: finis ambiguitas: gratię incertitudo: præmij magnitudo, & pænarũ: profunda Dei iudicia. Quibus nimirum è conſiderationibus oritur in nobis humilis noſtrijpſorum agnitio. Non quidem, vt nonnullorum moris eſt; qui ſunt externè quammaximè demiſsi: tument verò interno in ſenſu: ſed tanta cum certitudine, vt vel impoſsibile foret aliàs nobis in mentẽ induci poſſe.

Verùm exẽplis lucidiùs iſta apparebũt. Videmus cecidiſſe protoparẽtem Adamũ, quòd nimis ſibi aſſumpſit, vt obedientiam

Dei tranſgrederetur: ſperans inde ſe nequaquam moriturum. Rurſus Cain, nimio præ timore, diuinæ indignũ ſe reddidit miſericordiæ. Exceſſere vtriq; diſcretæ fines mediocritatis: qua docemur timere ante culpam; ne poſteà deſperemus. Iuſtè ſiquidem, qui non timet vbi & quantum opus ſoret, immodico poſtea exitialiq; trepidabit timore: Vt perſpicere liceat, quanti ſit negotij Diſcretionẽ obſeruare: quãdo haudquaquam potuit conſeruari in innocentiæ ſtatu: primisq; in fratribus, quos aurea ediderat, & quæ vnquã fuerit, florẽtior ætas.

In virtute, quæ dicitur liberalitas, eadem conſpicitur difficultas medium obtinendi. Multi etenim vna declinãt ex parte, nimia præ tenacitate: multi ex alia, quòd rem effundant temerè abſq; vllo delectu: illi dicuntur auari, prodigi iſti. Et licet vterq; ſint vitioſi; culpabilior eſt tamen, qui amore victus pecuniæ, non erogat, vbi par foret: quàm qui nimia largitate profundit vbi opus non foret. Neq; verò video, debita quî aſſeruari poſsit plus inter & minus mẽſura; niſi diuinitus Diſcretionis colluſtremur lumine. Planè ſi viderem quempiam

ea

ea omnia plenè perficientem, quæ verũ decent liberalem ; ampliùs hunc demirarer, quàm ſi quempiam viderem perfectè opibus deſpoliatum: cùm minoris ſit negotij, omnia contemnere: quàm retinendo, inordinato abſq; affectu, erogare vbi & quãdo opus eſt.

Eadem inuenitur difficultas ſancto in matrimonio: quod tot nimirùm exigit obſeruationes, vt minoris foret negotij, omnem abrumpere libidinis concupiſcentiã, quàm iuxta tot illam regulas attemperare. Quis verò iam talis ſit, qui amore tantummodò prolis, matrimonio copuletur: niſi forte alter ſit vel Abraham, vel Moſes, qui vſqueadeò cœlo arrepti erant per contemplationem, vt nunquam à Deo diſcederẽt? & quidem magis digni ſunt quos admirere, quàm imitere.

Multi audaces ſunt eorum in operibus; præſumẽtes, ex ſuperbia, ſupra proprias vires. Multi ediuerſò vſqueadeò ſunt meticuloſi, vt vel quæ ſuppetunt, minimè audeãt exercere, operiq; addicere vires. Sæpeq; qui nimis erãt audaces, difficultate poſteà operis comperta, quam priùs ex indiſcretione

non aduertebant, fiunt timidi: puſillanimesq́;, præ ambitione, fiunt audaces. At fortitudo, extrema ſita inter hæc duo, paucis conceditur. Oportet etenim diſcernere norint plus inter & minus. quod nequaquã facient, duce non præeunte Spirituſancto. Ideoq́; diuinæ factus non eſt compos pollicitationis populus Iſrael, nempe vt terrã ingrederetur promiſsionis; quòd minimè vnquam nouit medium obſeruare. Timuerunt enim timore inmodico, vbi audierunt cuſtodiri regionem illam belligeris gentibus: nequaquam Deo præfidentes. Cùm Amaleccitis verò & ananæis congredi ſunt auſi Moſe inuito. Vnde factum eſt, vt neq; hos deuicerint, neq; illos: niſi vbi extinctis parentibus, ſucceſſere filij, facti eorum periculo diſcretionis compotes.

Non minùs pendet temperantia virtus à Diſcretione: vt vel ipſo manifeſtat nomine. Munus enim eius eſt, temperare infrænes corporis delectationes: (tametſi etiam in internis neceſſaria ſit oblectamentis: vt mox dicemus) Hac enim ſine virtute, facilè incidimus vel nimiam crapulam, vel nimiã inediam. Quare quicquid lubet corpori

pori indulgentes, alimus roboramusq́; proprium hoſtem. Rurſus quod neceſſarium eſt denegantes, proprium occidimus ſociũ, & adminiſtrum. Ita Hebræi, poſtea quàm probè crapulati eſſent in deſerto, lapſi sũt in idololatriam: diuinamq́; immutarunt legem in vltionem. Moſes enim hoc videns, alliſit quas pauloãtè acceperat à Deo tabulas: multosq́; enſe percuſſit, ne omnes à Deo exterminarentur. Contrà Saul, qui inſequens Philiſtiorum copias, omnes adiurauit, ne quicquam deguſtarent cibi: propriumq́; voluit gladio interimere filium: quòd præ fame deficiens, nonnihil deguſtauit mellis, vnde refocillari ſe ſẽſit, ſpiritusq́; recipere: ſed non permiſit id populus. Multumq́; ſanè eſt difficile, hæc inter extrema medium inuenire: itaq́; ſenſualem abſcindere delectationẽ, vt non deſimus corporis neceſsitati.

Non aliàs cæteris dicere poſſumus de sẽſibus: quos ſi velimus iuxta rationem cohibere, non melior ſuppetet ratio, quàm vt diſcretioni ſemper intendamus. Quandoquidem ſi ſine hac illos regamus; omninò fient rebelles & refractarij. Et ſi quidem

nõnihil temporis indiſcreta illos cohibebimus diſciplina, acriùs poſteà erumpent: inſtar fluminis, quod obijce reperto, maiori excitatur furori. Hincq; ſæpe videmus, qui nimis sũt ſeueri, fieri poſtcà nimis remiſſos.

Sed non minori opus eſt diligentia induſtriaúe vti circa ſenſibiles ſpiritus delectationes: quibus nonnulli ſecurè immerguntur: exiſtimantes, quòd ſint internæ, haud poſſe hic errari. Neq; verò vident; ni Diſcretione cohibeantur, eo magis eſſe exitiales, quò nobiliores, ſubtilioribusq; operti decipulis. Neq; tamen efficax ſunt perfectionis argumentum. Vti de Solomone legimus: qui vſqueadeò diuinas deguſtauerat delitias: & demum apoſtata factus eſt religioni, ſuarum colens idôla cócubinarum: qui, ſi in diuinorum hauſtu munerum diſcretè ac temperatè ſe habuiſſet; fortè in tantum non corruiſſet exitium.

Claudendo igitur hoc Caput, dico, excellens vſqueadeò non eſſe munus, quo male ſi vtamur, fieri non poſsit exitiale, peſtiferumq;: propterea quòd ſecluſo vſu legitimo, diſpendio conuertitur:, ita vt pluris facere debeamus rectum vſum, quàm

quàm munus ipſum: cùm nedum actus natura boni, ſed & indifferentes, poſsint fieri meritorij: ſi bono tēperentur vſu. Quem ſanè vſum bonum haudquaquam citra virtutem Diſcretionem obtinebimuis. Vt inferre poſsimus eam ſummè eſſe neceſſariam: eoq; magis noſtram omnem exigere induſtriam, quò eſt acquiſitu difficilior.

De ſpe & timore. C. IIII.

Si cupit anima pelagus tranſnare propriarum affectionum, cœloq; per gratiam remeare, vnde cecidit ob culpam; opus eſt duabus ſubnixam volare alis: timore nempe & ſpe. Quibus ſanè ritè haudquaquam poterit vti; ni continenter oculum intendat Diſcretioni. Flectentes ſiquidem à dextris ſpei, ſine hoc lumine, facilè erimus temerarij: ſub prætextuq; diuinæ pietatis, noſtram tegemus tepiditatem. Vti multi inquiunt: Bonus eſt Deus, & miſericors: neq; verò vſqueadeò ſubtiliter noſtra rimatur errata, cùm ſimus infirmi & imbecilles. Et certè equum foret, cùm ſit bonus, nequaquam à nobis referret iniu-

riam: ſed è ſua nos ſufferendi æquanimitate, oriretur in nobis vel maximè deſiderium eum honorandi. Cæterùm hæc perſuaſio virtutis haudquaquam meretur nomen: propterea quòd verum haudquaquam diſcernit medium: immò ſæpe adducit vt diuinam inficiemur bonitatem, quam priùs verbo ſtatuere videbatur. Nõnulliq; hac de cauſa in dubiũ vocauere punientem in inferno iuſtitiam, dum miſericordiæ indiſcretè innituntur: vti aſcribitur Origeni, dixiſſe eum, omnes demum ſaluatum iri.

Alia & ratione huic impingimus temeritatis ſcopulo: vbi nempe noſtras nequaquam metientes vires, ſtolidè præfidimus aduerſario nos poſſe obluctari. Quanquam etenim magnanimi ſit, eius haud horreſcere tentationes; attamen Diſcretionis ſunt partes, minimè arbitrari poſſe ſe ſolum illi ſufficere ſuperando. Vti D. vſuuenit Petro; qui verè ſi fuiſſet Diſcretionis non indigus, magis Chriſti adhibuiſſet fidem verbis, dicentis, ter ipſum ſe nocte illa negaturum, quàm proprio ſenſui, nimirùm perſiſtendi & ad carcerem & ad

mortem

mortem. Vti enim vera vires abſcindit Diabolo fiducia: ita ediuerſò audax temeritas illius adauget vigorem.

Obſerua porrò, vt plurimùm qui temere præfidunt, labi & ad extremum aliud, vt immodicè timeant. Quare quòniã uſqueadeo ſe iactabat Petrus, vt præ cęteris magna polliceretur omnibus; ad ſimplex femellæ verbum ſuum negauit Dominum: quiq; mortẽ haud exhorreſcebat, extimuit verbum. Hoc fit, propterea quòd lumini non hæreamus Diſcretionis: quo docemur, ita fidere, vt non ſimus confidentes: ita timere, vt non ſimus meticuloſi.

Subtilior porrò eſt fraus, quam offert antiquus hoſtis ſub ſpecie contritionis, diuinæq; timoris offenſæ. Vbi autumantes nos fieri humiles, efficimur ſcrupuloſi. Quo ſæpe fit, vt in internam ruamus ſuperbiam, proprio innitẽtes ſenſui, neq; alieno acquieſcentes. Fitq; his, vti equo vmbram extimeſcenti: qui vſqueadeò expaueſcit ad occurſum trunci, vt furioſè retrocedens, vmbratileq; fugiens periculum, verum foueæ præceps ruat in exitium. Ita & ſcrupuloſi, ibi timore trepidantes, vbi non eſt

timor;

timor; incidunt multa animæ pericula.

Primùm etenim ſubtilem incidunt ſuperbiam: quoniam proprio quidem obſirmati ſenſui, nequaquam verè poſſunt eſſe humiles: humilesq́; interim ſe arbitrantes, ſæpe fiunt vel duplo ſuperbi: Dehinc & in mentis diuiſionem, temporisq́; contritionem. Videmus namq; huiuſcemodi homines cogitatione diſcurſare in ſexcentas infrugiferas temporis anteacti recordationes: nunquamq́; non in ſeipſis contendere; quî fuit: quî ſe habuit: num ritè fuit cõfeſſus, vel ſecus: tantaq́; diſtinentur preteriti ſolicitudine, vt obliuiſcantur quod in manibus habent; & vtroq; ſimul fraudentur. Qui ſanè, Diſcretione ſi pollerent, immoderato noſſent parcere timori: vniq́; volentes mederi vulneri, gemina haudquaquam, quod faciunt, ſibi infligerent.

Cæterùm; quod peiùs habet: aiunt amore ſe hoc facere Dei. Probè oſtendentes huius ſe eſſe expertes luminis Diſcretionis. Vti enim timor neceſſarius ab amore oritur Dei: ita immoderatus ab amore proficitur ſuiipſius; quod norunt pauciſsimi arcanum. Non etenim hoc diſcerni poteſt,

niſi à

niſi à diſcretis. In promptu eſt ratio. Propterea quòd oritur ex amore timor:timetq́; homo id amittere quod amat. Igitur qui Deum diligit,hilarem vitã ducit:ſciẽs nimirùm quem diligit, ſimul ſe & poſsidere: poſsidendo autem, cedat neceſſe eſt ſeruilis timor; ſubeatq́; filialis; qui pænam non aduehit, ſed delectationem: Amor etenim omnem foràs expellit cruciabilem timorem. Qui autem ſeipsum diligit, timeat ſemper neceſſe eſt: cùm id amet, quod nullo poteſt amitti negotio. Infirmum etenim eſt quicquid creaturæ innititur. Quoniam verò perfectè Deum Dei gratia non diligit: ſed proprij cauſa commodî, dono magis intendens, quàm donatori; pęnamq́; magis horret,quàm ipſam Dei iniuriam; mercenarius neceſſe eſt ſit, & imperfectiſsimus, neq; Deo poſsit confidere; cùm ſibijpſi, non Deo viuat. Hæc eſt baſis, hoc fundamentum, & radix ſcrupulorum. Crediderimq́;, non dari ſcrupuloſum, qui non ſit ſimul & mercenarius.

Hoc tamen de illis accipiendum, qui volentes huic implicantur errori. Nonnullos autẽ Deus permittit à Diabolo infinitis diuexari

uexari ſcrupulorũ,q̃bus magis opus eſt cõſo latione, quàm minis. Verũ,ſi inimici inuigilabunt vt aſtutias Diſcretione attemperent; fient tandem victores. Hoc porrò aſſequentur, ſi iugi adnitentur oratione Deo conuerti. Aſsidua ſiquidem peccati recogitatio animam reddit tenebricoſam: quemadmodum qui in tenebras proſpicit; haudquaquam hoc ab illo diſcernit. Verùm mens Deo ſi conuertatur, lumen accipit, quo peccati agnoſcit deformitatem: facileq; illud euincit. Scrupuloſi, peccatum ſi agnoſcerent, nõ ita id ſæpe retractarent, vt faciunt: quin, vti horribile monſtrum, perpetuæ mandarent obliuioni.

Conſultum adhæc optimè foret hiſce, vt proprium cuiquam ſubderent ſenſum: neque verò vnquam ſibi crederent ipſis: ſed immò frangerent voluntatem omnem priuatam; proprias verentes omnes cogitationes. Neq; verò hic fallerentur: quandoquidem indiſcreto cùm ſint timore circuuſcepti, quicquid vident ĩſectum ſit oportet indiſcretione: quemadmodum ſpecillis ſub rubeis omnia eiuſdem ſeſe offerunt coloris.

Huius

Huius pro clauſula Capitis inquam, peccati dolorem; abſit ſi Diſcretionis modus; magis afferre diſpendij, quàm fructus, manareq; è ſuperbiæ. Hoc ſanè difficilè percipietur: tali tamen breuibus exemplo elucidabitur. Vbi infantulus eſt iracundus, prauiq; ingenij, ſi humi procidat, ſtatim incipit inceſſabili ſtridere ploratu: cumq; poſsit opem implorare; haudquaquam vult ſubleuari. At bonus dulcisq; puellullus, procidens adnititur reſurgere, ſuamq; aduocat mammulam. Ita, qui ex infirmitate labendo, immodica aduerſum ſe corripitur amaritudine, grauiùs delinquit dolendo, quàm peccando. Ibi etenim peccatum fuerat ex infirmitate: hic ex obſtinatione, & vitioſa triſtitia. Si etenim (vt par foret) perſuaſum haberet, non nobiſipſis poſſe nos ſtare, & nō labi; haudquaquā ita ex ſuo deſperaret lapſu: quin immò demiraretur, ſemper ſe non ruere: Ita vt & minori caderet cum periculo, leuioriq; ſubleuaretur negotio. Qua ſanè in re quanta ſit Diſcretionis virtus liquidò perſpicitur, quando vel ipſe culpæ dolor, à pleriſq; tutiſsimus pijſsimusq; exiſtimatus, ſine Diſ-

cretione,

cretione, haudquaquam tollit, immò auget culpam.

De fide. c. v.

Quemadmodum à fide, iuxta diuinam moderata voluntatem, naſcitur interna animæ vita: (ſine fide enim impoſsibile eſt Deo placere) ita, ni moderetur, omnis eſt baſis erroris. Hanc porrò moderationem, ſeu regulam, nequaquam niſi aurea inueniemus Diſcretione. Sunt qui his fidem adhibeāt,quibus minimè oporteret: qui, religionis amiſſo noīe dicūtur ſuperſtitioſi. Nonnulli ea minimè credunt, quibus tenentur: dicunturq; impij, & prophani. Vera religio ſeu fides vtrunq; horret extremum.

Pleriq; ſunt vſqueadeò præpoſteri intellectus, vt diſcrimen minimè conſtituāt diuina inter & humana:volūt etenim æquè illa atq; iſta infirmiſsimæ ſubdere ratiocinationi noſtri intellectus.Qui ſi vel ipſo ritè pollerent humano ſenſu (qualis erat Socrates) planè perſpicerent, delitefcere veritatem: notionemq; omnem noſtram con-

iecturis

iecturis inniti: vt aliud non ſit ſcire noſtrū, quàm in ænigmate: qua in re ille ſit doctior, qui ſuam melius compertam habet ignorationem. Huius farinæ homines non niſi his fidem accommodant, quæ clara & euidenti poſſunt aſſequi demonſtratione: Quoniam verò haudquaquam fieri poteſt, vt ad vnguem hic teneamus rerum ſciētiā: primùm erunt hi, & veræ Dei cognitionis expertes; quò ſola pertingi poteſt fide: mox & infimorum modicam aſſequentur cognitionis certitudinem.

Si verò huic impegerunt philoſophantes laqueo, nonnihil merentur excuſationis: quî autem ſe tuebuntur Theologi Doctores, qui ita præcipites ruunt ad Dei altiſsima diſſertanda arcana, acſi ageretur de terra emetiendà: contraq; quàm Paulus hortetur, nunquamnon contendunt, iam de p̄deſtinatione, iam de Trinitate? Peiusq; habebat, quòd dudum è ſuggeſtibus non alia inſonare audiebantur, quàm intricatæ diſceptationes. Quo nimirùm factū eſt ex incommodo, vt ſibi vſurpauerint hæretici Scripturas: & quādo illis eruditi homines haudquaquam vſi ſunt prouehendæ ani-

marũ ſaluti; vſi ſunt ipſi perditioni. Quid dicam neſcio: niſi illos indiſcretos, hos lõgè fuiſſe indiſcretiſsimos.

Eadem prodiere è radicè innumerę, quæ hodie regnãt, ſuperſtitiones. Cui ſanè ꝓſpectum voluit errori Eccleſia, vbi quadam breui comprehendit formula, numeroq; quicquid neceſſariò credendum ſit Chriſtifideli. Verùm ita inualuit hominum perfidia, vt, rapidiſsimi inſtar fluminis, omni ſpreto repagulo penitus ruat in præceps; quoniamq; his non præbetur fides, quos ſtatuit articulos Eccleſia; facilè omni adhibetur fides errori; vt iam Hebræorum nihil ſit idololatria, noſtræ collata.

Credunt nõnulli Diaboli prꝺſtigijs; quæ adiurant vel per os arreptitiorũ, vel varias per incantationes, eorum ſacere ſatis curioſitati. Ipſe verò pulchrè ſanè meritis reſpõdet huiuſcemodi hominum, cùm vel minimè dignetur illis exorari, execrandaq; illis ſua indulgere munera; vel ſi indulgeat; animam aufert, ſimul & ſæpe corpus. Diuinant nonnulli, per aſtrorum inſpectioné, de his, quæ humano cõtingentia ſunt libera q; arbitrio; nonnulli quædam fabricando

puncta

puncta & figuras; nōnulli manes adiurāt: adhibent alij & aerem, & aquam, & ignē, & terram eorum veneficijs, & incantationibus: quidam omnem hominis euentum contemplari profitentur, vel in vultu per phyſiognomiam, aut in palma per chiromantiam.

Quis autem colligere ſufficiat innumeras, quæ hodie creduntur, ſtoliditates: aut per occurſum beluarum, aut ex vlulatu luporum, canum latratu, bubonum cãtu, aut ex oleo effuſo, aut vana per ſomnia, & cętera id genus? quis numero comprehendat fatua, quæ enuntiantur ſuper febri verba, doloribus, verminantibus, equis claudicātibus, aut qui ex profuſo ſudore cohorruerint? quot verba inutilia, nullibi innixa, quot peregrinæ appēduntur collo ſchedulæ cōtra armorum pericula? quis referat, quot adhibeantur temporis obſeruationes, illis vel maximè diebus, qui ſunt ab Eccleſia celebratiores, nempe in Domini Natiuitate, Hebdomada maiori, cæteriſq; huiuſcemodi ſolennijs?

Verùm & quod peiùs habet; huiuſcemodi adhibētur præſtigijs ſacri verba Euā-

gelij, Scripturarumq́;: aqua ſancta: oleũ Chriſmatis: cera benedicta; Sanctorũ reliquiæ; Venerabile altaris Sacramentum, quicquid'ue noſtræ prouidit diuina pietas ſaluti. Quo fit vt vſqueadeò inualuerit Satan, vt rectè dici poſsit hodie ſolutus, iuxta D. prophetiam Ioãnis in ſua Apocalypſi, quę noſtris locum habet temporibus, ſi horribiles attendamus effectiones, quæ contingunt, præſertim in maleficis & Strigibus: prout ſunt armenta faſcinare: ſanguinem exorbere infantulorum: abominabiles adire earũ ludos, nũc imaginariè, nũc verò reipsà & corporali p̄ſentia: grãdines excitare: mẽtis nõ compotes reddere homines, in beſtiasq́; transformare; nõ q̃dẽ verè, ſed apparenter. Quæ nonnulli deliramenta autumant: ſed certè ſunt certiſsima, totq́; cõprobata teſtimonijs, vt, velle naturali ratione hos tueri effectus, haud quidem ſit poſſibile: velle autem prorſus inficias ire, proteruum ſit & indecens admodum. Verùm, quoniã hinc loqui, noſtri non eſt propoſiti; hoc vnũ dico; ita vt nimis credamus, quẽadmodũ & vt parum, fieri ex indiſcretione.

Neq; verò hic quicquam video remedij:
quando

quando & ſpiritales ipſi ducem amiſere au-
ream Diſcretionē: fidemq; adhibent ſom-
nijs,& reuelationibus imaginarijs, diaboli-
cisq; inſpirationibus: vt pleraq; pars, viam
ſectantes mirabilium, & ecſtaſeon, & pro-
phetiarum, merecantur à Diabolo illudi. O
quàm tuti fuerit conſilij, non niſi his crede-
re, quæ præcipit Deus. Quod ſanè non ni-
ſi cōcelebrata vſqueadeò, preſtabimus vir-
tute Diſcretione: qua ſemper via ducimur
media, omiſsis extremis.

Ad eorum quæ diximus abſolutionem,
hanc addo coniecturam: neſcire hæreticos
vitare extrema: ideoq; graues incidere er-
rores. Arius, dū Chriſti negat Diuinitatē,
totus inde declinat. Manes, vnde orti ſunt
Manichæi, veram negabat Chriſti humani-
tatem. Veritas Catholica aſſerit, cum &
verè Deum, & verè fuiſſe hominem. Fue-
re hæretici, dicti Adamitæ; qui, Adami
inſtar protoparētis, nudi incedebāt. Cuius
contrarium faciunt, qui nunquam cumu-
landis exatiantur opibus. Qui omnes, ſi
Diſcretione pollerent, ita viderent damna-
bile eſſe neceſſaria reſpuere, quemadmo-
dum & immodica ſatagere.

Alij, dicti Abeliani, matrimoniũ aſſerebant haudquaquam Chriſtiano licere: ſolutiq; vitam agebant. Quorum erat minùs error intolerabilis, quàm noſtris Luteranorum temporibus, qui volunt & Clericis, & Monachis, & ſacris id licere Virginibus. Vtraq; aberrat ſecta à regali via: Diſcretionisq; eſt expers: qua docemur, nonnullis ꝑmitti matrimoniũ, nẽpe ſolutis: alijs nequaquã, quippe qui voto ſunt aſtricti: ꝓut nec liceret matrimonio iunctos omnes, eo abdicato, monaſticen profiteri.

Aſtruebat Pelagius, liberum noſtrum ſaluti ſufficere arbitrium. Deſtruit Luterus, dicens, non liberum eſſe; ſed ſeruum. Medium tenet Catholica veritas; liberamq; fatetur facultatem, contra Luterum; ſed nequaquam ſufficere aſſerit ſaluti, contra Pelagium. Nonnulli in diuinis diſtinctionem poſuere eſſentiæ perſonis. Alij contrà perſonarum abnuêre diſtinctionem. Fatetur Eccleſia, cum indiuiſa eſſentia, ſtare & perſonarum diſtinctionem.

Quoniã verò meliùs & apertiùs hæc ꝑſpiciuntur in noſtri exemplis temporis: ſi colligere ſimul poſſem omnes, qui ex vna

radice,

radice, Lutero prodiere errores; planè perſpiceretur, quàm arduum ſit medium obtinere: quamq; nullo negotio vitioſa incidamus extrema. Nonnulli eius farinæ homines omnia habent in communi: ſuntq; externè modeſti & mortificati, præ Monachis. Alij adeò ſunt inſolentes, vt vi alienã vorent ſubſtantiam: omneq; enorme flagitium illis videtur leue. Quidam fidẽ nõ adhibẽt Scripturis, Patrumq; interpretationibus, pietate ſimul ac doctrina illuſtrium, ſacrarum authoritati Synodorũ; qui mox proprijs credunt ſomnijs: quicquidq; comminiſcuntur, aiunt à Spiritu eſſe ſancto: & eouſq; prodeunt amentiæ, vt fidem habeãt hominibus apoſtatis, omniq; vitiorum genere ſordidatis: quibus eo ſunt magis fideles, quò Deo minùs fidem ſeruarunt.

Alij oẽs aſpernantur dies feſtos, diſcrimen inter illos cæteroſq; dies non facientes. Contrà pleriq; tanta illos cum ſuperſtitione obſeruant, acſi Hebræi forent: conſcientiamque habent vel ipſa emere victui neceſſaria. Nonnulli prorſus negant ſacerdotalem authoritatem: qui mox ſceleſtiſſimi nebulonis verbo ſe autumãt omni ab-

ſolutos culpa. Reſpuunt nonnulli ſanctũ Decretum, ex omnibus collectũ ſacris Doctoribus: qui indiès proprij condunt Decreta capitis, nunquam non hoc in illud immutantes. Verùm hæc ſufficiant, ſolùm vt comprobemus, ſi recedat quis à diſcretione, cogi illum per infinitos errores in peius ſemper ruere: & è Chriſtifideli demũ fieri infidelem.

De vero & falſo feruore. c. VI.

TAMETSI, cùm ſit Deus bonum, nõ vt cætera finitum, limitibusq; comprehenſum: ſed infinitũ, & incõpreheſibile: haud poſsit nimis amari: eiusq; in amore nõ videatur opus fræno Diſcretionis, cùm immensè velit amari: attamen, quoniam certò diſcrimen non agnoſcimus verum inter & falſum feruorem: facileq;, præ ſimilitudine, vnum poſsit pro alio accipi: ideò hic eò magis opus eſt lumen adhibere Diſcretionis, quò periculoſior eſt hic error: quemadmodum ſi quis, vice amici, in cubiculum proprium introduceret occiſorem.

Refert Io. Gerſon, conſueuiſſe piam mu

lierem

lierem dicere: nihil vſqueadeò eſſe verendum, prout diuinus amor. Quandoquidem ni moderatione cohibeatur, animam agit præcipitem in furorem: multiq́; inde facti ſunt amentes. Hoc porrò propriè uon ſit ex amore ipſo: ſed ex indiſcretione. Quò enim quid melius ſalubriusq́:, eò fit ex prauo vſu deterius exitialius'ue.

Fieri porrò haud poteſt, vt ad vnguem agnoſcamus diſcrimen furorem inter & feruorem: propterea quòd eaſdem habent effectiones: & plerunq; furioſus maiora operatur, quàm feruens. Sępe etenim in ardentiſsimum rapitur impulſum, magna breui mirabilia pollicentem. Dicitur ſpiritus hic peregrinus, ſeu aduentitius. Vt enim citò aduenit, ita & citò recedit: eoq́; animam relinquit magis deſperantem, quò maiorem illi pollicebatur confidentiam.

Non videt ſpiritus iſte, niſi quæ appetit: fitq́; è ſuperbia, qua parem vellet virtute habere neminem: plenusq́; eſt curioſitate in nouis ſciſcitandis & indagandis: tametſi apparenter magnam præ ſe ferat humilitatem: demumq́; reſoluitur in tepores,

porem, vel ſtultitiam. Qui etenim ex intemperanti furore accipere recuſat neceſſaria, ſæpe ceſſante illo impulſu, fit mollis & delicatus: itaq; Diſcretione deficiens, fit in corporis aſperitatibus tumidior, & in delicijs indiès magis remiſſus.

Difficile eſt admodum illi curationem adhibere, qui hac in parte fallitur. Non etenim proprium agnoſcere poteſt periculum, cùm furore ſit excæcatus: quo perſuaſum habet, perfectioni ſe pertigiſſe. Si quis autem ſanari cuperet, opus illi eſt alienæ ſe ſubdat obedientiæ: ſeq; non ex ſua regat ſententia, ſed iuxta conſilium diſcreti cuiuspiam. Qui etenim hic humilitatem recuſat, omnino eſt inſanabilis.

Verus Diſcretioni ſociatur feruor: iugisq; eſt animæ ſtimulus aſcendendi ad ſummam perfectionem: cum additamẽto piæ voluntatis, ſolidiq;, ac ſinceri propoſiti: adeoq; eſt animæ neceſſarius, vt nunquam magno ſine feruore, magna acquiratur perfectio. Hinc oritur in nobis infinitum noſtrijpſorum odium. Videmus enim infiniti dignum Deum amoris: vt vitioſas neceſſe ſit abſumi & extingui affe-

ctiones.

ctiones omnes: in horasq́; fieri de virtute ĩ virtutem progreſſum, in proſperis æquè, atq; in aduerſis. Nunquam verò laſſeſcit: & ſi quidem interim videtur deferueſcere; non tamen decreuit, immò increuit; cùm diſcretio non tollat, immò augeat feruorem.

Mirum ſanè eſt videre, feruorem Diſcretioni iunctum, nedum non deferueſcere, ſed & immò ex illa inaugeri: quandoquidem ſpecie tenus videantur pugnare. Diſcretio ſonat frænum & modum: feruor eſt ſine modo. Nunquàm etenim perſuaſum habet quicquam ſe feciſſe: ſemper eſt inſatiabilior, ſemperq́; ad operandum ardentior: cumq́; id perfecit, quod propoſuerat, fit & quàm antea, auidior: eſt enim eius ſine fine deſiderium. Quî igitur vnà poſſunt morari? Huic reſpondeo: Diſcretione verificari, quod ait anima in Canticis Canticorum philocapta, vbi gloriatur introduxiſſe ſe Regem ac ſponſum ſuum in cellam vinariam, ordinaſſe in ea charitatem. Volens nimirùm innuere, ebrietate ſpiritus haudquaquam confundi Diſcretionis ordinem; immò ea pari & enutriri: quoq;

verus creſcit feruor, eò et prudentiſsimam increſcere Diſcretionem. Quandoquidem ſobria illa in ebrietate addiſcitur diſcrimen medium inter & finem: omnia nempe quæcunq; Deo nos adducunt, haudquaquam amanda, niſi in ipſo, & per ipſum: immò ſolum in creatura amari debere creatorem. Quantum etenim creaturæ tribuitur præter Deum, tantum Deo aufertur: neq; iam dicitur charitas, ſed ſornicatio, & adulterium. Hoc porrò nedum hominum locum habet in amore: ſed & in muneribus chariſmatibusq; ſupernaturalibus: in quibus ſi aliud, quàm donatorem dilexerimus; ſimiles erimus famulo mercenario, qui herum nõ diligit, ſed mercedẽ: & illa ceſſante, ceſſaret & famulatus.

Ita claudendo, dico, Diſcretionem ſtateram eſſe, qua charitatem diſpertimur, iuxta cuiuſq; conditionem rei. Quoniam verò immenſus eſt Deus, ideò exigit vt abſq; menſura ametur. Hæc autem eius eſt menſura, vt immensè illum amemus. Ita ſanè auget Diſcretio feruorem: augeſcẽteq; feruore, anima ſit ſemper diſcretior, & magis matura.

De

De lingua coercenda. C. VII.

TAMETSI oĩ noſtra in actione oporteat medio hęrere; ni volumus vitio impĩgere; ſingulariter tñ hac opus eſt cura in lingua moderanda: quæ, vt D. ait Iacobus, inquietũ eſt malum: plena veneno mortiſero: durior ad frænandum alia re quacunque. Vnde domantur Elephanti, & Leones, & Serpentes; & naues, cùm magnæ ſint & vaſtæ, à modico gubernaculo circunferuntur: linguam autem nullus hominum perfectè domare poteſt: illis exceptis, qui iam ſummum attigere perfectionis. Quorum ſanè adeò breuis eſt numerus, prout ſtultorum infinitus eſt, & imperfectorum.

Volentes nonnulli linguam edomare, perpetui eam reuinxere catenis ſilentij. Qui vbi opus non erat, tacentes, cecidere (vt dicitur) è Scylla in Charibdin. Vnde horum in perſona ait Propheta: Obmutui, & humiliatus ſum: & ſilui à bonis: & dolor meus renouatus eſt: acſi diceret: volẽs diuinæ periculũ vitare offenſionis im modico in ſermone, incidi nimia præ taciturnitate.

turnitate. Hoc autem Diſcretionis eſt munus, vt dijudicare norit quod ſit vtriusq; tempus. Tametſi enim verum quis promat; frugiferum tamen id non erit, niſi tempore dicatur ſuo. Ita & quibus enuntiari debeat conceptus verbis, ne ſuam amittat vim & energiã: qui'ue variè varijs cõferẽdũ ſit cũ hominibus. O quàm eſt difficile hũc obſeruare modũ. Neq; verò crediderim obſeruari poſſe, niſi ab illis, qui aſsiſtentem ſibi habent Spirituſſancti præſentiam; qua agnoſcant ſingulum quodq; vti proferri debeat verbum, quaq́; poſsint ratione cor penetrare audientium, & quid vnicuiq; in rem ſit agnoſcere.

Bene dicebat D. Iacobus: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Oportet enim eum ita Deo vniri, vt lingua eius non iam ſit eius: ſed eatenus moueatur, quatenus eam mouet Deus: vti dicebat Propheta; Lingua mea, calamus ſcribæ velociter ſcribentis; nempe Sancti ſpiritus.

Nimio è ſilentio peccant, qui cùm par foret proximum monere, minimè id faciunt, vel timore offenſæ, vel ex negligẽtia.

Cui

Qui impingunt laqueo primùm Concionatores; cùm non audent vitia arguere audientium, ne eorum fraudentur gratia; ſicq; Dei gratiæ fiunt exortes; qui, vti canes mutos, non valentes latrare, à ſuo eos arcebit grege. Eidem implicantur errori quicunq; curam gerunt animarum; ideoq; Eccleſiaſticas recipiunt functiones, & Præbenda, & Decimas, quò ſint ouium Chriſti duces, ſanentq; eorum morbos. Qui tamen haudquaquam curant vt gregem paſcant, ſed ſeipſos; quemadmodum de ipſis conqueritur per Ezechielem Deus minaturq;, dicens; Quia non paſcent amplius paſtores ſemetipſos; & ceſſare eos faciam. Cæterùm non eſt mirum, ſi minimè alios audent inde arguere, vnde ipſi, plus cæteris, laborant. Ita & patresfamilias nequaquam deberent peccato côticeſcere, quod in eorum admittitur domibus. Deo etenim tenentur reddere rationem eorum, quæ ipſis à diſciplina ceſſantibus committuntur, erratuum.

Et, vt ſemel dicam, nullum non ligat fidelem fraternæ hoc præceptum correctionis. Vt enim ait Scriptura; Mandauit vnicuiq;

cuiq; Deus de proximo ſuo. Sed præ defe-ctu charitatis, obliuioni eſt mandatum. Si quis verò eſt, qui illud velit exequi, habetur irrequietus, & malitioſus. Et quemad modum Cain à Deo redargutus, nedũ nõ pænituit, ſed & deſperans factus eſt peior; ita ex correctione multi magis peccato ob firmanť. Huius porrò rei in cauſa eſt nõnũ quam ille, qui monitus haudquaquam medicamentum accipit ſpiritale. Vti fecit Saul Rex Iuda, qui neq; ad Samuelis increpationes, neq; ad Ionathæ filij ſui preces, ſuperſedere voluit ab innocentis perſequutione Dauidis. Vnde in laqueum impegit, quem alij tendebat.

Verùm & ſæpe in cauſa eſt qui corrigit ſine virtute Diſcretionis, quæ tempus operitur, & opportunitatem. Quemadmodum fecit Natan propheta, vbi Dauidem arguit poſt admiſſum adulterium. Qua nimirùm in correctione vſqueadeò fuit prudens, vt ſtatim ſui reum ſe arguerit peccati. Ita crediderim feciſſe & Io. Baptiſtam, vbi Herodem arguit; qui, D. ſcribente Marco, libenter eum audiebat; & audito eo multa faciebat; & contriſtatus eſt, cùm,

vt

vt iuriiurando ſtaret, quod impudicæ ſpoponderat ſaltanti puellæ, iuſsit afferri eius caput. Cęterùm qui velit fructuosè fratrẽ monere, nunquam à Diſcretione abſcedat, omnem in ſe claudentẽ virtutẽ. Neq; verò ab alijs poterimus vitiũ illud euellere, quod priùs non fuerit à nobis abſciſſum ipſis.

Verùm ſi lapſi ſunt multi nimio ſilentio, incomparabiliter plures labuntur nimio è ſermone; cùm difficilius ſit torrentem cohibere loquacitatis moderati virtute ſilẽtij, quàm contrà. Ita faciunt pleriq; qui vbi linguæ laxauerint habenas, præcipites ruunt, nõ quidẽ quò iubet ratio, ſed quò ab impetu feruntur loquendi. Quare mirum non eſt, ſi minimè diſcernentes quod enunciandum, quod tacendum ſit verbum, æquè promunt quicquid in buccã venerit. Primò etenim in verba erumpunt otioſa; quę nullius ſunt frugis, tàm loquenti, quàm audienti. E quibus facilè transcẽditur ad noxia; vel ſeipſum inaniter extollendo, vel temerè aliena carpendo vitia, vel id prodendo quod oportuerat celari. Et vt paucis abſoluam, tot ſunt è loquacitate prodeũtia incõmoda, vt haudquaquam poſsint ver-

bis comprehendi: neq; eorum ſatis demõſtrari exitia.

Iam primùm vir linguoſus, teſte Propheta, nõ dirigetur in terra: quin, vti Cham fuit à patre ſuo Noe maledictus, quòd accerſiuit fratres ſuos vt patris viderent verẽda, ita à Deo maledicuntur, quos iuuat proximi diuulgare vitia. Inſuper gratiam amittunt Spiritusſancti. In cuius figura, Sampſon, quia ſecretum habere non nouit robur eius ſitum eſſe in capillis; iuſto Dei iudicio inde fuit deſpoliatus: neq; quicquam illi profuit ſanctificatio; quoniam omnis loquacitate ſanctitas amittitur. Eodem proficiſcitur è fonte adulatio: quæ, dulcis inſtar veneni, eò præſentiùs animam occidit, quo ſuauiùs lenocinatur auribus. Quo cùm vitio inficiantur potiſsimùm Principes, & Prælati; corrumpit & conſequenter quotquot ab eorum pendent regimine: vt iam ferè quicquã ab eis obtineri vix poſſit, niſi media adulatione. Fitq; odioſa veritas: quemadmodum Michcã odio habebat Achab, quòd veritatẽ illi annuntiaret: Rexque Sedechias carceri addixit Ieremiã eadem ratione. Verùm enimuerò haud-

quaquam

quaquam poterant carceri conſtringere veritatem: Tandem etenim omnes ſuis pe riere cum aſſentatoribus: quiq; omnium affluebant rerum copia, ſolius inopiam patiebantur veritatis: ſponte illam ſibi aſſumẽtes, quæ iure meritò debebatur, pænitentiã.

Nimia etiam inciditur garrulitate vitiũ deriſionis: quod quàm ſit pernitioſũ, eius colligitur ex effectionibus. Legimus ſiquidem pueros quoſdam, Eliſæum deridẽtes, fuiſſe coram eo, ab Vrſis duobus egredientibus dilaniatos: & ob ludibrium quo affecit rex Ammonitarum nuntios Dauid, ſubſequutum eſt eius, totiusq; regni illius exitium. Quod ſanè vſqueadeò hodie inualuit vitium, vt Chriſtianam Chriſtianos inter agere vitam, ducatur amentia: multiq; pia ſectarentur opera, ni illudi vererentur.

Planè ſi omnia proſequi vellem peccata, quæ infræni admittuntur loquutione, vix grande ſufficeret volumen. Non etenim tantùm aduerſus creaturas extẽditur deriſionibus & ignominijs; verùm etiam ipsũ aduerſus Creatorẽ horrendis inſurgit blaſphemijs. Hoc ſufficiat dixiſſe: ſola poſſe linguam moderari Diſcretione; vt nimis

deuitans & parum, nedum Deo iniuriam non irroget, ſed & eius ſit inſtrumentum, quo honorificetur in fratrum promouẽda ſalute: quemadmodum in linguis igneis apparuit Spiritusſanctus ſuper Apoſtolos.

De vſu Sacramentorum. CVIII.

QVAE hactenus diximus, ita mundanis ſunt neceſſaria hominibus, quemadmodum & internis. Omni etenim in motione opus habemus tuta duci præceptrice Diſcretione, ni in extrema volumus naufragare vitioſa: iam verò noſter magis dirigetur ſtylus his qui ſpiritũ profitẽtur: qui niſi huic hæreant virtuti, eò magis periclitãtur, quò nobilior eſt eorum ſtatus, maioriq; poſſunt è celſitudine ruere. Quoniam verò quilibet verè internus ſanctiſsimo delectatur Sacramẽto; de hoc breuibus volo agere.

Nonnulli myſticum hunc frequentant cibum, magis ex cõſuetudine, quàm ex amore. Et vbi quandam induxere formulam, ita incogitanter accedunt, prout ſuam artifex tabernam. Neq; verò mirum ſi minimè proficiunt, fiuntq; indiès deteriores; quoniam

niam id incidunt iudicij, vnde arguit Corinthios Paulus, dicens: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini. His opus eſſet Diſcretionis, qua propriam agnoſcerent indignitatem, huiuſq; præcellentiā cibi: quod ſi facerent, citò ex indignis fierent non indigni.

Alij libenter accedunt, quòd nonnihil ibi inueniant ſpiritalis ſuauitatis: indeq; allecti accurrant, tanquam apis melli: illamq; ni obtineant ſtatim amareſcunt; videturq; illis meriti ſe expertes, quod metiuntur nō iuxtà in virtutibus progreſſum, paſsionūq; victoriam, ſed iuxtà propriam ſenſibilem dulcedinem. Hiſq; ſanè pertimeſcendum, ne fiat eſca hæc mortifera: inſtar carnis Hebræis in eremo conceſſæ, quæ cùm adhuc eſſet in dentibus eorum diuinā experti ſunt vltionem: Hi præ Diſcretionis inopia, minimè vident quare accedi debeat Sacramentum. Ideoq; ſimiles ſunt illis, qui medicina oblectarentur; non quidem vt valetudinem recuperarent: ſed nonnullius in ea inuētæ gratia ſuauitatis. Multò eſt ampliùs ille reprehēſibilis, qui ſacra hæc frequentat

myſteria, non Deo vt vniatur, ſed priuati cauſa delectamenti: quæ guloſitas dicitur ſpiritalis: eo magis exitialis, quò ſecurè amplectitur, vti res pia & ſancta.

Alij vſqueadeò ſunt pauidi hoc ad Sacramentum, vt vel recordantes contremiſcāt: vbiq; ſunt communicaturi, nunquam exatiantur apparandæ, ieiunijs, vigilijs, ſcrupuloſiſq; confeſsionibus conſcientiæ: totamq; illam noctem ducūt inſomnē, dieq; tranſigunt triſtes valdè. Quorum miſerabilis profectò eſt conditio; cùm inſtituta ſit nempe ſacra hæc Synaxis hilareſcendæ conſcientiæ, ipſos oppoſitum inde, hoc eſt triſtitiā ſortiri. Quod ſanè ex carentia fit Diſcretionis: qua addiſcimus nimia in appetentia fręno cohiberi; nimioq; in terrore adhibere ſtimulos; metùs tempore fiduciā aſſumere; temporeq; audaciæ timore attēperari, non quidem ſeruili, ſed filiali.

Arduumq; ſanè eſt tot inter pugnantia conſtantem inuenire regulam, niſi prudēti dirigamur Diſcretione. Quam ſequentes dicere poſſumus; ſi conſcientia mortiferæ non arguatur culpæ, nequaquam eſſe abſtinendum. Virtute etenim illius vigeſcit

anima

anima aduerſus omne Diaboli tentamentum. Neq; etiam abſtinendũ, vbi quis animi dubius eſt, num quicquam gerat latentis peccati: communicando ſiquidem ampliùs illuſtrabitur, vt illud agnoſcat.

Si Sacramento ampliùs quàm anteà quis inardeſcit, aliam non expectet præparationem; ſed conſtanter accedat. Si verò ſuſpenditur, neſciens quid eligat; aio, præſtare vt cõmunicet, quàm vt abſtineat. Opus ſiquidem ex ſe bonum eſt: timenteſq; indicant illud ſe reuereri. Et quanquam à peccato eſſent recentes; modò verè proponãt emendari, Confeſsioneq; priùs purgati, bonum eſt commucicent, quò vim reſtinguãt Diabolo. Si quis verò omninò vult abeſſe à periculo, optimi fuerit conſilij, proprium ſubmittat ſenſum nutui cuiuſpiam periti ductoris: pareatq; mãdatis. Valde etenim errant, qui Sacramentum accedunt ex formula quadam, obq; delectationem: neq; verò minùs, qui rarò adeunt, ſimpliceſq; impugnant ſæpe adeuntes. Falluntur & q tot præmittere volunt præparamenta: acſi dignum illi operibus noſtris parare poſſemus hoſpitium: ſanitatemq; vellemus ante

medicinam recipere. Qui autem obedien tiæ ſe reſignat, errare haudquaquã poteſt. Quod totum dijudicabit ſancta Diſcretio: quę nimis neq; auidos, neq; nimis nos ſinet eſſe ieiunos: ſed idoneos, qui cum Paulo ſciamus & abundare, & penuriam pati: viamq; ſemper incedere mediam, quæ eſt tutiſsima, vitatis extremis. Cumq; huius non poſsit certa rei ferri ſententia; præſtiterit neq; damnare abſtinentes, neq; diſcre tè frequentantes. Vtriq; enim bono poſsũt niti fine: prout & piè Zacheus excepit Dominum in domum ſuam gaudens: itidéq; eius, præ humilitate ac reuerentia, renuit præſentiam Centurio: vti enim qui indiſcretè illum inuitat, propellit: ita qui diſcretè propellit, prouocat vt ſecum inhabitet.

De prouemiẽtibus: ex indiſcretione incõmodis. C IX.

TAM varia in interna vita occurunt impedimenta, vt minimè poſsint generali comprehendi regula, niſi vni redigantur Diſcretioni: cuius eſt munus plus inter & minus, perfectum & imperfectum, diſcrimen

men agnoſcere. Ideò hoc in ſtudio præualent admodum, qui ſano pollent naturali iudicio. Superueniente enim gratia, bonumq; nacta fundamentum, magis hac proficiunt in virtute, cæterisq; conſequenter omnibus. Qua deficiente, tot inciduntur pericula, vt ex illis agnoſci poſsit, quàm ſit eius neceſſaria præſentia.

Docet naturalis Diſcretio, prodeuntem ad pugnam quempiam non oportere inermem eſſe, niſi ſtatim velit interimi. Neque rurſus tanto debet onerari armorum pondere, vt inhabilis ſit ad pugnandum: quemadmodum deponere coactus fuit Dauid arma Saul, quibus indutus, cùm eſſet puer, nequaquam poterat incedere. Ita autem debet armari, vt hinc muniatur ab aduerſarij ictibus, inde valeat illum impetere. Ita ſpiritalis docet Diſcretio ne ſpernamus arma ſpiritus, nempe ieiunia, vigilias, & corporis macerationes: idem enim fecit Dominus noſter, vbi illam ieiunio reportauit victoriam, quam amiſerat primus homo gulæ indulgendo. Rurſum non conuenit ita his prægauari hominē exercitijs, vt exhauſtis poſteà viribus, haud-

quaquam

quaquam ſit habilis qui iugi depugnet oratione. Vti enim nimia fuſcatur mens cibi ſumptione: ita & neceſſarij ſubtractio periculo eam adigit corporalis ægritudinis. Minoriſq; fuerit mali, nonnihil plus, quàm minus ſumere. optimi autem fuerit remedij, ſi ſemper nos Diſcretione emetiemur.

Non minùs errant qui præproperè armantur, tempore autem adueniente certaminis, inueniuntur nudi & inermes. Ita Petro contigit, qui vſqueadeò ſtrenuum agebat verbis, vbi non erat opus; vt adueniente poſtea neceſsitatis tempore, ceſſarint verba, ſimul & facta. Exigit autem Diſcretio vt nunquãnon ſimus muniti: neque verò vnquam perſuaſum habeamus ſatis nos eſſe præmunitos ac roboratos. Nõ minùs etenim timor; quàm arrogantia, nos aduehunt periculo.

Si miles, dum impugnatur oppidum parte ex vna, alij accurreret ſuppetias ferre, indeq; depugnaret, vbi minimè opus ſit: ab omnibus cenſeretur indiſcretus. Huic porrò illabuntur incommodo, qui, cùm ab inani impugnentur gloria, aduer-

ſus

ſus ſomnum luctantur. Ex quo poſtea fiunt tumidi: & ita plerunq; fit, vt immoderata exterior pænitentia inanem nutriat arrogantiam: vt videamus huiuſcemodi fieri proprij capitis, irreſignatos, illosq; diiudicare, qui tot minimè amplectuntur aſperitates. Sed certè fruſtrà depugnant. Inde etenim fiunt deteriores, vnde vera increſcere deberent virtute. Quis porrò eorum ſit progreſſus hinc colligi poteſt. Sufferentes etenim omnem corporis afflictionem, minimè poſſunt verbulum quodpiam tolerare, quod eorum aduerſetur ſenſui: conſilijq; minimè ſunt capaces; propterea quòd, cùm nonnihil externè priſcis ſimiles appareant Sanctis, perſuaſum habent, ſe vel ſpiritu eoſdem eſſe. Verùm ſi lumine vigerent Diſcretionis, palàm agnoſcerent, ſe vſqueadeò ab illis internè abeſſe, quantum externo accedunt in habitu.

Idem dicere poſſumus de his, qui aduerſus ſuos depugnant; qui victoriam minimè reportabunt, cùm Diſcretione deficiant. Huc impingunt, qui proprios odere aduerſantes: iniuriasq; fugiunt, & op-

probria.

probria. Nemo etenim maiorem nobis præbet merendi occaſionem, quàm qui iniurias irrogant: diciq; poſſunt verè noſtri amici. Quemadmodum de Herode legimus: qui nunquam, prophanus hoſtis, beatis tantum paruulis prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio, dum illos gladio interemit. Qui ſuum odit perſequutorem, ſeipſum expoliat corona: quiq; minimè quicquam vult ignominiæ, ſemper manet tepidus. Ita rurſum periculo ſe obijceret, qui nimis ſiti aduerſantibus confideret: verè etenim non foret diſcretus. At non minus illi incidunt exitij, qui in terrenis amicis & conſanguineis nimis confidunt: dicente Chriſto: Inimici hominis domeſtici eius. Odio etenim haberi debent, quatenus à Deo nos remorantur: qui ſummæ actus eſt Diſcretionis, vt nosipſos etiam odiamus, ne creatore fraudemur.

Multi cùm continuò agant in periculo animarum ſuarum; præſumunt aliorum eſſe ductores: non expectantes à Deo vocari, vt Moſes: immò ſeſe, vt Dathan & Abiron, ingerentes; qui Diſcretionis ſi

eſſent

eſſent participes, viderent non decere militem alienæ diſtringi propugnationi, cùm laborat ipſemet mortis diſcrimine.

Nonnulli laſciuas amant cōſuetudines, moranturq; in occaſionibus: vt victoriam minimè conſequi poſsint carnis. Qui etenim amat periculum, peribit in illo. Nonnulli tribulationes fugiunt, & patiendi occaſiones. Vtriq; ſunt Diſcretionis inopes: quæ contrà exigit, carnem fugiendo, tribulationem vinci amplectendo: propterea quòd vti prior fugiendo, viribus eneruatur; ita inſequendo ſecundus manet confuſus aduerſarius.

Docet & Diſcretio victorem non cenſeri qui nundum manus conſeruit. Non enim (vti D. inquit Paulus) coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Cuius contrarium illi faciunt, qui cùm abſq; eorum induſtria, dono quopiam polleant naturali: verbi gratia, caſtitate, clementia, vel prudentia; gaudent ſibi placentes, aliosq; aſpernantur, qui, cùm huiuſcemodi neutiquam præditi ſint muneribus, obnituntur propriæ propenſioni, quò illa adipiſcantur. Et tamen iſti meliori agunt in ſtatu,

quam

quam illi: propterea quòd vti leuioris eſt negotij fundamento ſuperſtruere naturali; ita & damnabilioris eſt deſidiæ, concredita non exercere talenta duplicato cum fœnore: præcellentiorisq; eſt virtutis, gratia id conſequi, quò minimè opem fert natura.

Aliud proficiſcitur ex indiſcretione incommodum: nempe cùm diſcernere non nouit homo, quid maioris ſit meriti, quid minoris. Quapropter conqueritur non habere ſe vnde mereatur: cùmq; id præ manibus habeat, conqueratur autem non habere; perinde eſt acſi minimè haberet. Ita queritantur, qui aduerſa detinentur valetudine, non poſſe ſe quæ cæterij faciunt, præſtare: nẽpe, vt ieiunent, vigilent, templa viſitent, cæteraq; id genus peragant exercitia. Neq; verò vident vberioris eſſe meriti, patienter ferre ægritudinem, Deiq; conformari voluntati, quàm vt lubet, agere.

Cæterùm, ſi ſingula proſequi vellem, ex indiſcretione quæ proficiſcuntur vitia; cogerer metam excedere conſuetæ breuitatis. Omne ſiquidem peccatum ad hoc

reduci

reduci poteſt principium. Nam ſuperbia medium egrediendo, ſupra proprias, ſibi aſſumit vt volet vires, Deoq; æquetur. Ediuerſo tantam demergit luxuria in vilitatem, vt ſimiles reddat brutis animantibus. Diuinoq; fit plerunq; iudicio, vt ab illo ad hoc proruamus extremum. Relicta ſiquidem media Diſcretione, iam non eſt quicquam retinaculi: idemq; cæteris dicere poſſumus de vitijs.

Hoc vnum dico; nequaquam diſci Diſcretionem: immò cæteras illa addiſci virtutes: omnemq; per ipſam agnoſci defectum. Hinc cenſetur reprehenſibilis, qui feruenter incipit, deinde deferueſcit: qui à ſummo vult exordiri gradu, non infimo: qui ſurgenti non reſiſtis tentationi; volensq; poſtea obſiſtere, vbi iam inualuit, pares iam non ſuppetunt vires: qui in partis ſibi placet virtutibus: qui vult ducem ſuum anteire: qui minime ſe exiſtimat auxilij indigum, conſilij'ue: qui minima ſpernit. Summa, linea, metimur Diſcretionis, quid plus, quid minus iuſto accedat: quid'ue laudem mereatur, vel reprehenſionem.

De

De Diaboli tentamentis. C. x.

NEQVAQVAM poſſet tartareus ſerpens, qui continenter noſtro inſidiatur profectui, nos deuincere, ni prius aſtutè ſatageret nos è tuto educere Diſcretionis præſidio. Cuius tametſi minimè, vti Paulus, exploratas habeamus cogitationes, & fraudes; non omittemus tamen quin aliqua in parte inde loquamur: vt planum fiat, artem eius ſitam eſſe, vt ad extremitates ſemper adducat, fido derelicto medio. Ita primò aggreſſus eſt mulierem attentare: quippe faciliorem arci dimittendæ Diſcretionis: ita & cùm minimè poſſet proſperitatibus D. Iob fallere, vt intumeſceret, conuertit ſe ad deſperationis viam, nimia incutiendo illi flagella.

Nonnunquam ſupra proprias nos tentat vires, vel ad horam non ſinens nos reſpirare, quò operi cedamus, arbitrantes victoriam haudquaquam poſsibilem. Si verò hinc noſtrum conſpicit minimè laſſeſcere propoſitum, ſtatim alij accurrit extremo: ſummæq; nos derelinquit quieti: vt in animum inducamus victoriam iam

nos retuliſſe affectionum omnium. Vbi verò hac nos reddidit fraude ſecuros, tum verò ingeminat inſidias: improuiſosq́; aggrediens, eò maiori nos impellit caſui, quò offendit minùs præparatos. Oportet igitur magnorum tempore conflictuum, ne deſperemus: quin immò fide inaugeſcamus: ſcientes non permiſſurum Deum ſupra vires nos attentari: ſed repenſaturum etiam cum tentatione fructum: vt poſsimus ſuſtinere. Ita quòd maiori in moleſtia, maiorem ſupernè debemus opem præſtolari. Debemus itidem induciarum tempore ſuſpendi: neq; vnquam præfidere, deſidiæúe reſolui: ſcientes quia nō dormit aduerſarius noſter: itaq; diſcretè mediū obtinebimus; vti turris immobilis, quæ ventis pugnantibus loco non mouetur.

Solet & ante lapſum Deum nobis inſinuare admodum miſericordem, modiciq; culpam noſtram momenti. Vbi verò graui cuipiam nos inuoluit culpæ, tum verò graues commemorat, quas ſumit Deus de peccatoribus, pænas. Ita protoparentibus fecit noſtris: quibus priùs occluſit oculos, ne peccati cernerent grauitatem: mox & re-

cluſit;ita vt propriam erubeſcentes nuditatem, ſe abſcōderent à facie Dei. Hæc inter extrema,docet Diſcretio, ante lapsū diuinam ob oculos nobis ſtatuamus iuſtitiā: ſi verò ex infirmitate labimur, ad miſericordiæ confugiamus medicinam. Vti enim peccandi confidentia in peccatum demergit; ita exaggerat morbum deſperatio,vulnusq; reddit immedicabile.

Sæpe etiam varias aduerſum nos excitat diuexationes: eodemq; ſuggerit in tempore,noſtri nequaquam Deo curam eſſe: minime'ue ab eo noſtræ proſpici neceſsitati. Quo non obtento; ſtatim pugnā inuertit: ſopitaq; tentatione, perſuadet hoc noſtra factum virtute. Quis iam geminam hanc poterit euadere decipulam,niſi qui Diſcretionis compos ſibi omnem culpam, omnem Deo acceptam refert virtutem?

Nō minoris eſt exitij, cùm internis pſuadet hōibus nequaquā conſilia curare: ſed à Deo illa expectare, qui minimè pōt errare. Hocq; ſi obtineat, ſtatim ſe offert, vti lucis Angelum, varias per apparitiones, & guſtus, & miracula. Quib' fidē accōmodātes, ſenſim grauiſsimis implicitos nos ex-

perimur erroribus: quemadmodum hodie pleraq; ſpiritalium pars ita illuduntur. Si verò rurſum perſuadere non poteſt vt aliena ſpernamus conſilia; adhortatur omnes conſulamus: negotiationemq; quandam exerceamus: vt vno aliud præpediatur conſilium: nullumq; perfectè exequamur. Qua in re exigit Diſcretio, diſpiciamus, quis idoneus ſit conſilio ſuggerẽdo: illumq; conſulentes, non niſi magna de cauſa inde recedamus. Nam vti omne ſpernere conſilium, ſuperbiæ eſt: ita & omnium ſectari, inconſtantiæ eſt argumentum.

Nonnunquam poſt cibi ſaturitatem & ſomni, deuotos nos facit, dulciumq; plenos lachrymarum. Hoc autem nititur, ne credamus crapulã ſpiritui repugnare. Quo & in congreſſu ſi ſe videt victum, accurrit extremo alij: poſtq; immoderata ieiunia, fletui nos commouet; vt tum inedia, tum lachrymis areſcat cerebrum: vſumq; amittamus rationis: vti pleriſq; factum eſt. Hic porrò exigit Diſcretio, primùm vim minimè fieri in guſtu, vel lachrymis: cùm ſæpe magis Deo placeat aridus, quàm deuotus. Deinde vt eo, quod nobis eſt neceſſarium,

ſimus contenti: ne vel nimia corpus atteratur inedia, vel foueatur ingluuie laſciuia.

Aliam non tacebo inimici fraudem: quæ ſæpe ſuadet noſtra tegamus benefacta, ſub ſpecie humilitatis; quò fit vt fraudetur proximus noſter bono exemplo; contra quàm docuerit Chriſtus, hortans lucernas habeamus in manibus; hoc eſt, bonis lucem mũdo præbeamus operibus; vt glorificetur Pater, qui in cœlis eſt. Huic ſi non compreh̃edit laqueo, contrà aggreditur; nempe vt adeò noſtra publicemus bona opera, vt ſimus hypocritæ. Cui ſi minùs aſſentimur; ſuadet vt & famam ſpernamus noſtram; alienumq; nihilipendamus offendiculum. Hic aliud non eſt remedij, quàm vt Diſcretione dijudicemus, cui, & quomodo, & quando, opus ſit prodendum, celãdum'ue. Non etenim omnia omnibus opera prodẽda: neq; ſemper illis ſuperſedendũ, ob aliorum ſcandalum; quemadmodum non parcebat Chriſtus ſcandalo Phariſæorum.

Magna inſuper vtitur arte inimicus, vbi cuilibet ingratum & infenſum conatur proprium reddere ſtatum; vt conſcientia maneat irrequieta & perturbata; vnde poſtea

peccato

peccato impingat. Verbi gratia. Matrimonio iuncto proponit, quæ in Cœnobio agũtur bona; nempe obedientiam, orationem, abſtractionem. Hincq; illum incipit irrequietum reddere, vt matrimonij pigeat, & liberorum; cauſeturq; minimè ſe poſſe perfectum eſſe; non ſua quidem, ſed ſtatus culpa, in quo agit. Monacho dehinc ob oculos ſtatuit, quæ in matrimonio aguntur bona; pietatis nempe opera; liberorum educationem in Dei honorem; aliaq; id genus. Ita contemplatori merita proponit vitæ actuoſæ; & hanc agenti, merita contemplãtium; quò vtrũq; ſtabilitate expoliet; ſciẽs nimirum, quòd quemadmodum ſæpe tranſlata ſterileſcit plantula; ita & quæ ſæpe mutat propoſitum anima, medioq; ſpreto ſalutis, quod habet præ manibus, vetitum concupiſcit; neq; hoc neq; illo proficit in ſtatu. Diſcretio autem poſtulat, vt, cùm quopiam agat homo in ſtatu ſalutis: quando vbilibet inuenire eſt & aduerſantia & promouentia multa: illam operi mancipet iuſtitiam, quæ illi eſt poſsibilis. Nunquam etenim maiori aptus erit profectui, q̃ priùs non fuit minori: quiq; ſua non eſt conten-

tus vocatione, in illa exequendo quicquid illi incumbit; non vocabitur à Deo ſublimiorem ad ſtatum. Quod porrò nititur inimicus circa ſtatus, idem agit vt temporum interturbet ordinē: vnde ſemper vnius tempore actionis, recordationem ſuggerit alterius. Ita orantibus nobis, offert vniuerſa ſamiliæ negotia: vbi verò neceſſarijs diſtinemur occupationib', orationi adhortatur: quò & actionis & contemplationis ſimul nos faciat fructus expertes.

Conſueuit & duplex animæ veterator offerre decipulum, vt impingat, vndecunq; ſe vertat. Vti cuidam fecit: qui, cùm pergratam ſuſcepiſſet ex adulterio prolem; vtrum, proponebat, magis adlubeſceret; peccaſſe, an non. Quo in tentamento, ſi negationem accipiebat, obſiſtentem ſentiebat prolis amorem: qua non potiretur, niſi peccaſſet. Sin affirmationem; culpæ aſſentiebatur. Alij quæſtionem ingerebat, præſcitus num foret, vel prædeſtinatus: vt illud accipiendo, deſperationi adigeretur; iſtud, inani ſubijceretur gloriæ. Ita & ſæpè pia offert opera, vti eſcam; ſub quibus noxium cœlat finem. Veluti voto inducit Mo-

nachatus

machatus; quò poſtea deſciſcamus. Cui hodie reti innumerabiles inuoluuntur, qui ſeculo remeantes fiunt, quàm anteà, peiores.

Quis iam infinitas referat Anguis tartarei decipulas, omni ex parte, omni in loco, & tempore ſuos tendentis laqueos: ſuamq; cuilibet offerentis eſcam: vti piſcator piſci? hoc vnum ſufficiat dixiſſe; Diſcretionem nempe omnium referre victoriam. Libramentum eſt etenim extremorum omnium; aduerſumq; deſperationem ſpei hortatur; in temeritate humilitati; immoderatam temperat triſtitiam gaudio ſancto; leuemq; lętitiam ſancto culparum dolore. Hæc perſeuerantiæ adducit; præuidereq; facit finem. Breuiter dicam, omnes inimici hæc diſsipat inſidias.

Vt Diſcretio tollit tepiditatem. c. xr.

Conſueuere tepidi admodũ efferre Diſcretionem; quoniam ſe autumant illam poſsidere. Attamẽ longè ab ea magis quàm cæteri omnes abſunt homines. Verùm operæpretium primò fuerit ſcire; tepidum eſſe, qui viam aggrediũdo ſpiritus, poſt primi-

tiuum ſeruorem retrocedit, indieſq; magis deſeruescit; neq; verò ſuam agnoſcit frigiditatem; ſed ſecurè dormitat in periculo; propriùmq; excuſat teporem, vocabulo Diſcretionis; adducens, tanto neutiquã opus eſſe feruore; ſufficereq;, vti cæteri faciunt, ita facere. Verùm non mirum, ſi hoc vtitur Diſcretionis nomine præpoſterè, quæ veri eſt nutrix feruoris: quando & cæteris idem facit in rebus; virtutem vitio confundens: quoniam illius omnino eſt expers veræ Diſcretionis, quam minimè nouit. Hinc arrogantiam nominat honorem: ſeruitutem dicit obedientiam: puſillanimitatem compellat humilitatẽ: hypocriſin prudentiam: vindictam zelum: furorem feruorem: indignationem cenſet correctionem: detractionem charitatem: adulationem beneuolentiam. Ita & crapulam ducit recreationem: diſſolutionem appellat vrbanitatem: triſtitiam malam, compunctionem: cæremonias veram uult eſſe pietatem. Ita vitium dicit virtutẽ: contrà, virtutẽ vitiũ: vt magnanimitatem ſuperbiam, Zelum diuini aſſerat honoris rebellionem, abſtinentiam indiſcretionem. Vnde agnoſci poteſt, quàm

à vera

à vera abſit Diſcretione, cùm vitium à virtute minimè diſcernat.

Ait tepidus: tantam non curo perfectionem: nolo cæteris eſſe ſanctior: non iam Sanctorum eſt ætas: haudquaquam oportet vſqueadeò ſubtiliter emetiri virtutes: miſericors eſt Deus: ſatis mihi ſalutem attingam. Quibus ſanè in verbis ſumma perſpicitur indiſcretio: & conſequenter omnis priuatio aliûs virtutis: cùm id minimè agnoſcat, quod vulgò dicitur: in via nempe Dei non procedere, eſſe retrocedere. Exigit Diſcretio, bono in immenſo immenſum eſſe noſtrum deſiderium: neq; verò vnquam ſatis habere quenquam perfectionis gradum: quoniam quò maior poſsidetur perfectio, eo eminentiorem generoſum atq; inclytum cor propellit ad celſitudinem. Igitur omninò tepidus obuerſatur diſcreto.

Exigit Diſcretio, noſtra ſemper miſceri de Deo, regijsq; atq; heroicis colloquia virtutibus: vti'ue ſupremum perfectionis ad culmen attingi poſsit: verbaq; ſuggerit diuinum flammantia amorem, corq; ſuccendentia audientium; à verbisq; manet

infinitum

infinitum denuò incipiendi deſiderium; acſi nihil actum foret. Contrà tepiditas verba mouet otioſa, captioſa, ſeu cauillis plena, curioſa, inania: audientesq; riſui reſoluit. Si verò virtutum ſermonem habet, citò illum aliò conuertit: eſtq; inefficax, potiusq; affectum de feruefcere facit proficiendi: neq; internè penetrat; quoniam vel arroganter effertur, vel contentioſè, vel cum hypocriſi. Qui igitur valeat tepidus eſſe Diſcretionis particeps; illi ſi è diametro pugnat?

Exigit Diſcretio, noſtra ſpiritus exercitia magis interne haberi, quàm externè: fieriq; è forti cogitatione, in momenta propellente animam virtutum ad culmen: non quidem vni ſoli immorando, ſed adnitendo vt omnes amplectamur: quemadmodum omnes in ſe claudit. Hinc & in horas propoſitum innouat: obliuioniq; mandans præteritum, ad ea quæ ſuperſunt ſe extendit: more Pauli. Cuius omnino oppoſitum agit tepidus: quoniam externæ tantùm intendit apparentiæ: vti obiurgabat phariſæos Chriſtus: quòd omnia eorum opera facerent, vt hominibus placerent.

rent.

rent. Et ſi quidem externè tepidus idem agit, quod feruens; non fit hoc ex firma Deo placendi deliberatione: ſed potius quadam ex conſuetudine, eadem ſemper ratione, & è formula: curaq; non eſt illi, omnes amplectendi vitutes: ſed nudo gaudet titulo: fitq; earũ oĩno inops: cũq; perſuaſum habeat virtutem ſe tenere; manet nedum eius expers: ſed & in poſterum ianuam ſibi occludit, veram vnquam acquirendi virtutem. Quò fit vt peiori agat in ſtatu, quàm palàm vitioſus. Vitium etenim virtutis tectum vmbra faciliùs proximum fallit: redditq; poſſeſſorem ſuum inſanabilem. Quî iam igitur poterit ſanctam tepidus tenere Diſcretionem?

Vera docet Diſcretio, priuatum omnem exuere amorem: Deumque purè amare: non timore potiſsimùm pœnarum, præmij'ue expectatione. Vereq; ſi reperire eſſet, abſoluteq; Deum amantem; non vnquam poſſet ſeipſum reſpicere: Deo'ue peteret munera, vel gloriam: ſed purum & ſolum ipſius honorem. Hinc, contemnatur, haud curat: quin immò gaudet: at diuina in iniuria commouetur; & colliqueſcit:

queſcit: qualis erat Moſes, & Paulus. Ere gionè tepidus priuati plenus eſt amoris: oīa q; ſibijpſi in rē propriā retorquet: niq; præmij potiſsima adeſſet ſpes, haudquaquam fidelis eſſet vel ſuis in ritibus externis. Vnde videmus huiuſcemodi, degeneris animi homines, minimè poſſe puritati ſubleuari amoris. Quare vti deſides ſunt diuinorum cultui mandatorum; ita frigidè alios eò adducunt. At propria in manutenenda opinatione, imponendisq; eorum ſubditis grauiſsimis legibus; importabiliq; cum furia plectendis earum transgreſſoribus, nunquam non ſunt promptiores: vt irritum faciant Dei præceptum, proprijs præ traditionibus: vti grauiſsimè hinc arguit Phariſæos Dominus. Iam planè perſpicitur, quàm aberret à Diſcretione tepidus.

Vult Diſcretio fundum noſtrum Deo continēter vniri: horrereq; minimā quamlibet diſtractionem. Quæ ſanè mens eſt Pauli, adhortātis vt ſine intermiſsione oremus; non quidem multi vt rentur; ore ſolùm, ſed interno cum deſiderio. Quod & admodū rationi congruit; quandoquidem niſi iugiter Deo cor diſtineatur; otioſas labatur ne-

ceſſe

eſſe eſt in cogitationes ; cumq́; proprius non ſuppetat, vnde alatur, cibus ; ſine alimento autem vel ad momentum minimè poſsit ſubſiſtere ; confuſis oppletur imaginibus, & idôlis ; è quibus facilè inania labitur in deſideria, temerariasq́; dijudicationes, amariſsimasq́; indignationes. Quod minimè nouit arcanum tepidus, qui vbi ſuis fecit ſatis ritibus, precibusq́; meris è formula, perſuaſum habet, abundè Chriſti ſe legem adimpleſſe. Quî igitur cenſebitur diſcretus, ſi ipſiſsimum eſt tepiditas Diſcretionis venenum, prudentiaq́; carnis mortifera, otioſarumq́; fomes fabulationum, omnisq́; internæ diuiſionis, & demum omnis præcipitium virtutis; vti omnium mater eſt Diſcretio, & magiſtra virtutum?

Hoc vnum dico, nedum Diſcretionis eſſe inopem tepidum; ſed & inhabilem, qui eam acquirat; quoniam tepiditate illi obuoluuntur oculi interiores, ne ſuam agnoſcat neceſsitatem. Quare cùm æger ſit, medicinam non quærit; immò aliorum vult eſſe ductor; cumq́; humi iaceat, perſuaſum habet perfectioni ſe accurrere; cumq́; ſit nudus, pulchrè ſe gloriatur amictum; cæ-

cusq́;

cusq; vult dux eſſe animarum. Vbi planũ ſit tepidum omnem eſſe oppidò quamindiſcretiſsimum.

De diuina & humana Diſcretione. c. XII.

Animalis & terrenus homo (dicebat Apoſtolus) non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Et alibi; Sapientia huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum. Et, prudentia carnis mors eſt. Quibus ex locis colligitur duplicem eſſe Diſcretionis ſpeciem; effectionibus adeò inter ſe diſsidentes, quantũ nomine conueniunt; terrenam quippe, & diuinam; quæ è diametro pugnanter iudicant; quod enim vni videtur rationabile, alteri penitus eſt à ratione alienum.

Terrena iudicat Diſcretio iuxta humanũ ſenſum: qui cùm adeò ſit infirmus, vt vix terrena dijudicet: prout in infinitis cernere eſt Philoſophorum pugnantijs: quantò minus diuina capere poterit arcana, à ſenſibus vſqueadeò noſtris diſsita? vti dicebat Apoſtolus: Quis nouit ſenſum Domini: aut quis fuit eius cõſiliarius? Et quidẽ certè nõ eſſent incõprehẽſibilia, ſi acuto poſſent

ſent

ſent percipi intellectu: quin admodum fo- rent humilia, ſi breui vſqueadcò poſſent attingi ſcala.

Oportet igitur in diuinis nedùm humano non fidere ſenſui, ſed immò prorſus illum omittere: quoniam, vti infectum vitrum non promouet, immò viſum impedit: ita & terrena inhabiles reddit prudentia diuinis capiundis ſecretis: vti dicebat Apoſtolus; Si quis videtur ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens. Hac crediderim ratione, ſcribentem Timotheo eius diſcipulũ Dionyſium Myſticam Theologiam, illi iniunxiſſe, vt ne proderet eam mundi ſapientibus; quòd deriſioni eam haberent: quemadmodum & diſcipulis ait Chriſtus; ne mittant margaritas ante porcos; ne fortè eas pedibus conculcent.

Hinc ſecreta Hebræorum theologia paginis non exarabatur; ſed animis reuelabatur, iuxta audientiũ capacitatem; ideoq; dicebatur Cabala; quod ſonat reuelatio, ſeu receptio: idemq; primitiua fiebat in Ecclеſia: vti Eccleſiaſtica teſtatur Dionyſius in Hierarchia. Scribendo etenim præcelſa fidei noſtræ myſteria, primùm ſua fraudantur

tur maieſtate; mox & multorum ſunt occaſio errorum, & impactionum; quemadmodum oculis ægris odioſa eſt & cruciabilis lux Solis. Quare nihil ſcripſit Dominus noſter, ſcribi ue mandauit, ſed euangelizando anunntiari. Quanquam verò ſcripſerint Apoſtoli, neceſsitate adacti id fecerunt; vti Ioannes, ſuis videns ſurgentem temporibus Ebionis hæreſim, qui Chriſti negabat Diuinitatem, ſuum ſcripſit Euangelium; vbi oppoſitum palàm conuincit. Verùm vti factæ ſunt Scripturæ, vt obuiàm eatur hæreticorum importunitati; ita infinitas illis pepererc hæreſes, qui eas arroganter voluerunt interpretando penetrare, non ſe ipſis aptantes, ſed immò illas proprio intorquentes ſenſui.

Iam ſi terrena velimus Diſcretione diuina emetiri, omninò videbuntur impoſsibilia; vti in ſuperexcellentiſsima Trinitate, eſſentiæ vnitas cum perſonarum diſtinctione; cum tamen vnum & idem ſint perſona & eſſentia; vti, cùm non producatur eſſentia, producatur filius, & Spiritusſanctus; cùm tamen idem ſint reipsà, quod eſſentia; vti in tribus ſit eademmet intellectio, &

vnus

vnusquiſq; plenè ſeipſum intelligat. Hæ, ſimiles'ue aliæ quæſtiones, ſacro ſunt reuerendæ ſilentio; neq; verò temerè in palæſtram vocandæ, diuinæ'ue ingerendæ maieſtati; niſi quatenus ipsa manifeſtare dignatur.

Valdè hic culpandi ſunt huius temporis homines, qui de diuinis ineunt citra reuerentiam diſputationes; audacterq; proprias tuentur opiniones; acſi cum Paulo aſſumpti forent tertio cœlo, arcanaq; audiſſent Dei verba. Sed certè diuini probè ſe oſtendunt penitus expertes luminis; quan do dixit Paulus, non licere homini ea loqui myſteria; ipſi verò cùm ſint homines, continenter inde loquuntur; huiuſcemodiq; ſemper magis inflantur ſapientia: vt pulchrè ſe comprobent non agi, quo Paulus, ſpiritu, ſed ipſa eorum ſuperbia. Proficiſcuntur hæc omnia ex veræ ignoratione Diſcretionis.

Docet Diſcretio, diſsitam omnino eſſe Spiritusſancti doctrinam, hominumq; ſapientiam, qui dicuntur eruditi. Prior ſiquidem ardentibus addiſcitur ſuſpirijs, lacrymisq; orationi. Altera per Logices &

Cc Phyloſophiæ

Phyloſophię ſubtilitates. Illa in monte addiſcitur contemplationis, cum Moyſe ingrediendo ſuperlucidiſsimam caliginem, vbi moratur Deus viuus: cuius claritas, nimio incõparabiliq; eius ex fulgore, dicitur caligo. Iſta in noſtrorum valle acquiritur ſenſuum: ratiocinando, ac de hoc ad illud obiectum diſcurrendo; emendicataq; per viam experientiæ infirmiſsima cognitione. Ad illam non introducuntur, niſi defœcati ab omni propria exiſtimatione animi: omniq; mortificati vitio. Propelluntur ad iſtã arrogantes homines, qui venandæ cauſa famæ, Diabolicam eorum venditant ſapientiam. In illa quies tranquilla reperitur, pax perfecta, & indubia certitudo. Hic continua cernitur interna conturbatio, anxietatis plena, diſsidium perpetuum: vti palàm perſpicimus neotericis in diſputatoribus: tricæq; innumeræ abſq; ſtabilitate aliqua: ita vt omnem ſe transforment in veritàtis colorem: inſtar Chamæleontis: niſi quòd à veritate ſunt penitus alieni.

Prior, per viam amoris, ſuprema voluntatis noſtræ portione, indeſinenter vnitati aſpirat Creatoris. ſecunda mundanam per ratioci-

ratiocinationem effunditur in incomprehẽ ſibilem creaturarum varietatem: ideoq; illa eſt compendioſiſsima: quemadmodum didicit eam Paulus vna die: hæc vſqueadeò eſt prolixa, vt quò magis illius inuigilatur ſtudio, eò minùs apprehendatur: vti dicebat Paulus; Semper diſcentes, & nunquã ad ſcientiam veritatis peruenientes. Et, vt vno dicam verbo; prima priuatum omnem abſcindit amorem: Deoq; transformat: poſterior autem à Deo ſubmouet, formesq; eſt ſuperbiæ.

Non igitur mirum, ſi terrena turgidi homines Diſcretione, incapaces ſunt, immò diuinis repugnantes rebus. Vti enim per Eſaiam conteſtatur Deus: Sicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Vnde fit, vt terreni huiuſcemodi prudentes nunquamnon ludibrio habeãt verè diſcretos, illosq; inſectentur perpetuis detractionibus, & probris: hoc præſertim in tempore, vbi, cùm paulò minus extinctum ſit verum lumen; ſi quẽ cernere ſit vera ornatũ Diſcretione, ſcãdalo eſt tepidis: nõ aliàs quàm fuit Chriſtus Phariſęis: qui, vt declararet, quàm

diſsideat humana prudentia à diuina ; cùm ſons eſſet indeficiens Diſcretionis, amens reputatus fuit. Eademq; inceſſere via eius diſcipuli: ſingulariter verò Paulus, quoniã cœteris erat diſcretior, cœteris fuit iudicatus amentior. qua de ignominia ipſe gloriabatur dicens: Nos ſtulti propter Chriſtum: tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema, vſq; adhuc.

Vbi anima vera charitatis vnitione Deo transformatur, iam non operatur vti anima: ſed Deus in ipſa. Quare par non eſt eam mundanis ſubdi iudicijs: tametſi apparenter videatur reprehenſibilis. Deus enim omnem ſuperexcedit rationem: quodq; in ipſo videtur culpabile, ipſiſsima eſt perfectio. Diſcretiſsimus itaq; fuit Eſaias, vbi, Deo iubente, nudus per ciuitatem incedebat: Ezechielq; comedens in oculis populi panẽ humano opertum ſtercore: & Oſee accipiens vxorem fornicariam. Ita & B. Frãciſcus cùm nudus per vrbem incederet, minimè recedebat à Diſcretione: multiſq; de eius ſocijs legere eſt actus, amentiã præ ſe ferentes; qui diuina redundabant ſapientia.

Fiunt

Fiunt hæc omnia, propterea quòd infinitus eſt Deus: eiusq; in famulatu nimij eſſe non poſſumus: eiusq; in amore attingi non poteſt extremum: quin ſummæ eſt Diſcretionis, omnem tranſcendere modum, tàm in operibus, quàm in verbis. Ideoque ſancti heroesque viri ſępe excedentes loquuntur: cumq; id exprimere nō valeāt, quod ſentiunt; acti ſpiritus vehementia, vnum pro alio pugnanter enuntiant: veluti immodico ex amore, indignationis emittunt verba: nimiaq; è fiducia, Deo mouēt querelas, illumq; veluti arguunt; tum verò illum ſummè laudibus efferentes. Verùm quoniam longiorem exigeret hæc materia proſequutionem, hac illā claudęmus ſententia, nullum fore penes Deum Diſcretionis participem, niſi à mundana recedat Diſcretione.

Quî vera acquiri poſsit Diſcretio. C. XIII.

SI virtus nulla proprijs acquiritur viribus; multò minùs, quæ omnium eſt domicilium abſolutiſsimum virtutū, aurea Diſ-

cretio. Veruntamen vti noſtris potiſsimùm Deus non elargitur laboribus; ita illis tantùm ſua donat chariſmata, qui fideliter laborant: gratia etenim non tollit, immò noſtram ſtatuit liberam facultatem; noſtraq; non imminuit, immò confirmat gratiam induſtria. Cùm itaq; ſit hæc virtus excellentiſsimum Spiritusſancti donum; nequaquã ducere debemus impoſsibilem eam acquiſitu; ſed eò faciliorem, quò noſtras ſuperexcedit vires, in manu ſita munificentiſsimi vſqueadeò donatoris Dei.

Dixit Saluator noſter, exultans in Spiritusſancto; Confiteor tibi Pater, quòd abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus; & reuelaſti ea paruulis. Vbi planum facit, virtutem à Deo impetrari non poſſe, niſi media humilitate. Itaq; ſi velimus eſſe diſcreti, humiles primùm ſimus oportet: Chriſti exemplo, qui cùm in forma Dei eſſet; exinaniri voluit, ſuamq; tegere maieſtatẽ ſub noſtræ operimento carnis, operãs in ea mũdi ſalutem. Quò ſi iugiter aſpiciemus, vnà cum cæteris & Diſcretionem addiſcemus virtutibus.

Iam verò primùm eius oportet exem-

plo

plo, iugiter illius arripere crucem: & illa corde euellere noſtro noxias, & otioſas omnes cogitationes, ex inordinato proficiſcentes noſtrijpſorum amore: quæ niſi continuè Chriſti extirpabuntur meditatione Crucifixi, proculdubio à tuto nos abducent Diſcretionis itinere, in varia præcipites peccata: vnde offundetur vndequaq; tenebris mens noſtra. Hoc autem ſanctum illud eſt noſtrijpſorum odium, quo verè ſumus filij Dei imitatores: vt dicere poſsimus, non poſſe animam perfectè Deo vniri, niſi priùs ſibijpſi redigatur ad nihilum: vti dixit Chriſtus: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.

Huc porrò pertingitur, omnes deuincēdo vitioſas affectiones: omnes inquam, quoniã ſi vel vna tãtùm remaneret immortificata, reliquas reuiuiſcere faceret oẽs. Vti videmus ignis ſcintillulam ſub cinere latitantem ſufficere cõcremando orbi terrarum. Hincq; fit, vt perpauci ſint, qui ſummam attingant perfectionem: quoniã aliqua in parte priuati hoc fouent venenum amoris, ſibi placentes in acquiſitis

donis, perſuaſumq; habentes ad ſummum ſe iam perueniſſe, cùm vix ſint in limine.

Argumentum porrò, quòd quis perfe-ctum ſuijpſius adeptus ſit odium, Deiq; perfectum amorem, fuerit; vt nec tantillum quis proprium reſpiciat commodum; nedum corporis, ſed & ſpiritus; nedum temporis, ſed & æternitatis. Quod ſanè penitus videtur Diſcretione abeſſe, mundi ſi attendamus ſenſum: ſed vera docet Diſcretio, perfectum non quærere amorem præmium aliud, quàm puræ obſequi Dei voluntati; gratamq; ita habere priuationem, atq; poſſeſsionem. Si etenim vel Moyſes vel Paulus mercedem reſpexiſſent, nunquam petijſſent, ille è libro deleri electorum, iſte anathema eſſe à Chriſto. qui ſummæ fuit actus Diſcretionis: cùm ſeipſum nihilo redigere ad Dei gloriã ſit quam maximè rationi conſentaneum. Cui & petitioni vberius eò reſpondet præmium, quò defæcatior eſt hic amor, quem aſſequi poſsit creatura.

Exigit etiam ſummam hæc virtus magnanimitatem. Si etenim heroica quælibet virtus cor exigit generoſum; quantò magis,

gis,

gis, quæ omnes ſimul colligit virtutes, Diſcretio? Quam qui vult conſequi, nedum aduerſantia ferre debet omnia: ſed & in his vel maximè inuigeſcere: more Pauli, qui cùm infirmabatur, erat potentior: ita vt fidenter aduerſum ſe prouocaret creaturas omnes: nihil quicquam timẽs, quod à Chriſti poſſet illum charitate diſſeparare.

Et quoniam, vti diximus, omnis noſtra interna cæcitas ex reflexo oritur noſtrijpſorum amore: tutiſsimi eſt documenti, obedientiæ malleo omnem propriam frangere voluntatem: reſignando omnem noſtri curam alienis manibus: concredendoq; ſe, non aliàs ac terra concreditur in manus figuli. Non tamen hoc dico neceſſariò voto faciendum: ſed voluntaria deuotione. Neque etenim dubium eſt, abſciſſo proprio ſenſu; cui ſuperinnititur vniuerſa multorum, quæ in nobis ſunt, machina imperfectionum; oriturum in anima verum illud lumen, in quo nedum craſſa, ſed & vel minuta quæq; apparebunt: vti ingrediente cubiculum Solis radio, vel minimi cernuntur, volitantes per aera puluiſculi.

Poſtremò neceſſaria eſt continua oratio,

tio, ſi præcelſam continenter poſsidere volumus Diſcretionem: quoniam niſi ſubleuetur anima alis orationis ſupra ſeipſam, iudicet oportebit iuxtà humanum iudicium: quod ita diſtare diximus à diuino, quantum exceduntur luce tenebræ. Vbi igitur mens orando Deo ſuſpenditur, multa percipit, quæ poſteà ſibi reuerſa, minimè poteſt capere. Hacq; de cauſa dixit Dominus noſter, oportere vt ſemper oremus, & non deficiamus: vt nimirùm ſemper ſupra noſipſos ſubleuemur, virtutemq; poſsimus hanc diuinã perfectè poſsidere.

Exemplum Chriſti. c. XIIII.

IVRE exigit Diſcretio, tractatulum noſtrum Chriſto conſumari; qui cùm Deus ſit virtutum, cuius ex ſupereffluenti plenitudine omnes accipimus; ſolus docet, & opere, & verbo, omnium magiſtram virtutum, Diſcretionem. Quare vti ipſum dicimus noſtram patientiam, miſericordiam, pacem; ita dicere poſſumus & noſtram eſſe Diſcretionem; quandoquidem ipſius ſumus munere & patientes, & pæni-

tentes,

tentes, & pacifici, & diſcreti: ita vt, quantum in ipſo erimus, vel præter ipſum, eatenus erimus Diſcretionis vel diuites, vel inopes.

Odio ſemper habuit Chriſtus extrema, ſingulariterq; medium eſt amplexus. Hinc naſci voluit in terræ medio, quarto quippè climate; naſcensq; voluit medius duo collocari inter animalia; ortusq; eſt eo in tempore, quod medium interceſsit priſcæ & nouæ legi; vt illam terminaret, hanc inchoaret: ita poſteaquàm nullibinon illum perquiſiuit Deipara Virgo, inuenit in medio Doctorum: viuens dehinc genus non aſſumpſit viuendi ſummè auſterum, ſed ſuprema attemperatum moderatione; moriens elegit medius latronum in Crucem agi; reſurgens in medio apparuit diſcipulorùm; & dixit; Pax vobis: hinc nimirùm innuens, vti virtus medio manet pacifica; ita vitioſa nunquamnõ inuicem belligerare extrema; vt videmus puſillanimitati pugnare audaciam; recedit enim vtraq; ab ea, quæ medium tenet, fortitudine; videmus & vitium vnumquodlibet alteri contraire vitio; virtutes autem ſimul omnes

Diſcre-

Diſcretionis aureæ connecti nodo.

Omnibus eius in actionibus ſummam oſtendit Chriſtus Diſcretionem; præſertim verò tempus expectando, quo ſe mundo proderet. Cùm etenim abinitio eſſet virtutum Deus, ſapientia plenus, poſtremis tantùm ſeſe declarauit annis mundo. Qua in re multorum conſpicere eſt errorem indiſcretorum; qui moram non ſuſtinent, vt aliquam ipſorum prodant virtutē; (ſi virtus dici poteſt, vbi dominatum ſibi vendicat inanis gloria) volentesq; ante tempus manifeſtari, eo fraudantur fructu, quem ſuo retuliſſent tempore, ſi hoc polluiſſent Diſcretionis munere. Nunquam etenim idoneus erit aliorum ductor, qui priùs ſanctam non fuerit ſequutus humilitatem ducem.

Miris deinde patrandis in operibns variè ſe habuit Dominus; nunc importunis flagitatus precibus; vti Cananææ; nunc ſeipſum offerens minimè rogatus: vti Viduæ ſuſcitauit filium; nunc ſolo verbo; vti Centurionis puero: nunc aliquo externè adhibito: vti cæco nato, cui oculos luto liniuit; nonnunquam illis largiendo, quos

minimè

minimè fore nouerat gratos; quemadmodum decem è leproſis vnus tantùm reuerſus eſt, qui gratias ageret: nonnunquam manus imponendo, vti multis fecit malè habentibus; aliquando orans & lacrymans; vti ſuper Lazarum; nonnunquam iniungendo vt celaretur miraculum; aliàs vt proderetur. Quæ omnes varietates vnde fierent, ſola docere nos poteſt, cuius magiſter ipſe erat, Diſcretio. Multiformibus enim vſqueadeò in his actionibus vna tantùm infinita declarabatur prudentia. Quem ſanè obſeruare ordinem minimè poterit, qui intentum Chriſto non ſemper gerit affectum.

Sic & dum proximo conſilia ſuggereret, non eadem vſus eſt ratione: nonnullos etenim ſuauiter attraxit; vt diſcipulos: quoſdã acriter redarguit; vti Phariſæos: legiſperito conſuluit, miſericordiam faceret proximo: cuidam non permiſit patrem ſuum iret ſepelire, Zachæo nõ iniunxit venderet omnia, & erogaret pauperibus; quod alij cuidam fecit. Summa, omni fuit in actione fons exuberantiſsimus Diſcretionis.

Sermo eius (aiunt Euangeliſtæ) erat in

poteſtate;

poteſtate; ſeu quaſi poteſtatem habens; nō ſicut Scribæ eorum & Phariſæi; hoc eſt, erat in virtute, & efficacia; non è formula, & arida frigidaq; verborum ſpecie tenùs. Hoc enim verbo tańtam in eo accipio Diſcretionis virtutē, vt iuxta quòd cuiq; in rē erat audientium, ſuum appelleret ſermonem; ſcinderetq; vniuſcuiusque corda; iā ſpei adducens, iam timori; nunc contriſtans, nunc lætificans. qua ſi abſcedemus regula, minimè ſaluti ſupereſſe nouerimus proximi.

Vtebatur & ſumma Diſcretione diuinis reuelandis arcanis; vt quibuſdam operiren tur, quibuſdam aperirentur. Quare turbis loquebatur per ſimilitudines; mox diſcipulis eas ediſſerebat, iuxta eorum captū; quibus dixit; Vobis datum eſt, noſſe myſteria regni Dei: cœteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Hæc neceſſaria eſt admo dum præceptio internis hominibus; propterea quòd alios debet celari perfectio; alijs aperiri. Contrà ſi fecerimus; neceſſariò vel his, qui ſunt capaces, ſubtrahetur proficiendi materia, vel minùs capacibus maio

ris

ris dabitur occaſio offendiculi.

Maius & hic docet Dominus noſter ſecretum, nempe inſignis nonnunquã opus eſſe Diſcretionis, vt præcelſa illis proponamus myſteria, quos nouimus ibi impacturos; & tamen vulgari hoc iudicio videtur longè indiſcretiſsimum. Ita ipſe cùm ſuis propoſuit diſcipulis altiſsimum Sacramenti altaris myſterium ſub verbis illis: Amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem; non habebitis vitam in vobis: Litigare tunc cæperunt nonnulli, dicentès; Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuàm dare ad manducandum? durus eſt hic ſermo. Et ex hoc multi diſcipulorum iam nõ cum illo ambulabant. Tunc dixit Dominus ad duodecim; Nunquid & vos vultis abire? Reſpondit Simon Petrus; Domine, ad quẽ ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Hoc planè non capietur arcanum; niſi illuceſcente Diſcretionis lumine: vbi perſpiciemus, neceſſe eſſe fidem noſtram nonnullis comprobari, quæ noſtrum excedant captum. Credere etenim quæ noſtro conſonant ſenſui, vti facilè eſt; ita & procul

eſt

eſt à merito: neq; verò vnquam diuinorum erimus capaces; niſi proprium ſubdiderimus ſenſum his credendis, quæ rationi videntur abſona. Quò fit vt minimè demirer, ſi hac tempeſtate pauci illi, quos mundo largitur Deus, ſancti, multis ſint offendiculo, paucis verò profectui. Lōgè etenim maxima pars temerè id dijudicant, qđ par fuerat illos fide reuereri. Oculis ſiquidem attentantes ægris Solis contueri præfulgidi claritatē, modico illo fraudantur, quod habēt, lumine: adimpleturq; quod Simeō prophetādo de Chriſto dixit: Ecce poſitus eſt hic in ruinā, & ī reſurrectionē multorū; & in ſignum cui contradicetur: incomparabiliter ſiquidem plures fuere, qui offendiculum paſsi ſunt Hebræi, quàm qui conuerſi: diuino ita exigente iudicio ob eorum indiſcretionem.

Verùm præ omnibus, eius ī extrema perpesſione infinitam oſtendit Diſcretionem, excedentem vſqueadcò, vt penitus viſus fuerit Diſcretionis expers. Ibi diſcernere nouit quantum paterno deferret honori, quem propriæ antehabuit vitæ; quantum noſtras deamauerit animas, quarum ſaluti

propriam

propriam impendit: vti Angelis faceret ſatis, eorum inſtaurando ruinas: vti deſiderium impleret Patrum in Limbo detentorum: vti omnibus finem daret Scripturis.

Mi lector, ne multis mentem tuam fuſcem regulis, & documentis; tibi hunc relinquo Chriſti Crucifixi librum: in quo cōpendioſè & efficaciter omnia comprehenduntur, ſaluti noſtræ neceſſaria documēta: cuius quò magis inuigilatur ſtudio libri, eò fit latior, maiorq; aperitur ſtudendi cāpus. Diſce verā eius in uulneribus Diſcretionem; vti infinitè teneris Deum amare, eiusq; in momēta ſingula increſcere ī amore: diſce infinito peccatum inſectari odio, & quicquid Deo te ſubmouet. Illa ſemper in fornace lumen ſimul inuenies & calorem. O beatus, qui illa ſuper Crucifixi arbore nunquamnon immoratur: eiusq; in vulneribus ingemiſcit dies atq; noctes: cordeq; in propatulo amoroſi ſui Domini ſeipſum ſepeliuit: Diſcretionē quippe ille poſsidebit. De qua ſatis cùm iam ſcriptum ſit, ſupereſt ſolùm, vt opere illius fiamus indiès magis diſcipuli, & hæredes.

D. SERAPHINI FIRMANI

CAN. REG. LATERAN.

Ac Concionatoris celeberrimi.

De ſuijpſius cognitione atq; victoria, Tractatulus breuiſsimus, ipſiſsimam atq; compendioſiſsimam ad perfectionē ſemitā oſtendens.

Illuſtri ac cumprimis colendę matronæ, D. Iuliæ à Picenardis.

CVM percurriſſem ſuperioribus diebus Opuſculum P. F. Baptiſtę Cremenſis, inſcriptum de ſuijpſius cognitione atq; victoria; totus obſtupui, vnde'nam factum ſit, quòd aliqui illud minimè probent: cùm mea quidem, quantulacunq;, ſententia,

ſententia, ſit præ cæteris omnibus, ſpiritali vitæ tractatus vtiliſsimus, immò neceſſarius. Indolensq; admodum ab omnibus illum minimè agnoſci: (quæ eſt noſtrorum malignitas temporum)neq; verò illos præſumens docere, qui doceri non volunt;hoc mihi aſſumpſi oneris, vt ſummæ illum redigerem breuitati: non quidem quòd ſit plus iuſto prolixior: ſed quò perbreue habeamus Enchiridion, quod ad manum ſemper eſſe poſsit: vndeq; diſpiciamus quotidie, uti noſtrarum victores ſimus paſsionum. Quã doquidem tota hic ſita eſt difficultas, nempe vt affectiones euellamus, cum corpori, tum animæ inſitas noſtræ. Hac planè ſi omnes hodie incederẽt via, breuis nõ vſqueadeò foret illorum numerus,qui perfectioni pertingunt. Nonnulli etenim Deo vacare volentes, guſtibus & ſenſibili oblectantur gratia, ibiq; conſiſtunt: nonnulli ſomnijs delectantur, & viſis, & miraculis: hancq; verã arbitrantur perfectionem: ſectantur alij raptus, & prophetias. Qui ſanè omnes, ni ſe exuant ipſos, eo maiori exponuntur ruinæ, quò præcellentioribus dotantur muneribus. Amore ſiquidem ma-

nente priuato, exitialia fiunt munera omnia. Quare exiſtimo vniuerſum præſentis vitæ in eo ſitum eſſe debere exercitium, vt animam vitio purgemus: guſtumq;, & internam minimè curemus ſenſionem. Hoc etenim vbi præſtiterimus; etiam volentes, minimè poterimus diuinorũ cohibere torrentem chariſmatum, quin in nos largifluè promanent. Quam breuem lucubratiunculam minimè velim, niſi inter nos, effundi: ne, faſtidioſis, ſtomachoq; malè habentibus cibos iugerentes, nauſeam prouocemus; qui humili, atq; vtili ſpreta doctrina, nunquamnon volunt (vt eſt in prouerbio) volitare per arborum cacumina. Præſertim verò velim Illuſ. D. V. ſit conſolationi: quæ cùm per crucis viam identidem à Chriſto vocetur, tutamq; hanc eſſe cognoſcat ſemitã, erit vnde ſeipsã cõſoletur; quòd delecta ſit Deo, quæ omnis ſit expers conſolationis, Chriſti inſtar Crucifixi. In quo, perfecta, bene valeat, ſuijpſius cũ victoria.

D. Seraphinus à Firmo.

De

De ſuijpſius victoria. c. 1.

Cvm creatus ſit homo medius inter beluas & Angelos; æquum eſt, partim habeat ab vno, partim ab alio; hoc eſt, ſenſu conſtet, & ratione. Si etenim inferiori portione, quæ dicitur concupiſcibilis, non eſſet ad delectabilia procliuis, nempè ad nutriēdum, & generandum; citò deficeret, nedū in ſingulari: ſed & in ſpecie. Ita niſi, quæ dicit iraſcibiiis portio, excitaretur ad propellenda noxia, manutenendaq; ſalubria; minimè poſſet noſtrum eſſe inter pugnantia poſitum, diu conſeruari. Hæ verò ambę vires ni attemperarētur cohiberenturq; ratione; nihil eſſet diſcriminis hominem inter & feras: diciq; nō poſſet diuinum præ cæteris animal: vti ab omnibus cenſetur, & pijs & prophanis. Quare naturali deſiderio, præſentibus minimè contentus, multa concupiſcit protendere famam in ſecula: verè hic ſe arguens immortalem. Oportet itaq; rationem, vti aurigam, duabus his ſupereſſe appetentijs: vti duobus equis natura indomitis, ſeu infrænis: ſi verè creatura

ratione vult eſſe prædita: aliàs nedum feri ſimilis, ſed & multò fieret deterior, minimè illa ritè vtens parte, quę in nobis eſt potiſsima: quin immò propriæ illam abutens perditioni.

Hoc p̃iacto fundamẽto, cõſequit̃, cùm ſit procliuitas ad concupiſcendum, vel iraſcendum nobis natura inſita; non poſſe illam dici vel reprehenſibilem, vel laude dignam: niſi cùm vel vincit, vel vincitur à ratione: vti videre eſt in infantulis. Dum igitur naturæ ſunt opera, meritum non aduehunt, vel demeritum, quoaduſq; fiãt vſu rationis voluntaria. Conſequitur & vulgare illud dictum verum eſſe: primos motus eſſe inculpabiles: quòd noſtra non ſint ſiti in poteſtate. Accedente autem conſenſu, iam nõ primi ſunt motus: peiùs verò operi mãdati. Quare optimum eſt, vt primæ reſiſtamus impetitioni: vti enim ſi nobis deuincantur, non ita redeunt ſubinde moleſtaturi; neque tãta cum vi: quin immò ſenſim extinguũtur: ita ſi præualeant, crebriores magisq; violenti redeunt, quoaduſq; omnino rationem obruant: ita vt lapſus conuertatur in cõſuetudinem: cui extirpandæ

eo maiori opus eſt labore, quò initiò leuiori id factum fuiſſet negotio.

Vide, quanti referat à principio rectè aſſueſcere. Neq; tamen, qui malum induit habitum, eſt quòd deſperet: ſi etenim pertinaciter adnitatur, minimè erit factu impoſsibile, vt bona expellatur conſuetudine, quæ fuerat vitioſa: præſertim cùm ſit hic gratia Dei affluentiſsima: quæ ſtatim è vitio ad virtutem nos poterit commutare. Opus eſt tamen omnem noſtram adhibeamus induſtriã: primaq; aduigilet cura cordis cuſtodiæ; vnde bonum omne procedit, & malum; vt non ſinamus otiosè illud labi vanas in cogitationes: vnde verba oriuntur inania: quandoquidem dicit Chriſtus, ex abundantia cordis os loqui. Inde poſteà & mala ſuccedunt opera. Aduigilemus itaq; ſemper oportet, diſcutiamuſq; quæ noſtro inſit fundo cogitatio: nonnullam ſcientes eſſe vanam cogitationem: nempe bellorũ, vel id genus, quæ minimè ad rem faciunt; nonnullam eſſe ſuperuacaneam; vti ſæpe ſi recogitemus noſtra mundi infortunia, rei amiſsionem familiaris, & ſanguine iunctorum; cui tamen haudquaquam poteſt re-

medium afferri. Qua in re magis oportuerit patienter ſeipſum conſolari, omnemq; abrumpere inordinatum mundi affectum; conſilium inſequendo Chriſti, adhortantis mundum odiamus, quin & propriam animam; ſi ipſo volumus eſſe digni. Sic & omnis amaritudinis, ſeu vindictæ cogitatio, Chriſti meditatiõe paſsionis, debet aboleri.

In primis verò multa vti oportet cura turpibus euellendis cogitationibus: quæ vel à Diabolo oriuntur, vel à carne, vel conſuetudine. Cuius remedium fuerit, vt occaſiones deuitemus: otium nempè, ſocietatem, gulam; continuaq; armemur oratione: hac ſiquidem ratione poterimus noſipſos deuincere.

Si qui verò maiorem ſentient laborem, magis & habebunt vnde mereantur. Ita qui matrimonio ſunt iuncti, curamq; gerunt familiarem, vel teneræ ſunt habitudinis, plus habent impedimenti, quàm quibus vegetum donauit natura corpus, vacuiq; ſunt ab occupationibus. Nihilominus huiuscemodi Deo ſi ſæpe confugient, eodem poterint, quò cæteri, peruenire. Gratia ſiquidẽ ſupplet, qđ minùs p̄ſtant na-

turæ

turæ vires: vt nunquam huic debeat homo renunciare ſtudio ſeipſum vincendi, cùm non alia reperiatur Deum adeundi via.

Illud quidem fateor, vti corporis in ægritudinibus alia eſt alia inſanabilior, ita & in anima eſſe: non tamen hinc eſt operi renuntiandum: ita enim omnino fit vulnus immedicabile. Huiuſcemodi ſunt puſillanimes, qui nimis propria attendunt errata: ita vt animo cadant, vim minimè ſibi inferentes. Contrà ſunt præſumptuoſi: qui ita diuinæ confidunt miſericordiæ, vt nunquam integrè peccato ſe explicent. Difficilè etiam curantur tepidi: qui perſuaſum habent ſe feruere, cùm vel duplo frigeſcant; ſunt enim tanquam picta ſimulachra, intus ſpiritus expertia. Ita & qui ſpem deſpōdēre, vt minimè poſsint diuinę fidere clemētiæ. Præ oībus verò difficillimū eſt illis adhibere medicinam, qui cùm ſemel in Dei fuerint gratia, eiusq; guſtauerint donum celeſte; denuò nihilominus corruerunt, retrocedentes: de quibus impoſsibile ait eſſe Paulus, vt rurſus renouentur ad pænitentiam. Veruntamen quod nobis penitus eſt impoſsibile, penes Deum fieri poteſt,

teſt, cui non eſt vulnus quodquam immedicabile; ſi ipſi velimus in fide accurrere, qui poteſt è meticuloſis generoſos, ex arrogantibus facere humiles: tepentes feruore ſuccendere: deſperanteſq; in ſpem erigere: & qui corruerunt, in gratiam reſtituere. Vt igitur hoc claudamus Caput, dico, ſi per nos non ſteterit, quin omnem nauemus operam priuatis vincendis affectionibus, diuina ſuffragante gratia: qua ſine inuanùm laboramus: erimus & noſtrijpſorum, & peccati omnis perfectè victores.

De Gula. C. II.

PRIMVM initur certamẽ in ſpiritali pugna contra gulam; quæ portioni ineſt concupiſcibili, ad nimiamq; nos trahit cibi, vitæ ſuſtendandæ neceſſarij, delectationem: vbi, cùm velimus neceſsitati ſuccurrere, nos inordinato impugnat affectu. Difficileq; eſt admodum finibus contineri neceſsitatis: omnemq; excedentem cohibere delectationem. Nam vel horam præueniendo, vel modum excedendo, vel delicias nimis procurando

procurando; facilè huic illabimur vitio: vnde acies exoritur peccatorum, vndequaq; animam noſtram circuncingentium.

Primùm abominabilis luxuriæ vitium. Venter enim ſatur facile fœtentē deſpumat in hanc libidinem: mox & acedia; vti, qui tales ſunt, minimè poſſunt orationi intendere, ſurſum'ue ſubleuari; cùm mentis alas continenter gerant viſco implicitas crapulæ. Adducit & immodicam dormitationē, turpiſsimis oppletam ſomnijs: ſicq; pretioſiſsimum auolat tempus: improuiſiq; barathrum incidimus infernale. Hinc infructuoſæ oriuntur nugæ: generatimq; in conuiuijs ſemper huic obloquimur & illi: & ab inanibus ad laſciua proſilitur: neúe alijs videamur inferiores, arroditur & proximi fama: raroq; fiunt conuiuia, quin adſit detractio: breuiter dicam, nullum non vitium furioſa & exardeſcenti naſcitur cum hac gula.

Difficileq; eam ad vnguem vincimus: cum quòd nobiſcum naſcitur, lacteq; in materno noſtri ſibi vendicat dominationē: tum etiam quòd multi eam non cenſent peccatum, arbitrantes huiuſmodi inſitam

eſſe

eſſe natura delectationem: non videntes nequaquam talem indidiſſe Deum delecta tionem, quò appetitui indulgeamus: ſed vt vitam tueamur. Gula verò penitus cõtrarium facit, nam primùm indigentiam non reſpicit, ſed voluptatem: ſæpeq; nimio ex eſu corrumpit & vitiat ſanitatem, quæ ſobria parcitate conſeruatur.

Quid autem hic opus tergiuerſationibus in re manifeſta? En potes ſextam expectare horam, nullaq; adigente neceſsitate, eſcæ accurris. Hoc eſt frangere naturæ ieiunium, quæ cibum conſtituit ſuſtendando corpori: quod minimè fieri poteſt citra culpam. Adhæc, ſumpſiſti quod eſt neceſſarium, ſuperueniente verò fercu lo alio, denuò accipis: quis ambigat hic vitium eſſe gulæ? Dehinc hortum ingrediens, pulchrumq; videns pomum, & iterum vis guſtare. Inſuper cùm ſatis tibi eſſe poſsint tria fercula, & dena vis, & duodena: cumq; modicum ſufficiat condimentum, nunquam exaturaris delicijs ſuper de licias addendis: cumq; cibum ſcias quempiam tibi inſalubrem, non tamen illi parcis: cumq; poſsis ſenſim & tractim comedere,

te vti

te vti lupum oſtẽdis longè eſcæ auidiſsimũ. Hinc inſtituta fuit menſæ benedictio, quò nonnihil attemperaretur comedendi auiditas.

Optimum & huic eſt vitio remedium, vt comedentes piam aliquam audiamus lectionem; ne minùs reficiatur mens verbo, quàm naturali corpus alimento. Aliàs inſatiabilis fit gula, totamq; diſtinet familiã, quò inuoluntario,ac varijs infecto cibariorum generibus, ſatisfiat palato; totamq; perturbat familiam, nihilipendens omniũ quietem, quò vnius indulgeatur genio,lauteq; curetur;noxiumq; non dijudicat cibũ; vnde poſteà oriuntur morbi; ſæpeq; brutalem vsqueadeò facit hominem ,vt, cùm ſit vel exatiatus, doleat quòd & ampliùs non poſsit ſuperingurgitari.

Alia poſſent aſsignari deprehendendo huic vitio argumenta; nempe ſi libenter comeſſationum verba faciamus; ſi cuti diſtendendæ vacemus;ſomniemus lautis nos intereſſe epulis; hoc cauſemur vitium ſub prętextu naturæ; quod'ue nolimus vſqueadeò eſſe ſancti,& ſcrupuloſi; intendamus hora ne prætereat. Verùm hæc in præſenti

ſufficiant.

ſufficiant.

Sanè huic oportet inuigilare ſuperādo; ni etenim hoc expugnetur, quod eſt primum; quî obtinebitur ſecundum? Hoc igitur in te vulnus ſi deprehendiſti, ſatage medicinam; quæ fuerit præ cæteris ſingularis, vt ſemper memoriæ habeas, quo fuit potatus felle, extrema ī eius ſiti Dominus noſter: ſiq; fieri poſſet, vt ad morſellũ quē libet, internè eius reſpiceres vulnera, pro pedièm dira hæc ſanaretur plaga.

Tum verò te huius poteris cognoſcere victorem morbi, cùm noſcēns datum tibi in medicinam cibum, non ferè diſcernes, nihili'ue pendes ſapidum inter & inſipidũ, modò te enutriat, grauateque ſeruituti te deijcies comedendi: vnde iugis mēti tuæ orietur conuiuium lætitiæ, omni in tempore, omniq; in euentu aduerſo. Quod erit indicio, peſſum te dediſſe omnem externi cibi oblectationem, mente penitus interna redundanti ſuauitate.

De Luxuria. c. III.

SECVNDA aduerſum nos mouetur pu

gna

gna à Principe Aſmodeo, hoc eſt, fœtente luxuria: quæ ſita eſt in cõcupiſcibili portione. Quam contra niſi arma arripiamus ſpiritus, vniuerſam proſternet ſpiritalis ædificij machinam: quæ quatuor innititur angulis cardinalium virtutum. Primò etenim impetu angulum diſijciendo temperãtiæ, ruit pariter & fortitudo: vim porrò ſibijpſi non inferendo, lux amittitur prudentiæ; vti videmus huiuſcemodi homines fieri brutales: neq; id quod fieri oportebat faciendo, amittitur ſimul & iuſtitia, qua par fuerat mentem aſſeruari mundam, vti Dei tabernaculum, quò poſsit paradiſum ingredi: vbi omnes ſunt, tanquã Angeli: quò nõ introibit, niſi qui angelicam in terris duxerit vitam.

Oritur in nobis hoc vitium, primùm è ſenſibus: nempe viſu, auditu, tactu eorum, quæ laſciuiæ prouocant: Itaq; paciſci oportet vnoquoq; cũ ſenſu, ne metam tranſgrediatur rationis. Si etenim iam ingreſſæ ſenſum non obſiſtatur delectationi, ſtatim ad ſecundum proſilit, quæ dicitur cogitatio, domicilium; vbi multę nidificãt noxiæ imagines & formæ. Tunc mentem oportet

bonis

bonis replere cogitationibus, vt prauæ cedere compellantur. Ita ni occurratur, confeſtim impugnari incipit ratio, ac feriri virulenta oblectatione; qua plerunq; implicitam ſeſe perſentit, ac circumplexam. Hic iam oportet ieiuniorum aſperitate, & vt vocant, diſciplinarũ, ſibijpſi opem ferre; vel orationibus, & cõtemplationibus; vt inde aſperitate propellatur hoc monſtrum, hinc ſuauitatibus repleatur anima cœleſtibus; quò poſsit carnales deſpicere.

Peiùs autem habet, vbi conuertitur oblectatio in conſenſum: cui diuerſi ſunt, ac noui gradus. Primus dicitur ſenſualis. Exempli gratia, manum tangere, indeq; complacere. Sequens, interpretatiuus; cùm animi es dubius num conſenſeris, vel ſecus. Tertius, conditionalis; vbi quis nollet, oculos figere, eſſe peccatum; totq; indolet prohibitiones. Poſtremus habet deliberationem; hicq; perfectum eſt crimen, tametſi externè opus minimè ſequatur; verùm vt plurimùm & immunditiæ adducit. Vide vti ab vno ad alium peruenitur gradum, quiq; primo non obſiſtit, minimè aduertit, niſi vbi iam ruit in foueam.

Optimum

Optimum igitur eſt primam abſcindere occaſionem, lignaq́; igni ſubtrahere: nam & volentes, minimè poterimus, periculo ſi immoremur, incolumes eſſe: vti ſæpe faciunt concubinarij, qui mille quotannis promittentes iuramentis abſtinere,neq; tamen pellicum abſcindentes commertia, nunquamnon ad vomitum redeunt.

Videamus autem quanta prodeunt ex hoc vitio mala. primùm animam reddit tenebricoſam, quæ, nocturni inſtar animantis, nequaquam poteſt pulchritudini aſſurgere diuinæ: immò ſemper cœno volutatur. dehinc incautum & incogitantem facit hominem, vt iam damna non vereatur, neque probra: inconſideranterq́; proruit, minimè videns quanta amittat bona,quãta'ue incidat mala: delectatio etenim, quã ſuum ſibi propoſuit finem, illum circunducit mi ſerè vinctum:& eousq́; rationem abſorbet, vt affectum omnem, qui Deo eſſe deberet, mundo cõuertat: neque verò aliam ſibi nouit fingere beatitudinem, quàm in luto volutari. Et ſi quidem Deum rogat, petere neſcit, niſi terrena: ita vt aduerſitatis tempore facilè in deſperationem ruat, Deo nõ

confidens, quem ſemper habuit contemptui. Sæpeq́; adeò excreſcit abominabile iſtud vitium, vt Dei perducat ad odium. Subijciēdo etenim cor omnino miſeræ illi voluptati, cogitur odiſſe quæcunq; illum inde præpediunt: Deumq́; vellet contrà minimè præcepiſſe; & non dari gehennā; animā've eſſe immortalem: cumq́; conſcientiam ſentiat oblatrantē, eo peruenit, vt Deum odio habeat. Hæc porrò eſt Babylō, quæ à priuato adducit amore ad Dei contemptum. Peiorem planè ignoro num perueniri poſſit ad gradum: vt omnino oporteat hoc debellari monſtrum.

Primùm autem eius agnoſces, vnde oritur, radicem: quæ potiſsimùm eſt ocium, laſciuorum ſentina cogitatuum: quod à nobis propellamus oportet iugi exercitio, noſtris pari viribus, & ſtatus conditioni noſtri. Hoc dico, quoniam non omnia omnibus conueniunt exercitia. Corpore valentibus optima fuerit medicina, laborioſis occupari operibus; præſertim in proximi vtilitatem; nonnullam ſemper breuem immiſcendo precem: qui autem infirmæ ſunt valetudinis, ingenio verò acres, inter-

no debēt cōniti in ſtudio. Neq; tamē adhuc arcebitur à nobis Aſmodæus iſte, ni omnis abſcindatur occaſio: veluti eorum conſuetudines, à quibus tali prolicimur vitio, vel verbis, vel factis: vt eſt gula; quæ huic diſponit vitio. Qui etenim cauſas non vitat, non vitabit effectiones: & licet actu non caderet, non tamen caret culpa, qui non fugit, vel oblectatur his, quæ ſunt lapſus cauſæ. Quod ſanè ſingulariter hac neceſſe eſt in pugna. Cœteræ enim paſsiones non ita fortiter obiecti mouētur præsētia, prout iſta: vbi forte prælium, rara victoria.

Oportet etiā orando cœli pulſare ianuā. Munus enim caſtitatis noſtras ſuperexcedit vires, donumque eſt Dei præcipuum. Porrò ſi dixeris, diu te Deum hoc rogaſſe munus: neque tamen exauditum fuiſſe: reſpondeo, nequaquam fieri poſſe vt mentiatur Chriſti verbum, dicentis: Omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes, accipietis. ſed vel verbotenùs petis: quî autem vis Deum id audire, quod tuipſe minimè intelligis, cùm mentem ſemper geras diuiſam? vel orando, teipſum non præparas è latere tuo tali recipiēdo muneri, amo-

uendiſq; his, quæ te impediunt. Verùm tuam ſi fideliter nauaueris induſtriam, petaſq; affectu magis quàm verbis, omninò eris huius victor certaminis.

Recordare autem ſemper demittaris: humilitas enim caſtitatem tuetur; qui verò ſe exaltat, gloriando ſe hoc poſsidere donum; vel temerè fratrem dijudicat ſuum, iuſto Dei iudicio in manus permittetur tentatoris: eoque deſpoliabitur, quod illi nō fert acceptum: illamque procidet in foucā, vnde fratri non commiſeretur.

Si verò vis agnoſcere vbi nobilem hanc conquiſieris caſtitatem; attende, vti ſuccēſum tibi ſentias animum, totumque amorē inardeſcentem cum internæ, tum externæ puritatis. Vti enim quòd quis totus infreni corripiatur carnis ardore, indicium eſt, luxuria illum laborare: ita quòd amorem caſtitati conuerterit, argumento eſt illum iam eam poſsiderē. Tum verò erit conſummata, cùm fortè huiuſcemodi conuerſando hominibus, vnde ſolet huiuſmodi oriri illex peccati; ſubeuntibusq; animo immundis ijs imaginibus; neque mens, neque ferè corpus ad laſciua permouetur: nullumq;

illi

illi obiectum offert immunditiã. Nam vti laſciuus ex aſpectu caſto impuras haurit cogitationes, ita verè caſtus laſciua contuendo, nequaquam mentem inficiet; ſed & eius maiori inardeſcet deſiderium puritatis amore: quemadmodũ de D. legimus Agnete, quæ vi perducta ad lupanar, nedũ ſuã non minuit integritatem; ſed & turpitudinis locum, habitaculum fecit Angelorum, diua eius præſentia.

De Auaritia. C. IIII.

HAVDQVAQVAM poſſunt gulæ, luxuriæ'ue voluptates conſeruari ſine rei affluẽtia: cuius amor inordinatus dicitur auaritia: ideoq; hoc de vitio nunc agemus. Non eſt iſtud homini coinſitum: vt duo præcedentia concupiſcibili innixa: ſed ex infecta oritur natura in parte rationali. Quærere etenim rem mera ex indigentia, actus eſt prudentiæ: at immodica ſatagere, ſibiq; vendicare quod eſt commune, pugnat prudentiæ, & rationi, mentisq; indicium eſt corruptæ. Non tamen hinc tollitur, quin varij poſsint eſſe in mũdo ſtatus; nempè pau-

peres, & diuites: ſed improbatur tenacitas, inſatiabilisq; habendi, quæ in pleriſq; hodie dominatum ſibi vendicat, libido. Vnde ita homines huic videmus ſtudio intentos, acſi alia nō daretur fœlicitas; hucq; parentes adhortantur & exſtimulant filios: & à tenera infantia illos faciunt auri & argēti velut idololatras.

Oritur hoc vitium ex defectu prudentię. Videmes etenim nōnullos diuites nunquā non ſolicitos, & anxios accumulandis opibus, & eouſq; illis inhærentes, vt neque acquiſitis gaudeant. Rurſum quoſdam videmus pauperes ſemper lætos. Non igitur eſt pecunia, quæ felicem ſeu beatum faciat hominem. Hoc minimè vident auari. Oritur & ex modica in Deum fide; qui bonis proſpicit & malis, ſimul & volatilibus cœli.

Multi tamen hoc cauſantur crimen, ſub ſpecie prudentię: veriti nimirūm in miſeriā prolabi: non videntes iugem hanc anxietatem duplicem eſſe miſeriam; auaratiaq; fieri hominem ſummè miſerabilem. Nonnulli ſub prætextù multæ prolis; quenlibet eorum volentes locupletem relinquere; quò

ſuam

ſuam tueantur conditionem. quod ſanè penitus eſt à ratione abſonũ; oporteret enim Regem, cui decem eſſent filij, decem poſſidere & Regna. Dicunt alij, libenter ſe accumulare, quò habeant vnde eleemoſynas largiantur; quod minimè poſteà recordantur, vbi coaceruauerunt opes; & ſi quidem pauperibus nonnihil diſpertiuntur, pecuniæ intendunt; vt illa ſibi & conſeruetur, & adaugeatur.

O quàm excæcat hæc lues hominẽ, quæ omnium dicitur radix malorum. ô quam recedit mẽs auara à Chriſto: ſemper animi angitur: omne lucrum etiam vile & illicitũ amplectitur; rapinis & fraudationibus inuoluitur, neque id nefas ducit; ſæpe numerandę redit, quam ſibi Deum conſtituit, pecuniæ: neque certè illius eſt Dominus, immò viliſsimum mancipiam, illi parcẽdo, tolerandoq; potius in neceſsitatibus, quàm vt inde eroget.

Hoc monſtroſo ſi ſanari cupis vitio, deprehendas illud priùs oportet; non enim põt ſanari, ni priùs agnoſcatur. His porrò deprehendes indicijs. Auarus enim pecuniam ſemper habet in ore, & lucra; facilè

ſurem, & minus fidum iudicat quempiam; paucis cõfidit; quin ſemper furto ſibi quicquam ſubripi veretur; omnia aſportat in cubiculum, ſub clauibusq; conſignat; ſi verò quicquam erogat ob neceſsitatẽ, permurmurando id facit; ad omnia lites mouet, & contendit. Hæc ſi tibi vides indicia; ſcito, catenæ te implicitum auaritiæ: ſalutem procura, antequàm irrecuperabiliter obligeris. Fit enim in nonnullis hæc plaga inſanabilis; hocq; habet peculiare, vt quò magis homo ſeneſcit, eo magis increſcat; tunc verò eſt ardentior, quò quis minùs indiget: facit & auidiorem illum, quem par foret magis pecuniam aſpernari; vnde videmus ſacerdotum eſſe ardentiorem auaritiam, minusq; ſanabilem.

Huic remedium eſt idoneum, primò adniti eleemoſynas diſpergere: dehinc conſortia fugere auarorum: quorum conſuetudo illis reddit ſimiles. At præ cæteris extirpatur auaritia, ſi animum flammanti impleamus diuinarum rerum deſiderio. Facilè etenim vileſcunt terrenæ opes, vbi guſtantur quæ in cælis ſunt repoſitæ.

Tunc verò te poteris huius victorem

gaudere

gaudere vitij, cùm læto feres aĩo rei iacturã familiaris, vel totius, vel in parte: & nõ tantùm ſolicitudinum fugiendi gratia, ſed virtutis te iuuabit amore, pauperem eſſe: Chriſtiq́; concupiſces imitatione Crucifixi, omni exui terreno, & amicorum, & affinium adminiculo. Breuiterq́;, vbi omnem in te Cruci addixeris ſenſum: ita vt non ferè cuiuſquam inordinatè moueatur imagine obiecti concupiſcibilis, præſentia'ue: quin immò optabis ſenſualitatem omnem excruciari: vti dicit Apoſtolus: Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt, cum vitijs & concupiſcentijs. Tunc gratias Deo agere poteris, quòd perfectè concupiſcibilem deuiceris partem.

De Ira. c. v.

In iraſcibili illud primò ſe offert dicendum: inſitam illam nobis fuiſſe ad naturæ tutamen, maliq́; propulſionem: ideoq́; quodquam ſi præpediatur nobis bonum, infeſtet'ue malum, ſtatim cõmouetur cor, vniuerſaq́; armantur defenſioni membra. Quam ſanè ſi eò adhiberemus vim, quò à

Deo eſt conſtituta; tantùm abeſt vt foret noxia, quin immò eſſet vtiliſsima & neceſſaria. Quare falluntur qui naturam arguunt, vbi ipſi ſunt culpabiles: quoniam vel naturalem minimè frænant motum: vti poſſent, & deberent: vel qua vti deberent aduerſus vitium indignatione, conuertunt cõtra proximum: acſi fabricatis ad patriæ tuitionem armis proprios occiderent filios.

Volens itaq; de ira loqui, quæ prima occurrit in hac parte iraſcibili, vnde & nomen ſortitur, dico, ſi ira accipitur ſuccenſio illa ſanguinis circa cor, minimè eſt culpabilis, vel meritoria. Verùm vbi accedit conſenſus, vel vindictæ appetitus, tunc eſt culpabilis. Porrò ſi ratione moderetur, meritum poteſt afferre: diciturq; zelus: quẽ, quò ad opus externũ, minimè diſcernimus ab ira noxia. Vti legere eſt de Moſe, qui iratus valdè, multum proprijs manibus effudit ſanguinem: ſimul tamen mens ſua erat internè eò magis tranquilla, quò minùs foris apparebat.

Multi ſunt, qui ſæpe iraſcentes, ſe excuſant, primos nempè motus minimè eſſe in

poteſtate

poteſtate noſtra. Vt verò prompti ſunt ad excuſandum, ita fiunt inſanabiles: ſaltem confiterentur praua fieri hoc ex conſuetudine: orandoque ſanari procurarent.

Præuenit hoc nonnunquam vitium rationem: vt iratus ſit homo, neq; tamen id videat: nonnunquam cæcutire facit rationem, vt iræ non præcipiat: ſæpeq́; vſqueadeò dominium ſibi vendicat, vt penitus irrationabiliter operetur: vti videmus quenquam ex ira Deum blaſphemare, ſibiq́; ipſi mortem conſciſcere. Vide quantæ hoc ſit vitium malignitatis, quo penitus obruitur ratio: multaq́; ſecum alia adducit vitia. Non etenim poteſt ira eſſe ſine ſuperbia: cùm nunquam humilis fuerit iracundus. Mox præcipitat in triſtitiam: cùm etenim vlciſci non poſsit, amaritudine corripitur: alienaq́;, inuidia tabeſcit, præ felicitate: ſicq́; ira nunquam eſſe poteſt ſola. Indignatur ille quòd nummos amiſerit; ecce auaritiam: ille quòd cæna iuxtà ſuam non ſit inſtructa appetentiam, ecce gulam. Hinc verba oriuntur contumelioſa, rixæ, blaſphemiæ, obfirmata odia, exitia familiarum, & Rerumpub.

Iracundus ſæpe fit adeò impatiens, vt deſperationi adigatur. Et quanquam dicat Deo ſe ſperare, certè fallitur: non etenim dici poteſt ſpes, vbi perſiſtitur in peccato: ſed præſumptio. Si noſſet iracundus, quàm periculoſo agat in ſtatu, certè ſuijpſius miſereſceret: non etenim mundo gaudet iſto, neq; de futuro poteſt ſpem concipere:, ſemperq; in manu eſt Diaboli: qui vbi ſuper vno obtinuit victoriam peccato, ſtatim alterius illum tradit in manus Diaboli, vt alij illum immergat peccato.

Si iracundi vteris conſuetudine, illiq; opem ferre deſideras, illi ne contradicas, donec ira ſuccenditur: quin immò omnẽ illi concede iuſtitiam: ſiq; de te conqueritur, humiliter veníam precare. Nonnulli ex hoc vſqueadeò fiunt beluini vitio, vt conticeſcere non poſsint, ni prius multo conceptum effuderint venenum clamore. Sunt iſti inſanabiles: ira etenim perſuaſum habent iram reſtinguere: indiesq; peiùs habent. Alij ſæpe & facilè ira ſuccenduntur, ſed citò deferueſcunt, huiusmodiq; minimè cenſent graue crimen; qui cogitare deberent ita multiplicata occidere vulnera,

vti

vti vnum letale vulnus. Quidam iram intus ſeruant, eam minimè prodentes; hi magis ſibi nocent, quàm alijs. Sunt nonnulli affabiles cum extraneis, ſed domi nunquã non habent vnde ſtomachentur.

His oĩbus diligenti opus eſt cura: Neq; verò debet qui huiuſmodi eſt, impoſsibilem eius autumare ſanitatem, quòd ita ſit corporis habitudine conſtitutus; immò ſuã ſi norit complexionem, multis pollet bonis conditionibus. Vt plurimùm etenim iracundus eſt affabilis, & beneuolus; eſt & magnanimus, & ingenio acer. Quæ virtuti capeſſendæ ſi conuertere adnitetur munera, nedum ſuperno poterit fultus auxilio, hinc emendari; ſed & tanto fieri virtuti aptior, quò erat priùs vitio procliuior.

Eius expediret ſaluti promonendæ perſeuerans coràm Deo oratio; perſeuerans inquam, quoniam iræ vitium Deum prouocat vltioni; ideò nõ meretur iracundus ita citò exaudiri. Quare oportet eum tandiu ianuam pulſare, quoaduſq; ſuum impleatur deſiderium. Hoc autem libens faciet, ſi ſubinde contempletur huius deformitatem vitij, quod hominem facit brutum;

tum; iam etenim vultum facit incandeſcere, iam palleſcere, quæ & eſt deterior ira; iam mutum facit, & trementem cor & labra, & membris omnibus. Quis iam non videatur leuis labor, vt manus egrediamur furioſi vſqueadeò tyranni, quo in feras immutamur, illaq; ſpoliamur portione, qua Deo ſumus ſimiles?

Opportuna itaq; oportet quærere remedia; veluti ſæpe proponere, minimè velle agi furore; potiusque quicquam ferre; adnitiq; illos veniam rogare, qui iniuriam nobis intulere; mortemq; præ omnibus recogitare; quò qui tali cum vitio adduci ſe ſinet, ibit Diabolo iracundiæ in perpetuum cohabitaturus.

Cæterùm ante omnia Chriſti meditatio crucifixi hũc extinguit iræ ſpiritum: quẽadmodum perfectè in ipſo fuit extinctus; vti poſtremò dicemus. Tum verò huius te poteris victorem arbitrari certaminis, vbi perſuaſum habebis, aduerſitatem omnem, vndecunq; obuenientem, à Deo tibi tuam diſpenſari in ſalutem; itaq; eris promptus amandis aduerſarijs, acſi nunquam te offendiſſent; neq; perturbaberis iracundis im-

morando

morando hominibus; ſed tranquillo, etiãſi iniuria te læderent, animo omnia feres inuictæ virtute manſuetudinis. Qua de victoria erit vnde gratias agas donatori Deo.

De Triſtitia. c. VI.

In iraſcibili portione, præter iram, humori inſitam cholerico, eſt & alia paſsio, quæ dicitur triſtitia, humori innixa melancholico: quæ cùm natura non ſit bona, vel mala, fit vel bona, vel mala, iuxtà quòd vel paret vel renuit rationi: & niſi moderetur cohibeaturq; hæc vis, quæ fit è timore immodico, animam adigit deſperationi, præ omni exitiali vitio. Vbi igitur vel mortis timore, vel inferni, vel quòd minimè poſsis perfectioni pertingere, hoc te inuadit vitiũ; præliare viriliter ediuersò: neq; dicas; nequaquam me ſentio tantam poſſe pertingere perfectionem. Si etenim ita animo cadas, indiès magis inualeſcet, quoaduſq; peſsimo te fine concludat.

Aduerte porrò geminã eſſe triſtitiã. Altera ex prauo oritur habitu, vel vitiata vo-

luntate: vti contriſtantur nonnulli, quòd minime poſsint vltionem ſumere, fieri'ue voti cuiuſpiam compotes: hæcque dicitur ſeculi triſtitia, quæ mortem operatur. Altera oritur ex peccati memoria, Deoq; irrogatæ iniuriæ. Hæc autem imperatur ratione: fuitq; in Chriſto, & Paulo, vel ex proprijs, vel alienis delictis. Quarum culpabilis ita eſt prior, vti laudabilis poſterior. Vti enim rationem prima excœcat, veniæque ſpem abſcindit: ita aduehit lumen ſecũda, & fiduciam.

Triſtitiæ neſcit Dæmonium mediũ obtinere: ſed ſemper extremitatibus declinat. Nonnunquam nihili qualibet de re, ad lacrymas compellit, mæſtitudinemq; immodicam: nonnunquam fugiendæ cauſa triſtitiæ, omnem adducit ad riſus leuitatem, & diſſolutionis. Proinde ſi te nimis vel deiectum, vel lætitia vides elatum; ſcito maligno te huic irretitum: vbiq; hoc videris, ne naturam arguas innocentem: quæ tibi & hanc, & vim aliam quanlibet inſeuit, quò virtutis habeas exercitium: ſed creatori da laudem, qui te talem plaſmauerit. Si etenim vna ex parte malo te procliuem reddit hæc

corporis

corporis conſtitutio, ex alia multorum tibi erit occaſio bonorum.

Ptimùm melancholicus choreas, apparatus, huiuſcemodiq; pompaticos ſpernit veſtitus: vnde innumera oriuntur peccata. Adhæc procliuis eſt pietati; quòd cor gerat timidum: vbi materiam habet pijs ſe occupandi operibus, meditandæque Chriſti paſsioni, ſuoq; lugendo, & proximi errato. Neq; verò difficilè ſolitudini perſiſtit, quæ ritè frequentata quietem parit contemplationis. Igitur hac vtere propenſione, ita vt lucrum referre poſsis: medicinam illi adhibendo, quatenus malo te impelleret.

Quoniam verò non agnito non poteſt afferri medicina morbo; ſcire debes fieri quandam triſtitiam ex prauo quem induimus habitu, mærendi ob quodlibet aduerſum. Huius porrò ſciens cauſam, adnitere contraria conſuetudine eatenus ferre omnia, quatenus eò deuenias vt libēter patiaris. Difficiliùs ſanatur alia triſtitia, quæ eſt, vbi mœrens quis, vidensq; cauſam, corrigi cupit: ſi verò denuò labatur, mœrorem ingeminat: peccatumq; ita addit peccato. Veruntamen Deo confugiendo, non im-

poſsibilis eſt hæc curatio.

Peſsima porrò & ferè incurabilis eſt eorum triſtitia, qui altiſsimè mœrẽtes, neſciũt qua de cauſa: ſi autem ratione vis illis perſuadere vt conſolentur, altiùs & mœrent.

Huius eſt radix, quòd naturæ, & conſequenter Deo hoc aſcribamus vitium: quod videns Diabolus aduerſum nos inualeſcit. Quod tu facere ſi deſieris, orationiq; confugeris, hoc à te abſcideris venenum.

Tantæ porrò eſt Dæmonium hoc malignitatis, & arrogantiæ, vt dedignetur de paruis nos attentare; ſed ſemper ſatagit vt nos adigat diffidentiæ perueniendi ad virtutum culmen. Vnde fit, vt deijciatur animus, tepeſcatq;: & ſæpe illos facit animo cadere, qui magno idonei forent profectui: vt multa opus ſit diligentia eius curationi.

Omiſsisq; illis qui præ huius abundantia humoris ſunt melancholici: quandoquidẽ talis ad externum ſpectat medicum curatio: ſi, inquam, triſtitia mens tua laborat, ex conſuetudine mærendi ob quodlibet vel paruum, vel magnum, tibi aduerſans; ſcito morbi tui radicem eſſe, quòd, vt lubet, velles agere. Optimi itaq; remedij fuerit,

vt ſtatuas omnem propriam frãgere voluntatem, alienoq; ſemper obſequi ſenſui. Vti enim qui pro libitu vellet agere, opus eſt ſæpe triſtetur: ita qui proprium ſubdidit ſenſum, nunquamnon erit lætus: vt bene conſultum ſit, ſi proprium alterî ſubdideris iudicium, qui tuæ non te ſinat morem gerere voluntati.

Multi volentes hinc ſanari, varia procurant ſolatia, quò varijs recreentur oblectationibus: qui nedum non conualeſcunt, ſed & indiès peiùs habent. Cùm etenim nõ ſemper huiuſmodi perdurent ſolatia, animam derelinquunt, quàm antea, tædentiorem. Oporteret autem Chriſti amore conſolari, omnis ſe expertem eſſe conſolationis: firmiter credendo omnia nobis aduerſantia à Deo noſtram nobis impendi in ſalutem: omni ſemper illi in euentu laudem reddendo.

Triſtitiæ autem tunc te poteris cenſere victorem, cùm poſt multas illatas iniurias, propriæq; fracturas voluntatis, factus ferè inſenſilis, iam non mærorem perſenties: îmò omniuò diuinæ cõformabere volũtati: quæ ſummopere Deò grata eſt virtus.

De Acedia. C. VII.

Acediæ ſpiritus, pituitæ, ſeu humori innixus phlegmatico, nō minùs eſt malignus, ſeu noxius ſpiritu triſtitiæ: vterq; verò parum agnoſcuntur, aduertuntur'ue. Oculos itaq; adaperiamus aduigilemusq; oportet, proficere ſi volumus. Acedia ſui natura ſegnis & lenta, nunquam initio aggreditur operis; ſed in progreſſu; ne conſummationi perducatur? præpedireq; ſi non poteſt, auxilio inanem aduocat gloriam; vt ſuperbia inficiat, quod minimè potuit ſegnitia: ita vt ambo hæc manum ſibi inuicem porrigant Dæmonia.

Oritur in quibuſdam vitium hoc ex habitudine pituitoſa, vel naturali cordis timidi imbecillitate: aut corporis ægritudine, animam operi ſegnem reddenti. Hoc porrò quò ad corpus. Quo ad animam verò oritur vel modica ex capacitate, vel modica rerum experientia, vel modica id aſſequendi quod optamus ſpe. Nonnunquam etiam fit, propterea quòd validum minimè iaciamus propoſitum: nōnunquam & quòd nimis

mis ſimus animo præproperi,qui vellet proprium anteuertere ductorē, deſijſſeq; ante quàm cœperit. Quò autem ad exteriores cauſas, fieri poteſt ab otio, & conſortijs; promouente etiam Diaboli tentatione. Porrò vndeunde in nobis oriatur, debelletur oportet, neq; expaueſcamus, ſcientes gratiam ſuperexcedere naturæ vires, & Diaboli. Neq; etenim erit impoſsibile, quin imbecilla natura; fideliter talentum modicum exercentes, nobis concreditum; pares illis merito fieri poſsimus, qui ſunt nobis robuſtiores:quemadmodum magis Deo placuit vidua duo mittens æra, quàm diuites munera multa offerentes: Deo magis affectũ, quàm vires penſante.

Omni quidem oportet vitio reluctari, quòd omne peſsimo adigat fini, hominēq; reddat beluinum: verùm tanti eſt acedia veneni, vt & bona opera vniuerſa mortificet, ſuæq; non ſinat peruenire perfectioni. Cuius eſt antidotum perſeuerantia: quam continuè oportet amplectamur. Tantæ enim eſt malignus iſte importunitatis, & temeritatis; vt omni in loco, & tempore, & actione nos circunſideat. Quare opus

eſt ſtabili ſemper oblectemur propoſito: eò verò magis, quò ſuum ſi in nobis locabit nidum, peſsimas educet proles: nempe ſuſpiciones, inconſulta iudicia, murmurationes, detractiones, aliaq; quamplurima peccata. Nō etenim otioſum poteſt eſſe otiū: immò quò minus bono intendit, eò magis omne præceps ruit in malum: animamque disijcit: miſerabili adigit corpus inopiæ: adulatorem facit: inutiliumq; relatorē, ac nugigerulum. Summa, omnium eſt otium ſentina uitiorum: acediam etenim generat, quæ tantæ eſt nequitiæ, vt verbis illam quî exprimam non inueniam.

Imprimis ex acedia naſcitur tepiditas, quæ ſtultæ nos inuoluit ac ſepelit ſalutis fiduciæ, ſub diuinæ prætextu clementiæ: oīq; bono nos ſubmouet ab opere: otioq; laxat, & externis ſolatijs. Quæ fit plerunq; plaga inſanabilis: D. atteſtante Paulo, impoſsibile eſſe, eos, qui ſemel guſtauerunt donū Spiritusſancti, & prolapſi ſunt; rurſus renouari ad pœnitentiam. Non quidē quòd ſimpliciter hoc Deus facere non poſsit, & longè maiora: ſed difficile eſt adeò, & rarum, vt dici poſsit impoſsibile. Vnde in Apocalypſi

lypſi legimus: Vtinam eſſes calidus, aut frigidus: ſed quia tepidus es: & nec frigidus nec calidus: incipiam te euomere ex ore meo. Vbi oſtenditur, tepidum eſſe magis coram Deo abominabilem, quàm frigidum. Actu etenim eſſe frigidum, arbitrarique ſe calidum, neq; cõtinuum feruoris procurare augmentũ, duplex eſt frigiditas inſanabilis.

Oritur aliud ex acedia vitium: quę dicitur apoſtaſis: quæ nõ aliud eſt, quàm à Deo defectio. Vnde Monachus pertæſus pœnitensq; voti, Deo quod ſpopondit, ſeculoq; regreſſus, dicitur apoſtata: ita qui in Dei via remittens retrocedit, ſuóque deferueſcit ab igne primitio, dici poteſt apoſtata: vt nõ iam ampliùs Deũ curet, vel Sanctos. Quod ſi tibi vis deprehendere vitium; inſpice, nũ antea ardeſcebat tuum Deo deſiderium, iã verò tepuiſti, & tanto minimè putas opus eſſe feruore. Vide etiam num de fide atten teris, & ferè addubites: neq; hinc tibi multa animo ſedeat cura: immò te iuuet hominibus conuerſari fide vacuis: audireq; qui eam in dubium reuocet. Indicia ſunt hæc apoſtaſeos, ſeparationiſq; à Christo. quò non ſtatim peruenitur: ſed ſenſim & grada-

tim deſcenditur.

Quocircà leuiora oportet vitare peccata: niſi volumus ad maiora, & hinc ad maxima deuenire; quoaduſq; annectatur anima peccati catena: quæ quò magis increſcit & ligat, eo minus agnoſcitur. Deficit enim conſcientiæ morſus, & ſi quando ſentitur, iamiam exopitur: vti ignis ſcintilla, abſq; fomite, diu non poteſt conſeruari. Hoc porrò peſsimum eſt omnium quæ eſſe poſsint, indicium, Deum offendere, tantasq; obliuioni tradere iniurias: cùm opus eſſet, ſi ſanari velimus, eas ſæpe, & cum amaritudine recolere: aliàs obliuiſcetur Deus noſtri.

Hæc volui percurriſſe, vt conficiam, ſi te ſentis acediæ illaqueatum, omnem te debere operã nauare illi propellendæ: cùm enim tot ſit ſtipata vitijs, hoc ſubacto multos ſimul referes triumphos, vitiaq; propelles multa. Cui tunc poteris mederi vulneri, cùm importuna quadam vi intimas cordis effundes lacrymas, vim faciens naturæ: cogitans omnis te inutiliter trãſacti temporis diſtrictam redditurum rationem: quod gemina oportet ſarcias vigilantia, eo factus

feruentior, quò magis fueras deſes.

Quoniam verò paucis hic agnoſcitur morbus, ideò ſeduliorem poſtulat curationem. Præſentius autem non habet remedium, quàm vt alieno ſubdaris ſenſui, qui te norit regere. Hoc dixerim, quoniam nunquam poterit à te ſpiritalem hanc arcere febrem, qui priùs eam à ſe non expulit. Qui cùm perpauci hodie inueniantur, non deerunt pia Patrum Opuſcula, quorum in lumine poteris vulnus & agnoſcere, & ſanare: quæ inter ſummopere probauerim Io. Caſsianum; Speculum Crucis, Gerſonem, & alios complures: qui tibi vice erunt magiſtri. Neq; verò dubites Deum tibi defuturum: ſi etenim opus foret Angelum cælo tranſmittere, optima tibi ſuggeret ſalutis media.

Si autem velis, vbi ſanitas tua appropinquet, agnoſcere; vide vti voluntaria te iuuet ſubmiſsio: vti'ue libenter meditationi diſtineris mortis; quæ fidei indigls cruciabilis ſe offert: vti'ue indiès tibi increſcat perfectionis deſiderium. Breuiterq;, minimè poteris tua tutus eſſe de ſanitate hac i parte iraſcibili, ni priùs curetur concupiſcibilis;

lis; quæ eſt radix. Quare diſpice teipſum, vti plenè omni morti ſis addictus in vitioſa ſenſualitate; vti ſuperiùs diximus: numq; ita te ſentias Dei amore tribulationes cócu piſcere, vti alij fugiunt: tunc certus eris acediam te ſubegiſſe. O felix, qui talem pertigit ad gradum: inuenit enim in dolore lætitiam, in aduerſis gaudium, felicitatem in miſerijs, omne bonum in omni malo.

Mi lector, non ſat habeas hæc legere: ſed arma arripe aduerſus teipſum: monſtroſasq; iſtas à te propelle feras, priuatas quippè affectiones, vnicnm gloriæ tuæ medium.

De Superbia. c. VIII.

SVPEREST iam vt doceamus, quî poſſit referri victoria parte in rationali: quæ cùm ſit in nobis præcellentior; potiſsima eſt radix, vnde cæteris in partibus bona, vel mala cóſeruatur diſpoſitio, ſeu affectio. Hæc non innititur complexioni, ſeu ſenſui corporis; ſed ſita eſt tantummodò ĩ anima: propriamq; appetit ſemper excellentiam: quæ inordinata appetitio ſi fertur in

manifeſta

manifeſta & palpabilia, dicitur ſuperbia: ſin ad occulta & tecta, dicitur inanis gloria: & quò magis excellentiam appetunt, eo reddunt animam magis ignobilem & mẽdicam.

Hinc oporteret rationem, vti cuſtodem iugiter aduigilare, vt propellat ab anima quicquid eſt ei noxium. Incogitantia etenim omnis eſt initium ſuperbiæ: cùm ſi attentè perpenderet homo vti ex ſe ſit nihil, boniq́; quicquam habere, vel tueri minimè poſsit, niſi Deo dante; nedum aduerſus ipſum non ſuperbiret: ſed & eo fieret humilior, quò maioribus prædotaretur chariſmatibus: ſciens cum muneribus creſcere & eorum rationem. Non tamen omnem dico honoris appetentiam eſſe ſuperbiã: ſi enim quiſquam virtutem appeteret, vnde honorem conſequeretur, non quidem honoris gratia, ſed quò ſuam ſuſtentaret familiam, non eſſet iccircò ſuperbus, ſi priuata ſuum non ſiſteret in laude deſiderium.

Huius initium eſt peccati, in animũ inducere, quæ habemus à nobiſipſis eſſe: vti fecit Lucifer. Recogitare autem oportet, quæcunq; habemus, tàm corporis, quàm

animæ,

animæ, à Deo eſſe, noſtris ſine meritis. Neq; etenim gloriari poſſumus de doctrina, honore, re, ſapientia, tametſi nobis ſudore ſint parta: quoniam niſi fuiſſent nobis conceſſæ vires, cum externæ, tum internæ, nihil quicquã acquiſijſſemus. Quæ porrò eſt ſtultitia de eo gloriari, quod noſtrum non eſt? Si verò quiſquam diceret: fateor omnia diuinitus poſsidere, ſed & propria mihi peperi induſtria & prudentia: Rerpondeo, hoc minimè verũ eſſe. Nam & prudentia, & induſtria eſt à Deo.. Acſi quodpiam quis tibi donaret talentum: inde; tu diteſceres: tibi iam non eſſet gloria, ſed illi qui largitus eſt vnde locuples fieres. Hinc dicebat Paulus: Quid habes, quod non accepiſti? (nempè à Deo) Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Vnum tantummodò verè dici poteſt noſtrum, nempè peccatum: hinc autem vituperationem referemus, non laudem: igitur da gloriam Deo.

Hanc noxiam ſi velimus extirpare radicem, oppidoquàm oculati ſimus oportet: ſubtilis enim eſt, & varia, paucisq; animaduerſa. Erit, qui requiſitus ab amico,

adnititur

adnititur ſuccurrere, quò planũ faciat idoneum ſe eſſe, qui illud, & maiora præſtet: ecce occultam ſuperbiam. Alius cuipiam parcit operi, veritus egregiè ſe minùs præſtiturum, atq; ita in pretio minimè ampliùs habendum: arida eſt hæc ſuperbia. Sub ſpecie modeſtiæ, nonnulli ſe exiſtimant ſcire quæ nō norunt, vel ampliùs quàm norunt: quidam præcellentem quampiam in fratre contuentes virtutem, adnituntur illam attenuare, facileq; mala credunt, iudicantes aliena, fieri ipſorum detrimentum nomini, gloriæ: manifeſta eſt hæc ſuperbia, quæ ſẽper vult eſſe ſingularis.

Immiſcet ſe deterrima hæc vipera cunctis noſtris operibus: in veſtitu immodicos procurat faſtus: ſi loquimur, ornata affectat verba: in victu copioſas & opiparas inducit dapes: in corde temeraria ſeminat iudicia: pauciq; eius euadunt manus.

Quid autem de illis dicemus, qui de maleſactis etiam ſuperbiunt; quòd fratrẽ ſupplantauerint, vltionem ſumpſerint, adulterium perpetrauerint? hi inde gloriantur, vnde oportuerat celari: ſed tanta eſt ſuperbiæ malitia, vt vel in peccato locum faciat

ambire

ambire ſuperiorem. Alios taceo, qui bona non faciunt, facienteſq; improbant, vocitantes illos Deicipulas, ſeu Deum fallentes, (Italicè Gabadei) hypocritas, & ſanctones: nullaq; de re verecundantur, quàm de benefactis: aperta ſunt hæc Dæmonia. Stulti verò ſunt illi, qui illorum cauſa bene agere omittunt, eorumq; verentur deriſioně, qui omni ſunt plusquàm digni deriſione. Non ita Chriſtus: qui ſi ignominiam timuiſſet Crucis, faucibus minimè mortis nos redemiſſet.

Hic valdè culpabiles ſunt parentes, pŏpaticè filios, & licentiosè nimis educantes: qui potiùs dicendi eſſent carnifices, quàm parentes; cùm filios gehennæ enutriant. Quamuis etenim ſuperbia altas nŏ poſsit in pueris iacere radices: quòd illa minimè ſit huius capax vitij ætas, vt gulæ; cùm adhuc ſit vis rationalis inexperta: tamen plurimi refert incipere vnà cum lacte hoc ſugere venenum.

Multifariàm oritur hoc vitium. Nonnunquam ſuperbia alteram producit ſuperbiam: veluti qui, vt inter Optimates, habeantur, cæteriſque præficiantur, rem

temerè

temerè effundunt, ſplendideque admodum viuunt. Sæpe etiam naſcitur ex eius contrario ſuperbia, nempè ex humilitate; vt, veſtietur quiſpiam ſacco, quò ſanctus habeatur, humilisq; appareat: quod ſanè eſt periculoſius decipulum: virtutem enim facit in vitium conuerti.

Ni opem ferret Deus, non eſſet inuenire, qui huius euaderet vngues feræ. Omni etenim ex latere, & omni in opere nos aggreditur: nonnunquam initio; vti cùm cogitantibus nobis quicquam diſpertiri eleemoſynæ, inſuſurrat ſpiritus iſte, præſtare vt impendamus ſtruendis ædificijs, & veſtibus apparandis: nonnunquam in medio, & fine; vti cùm de bono quod gerimus, vel geſsimus opere, commendari nos facit ab hominibus. Sępe & hortatur bonis inferueſcamus operibus: ſpem habens lõgè nos magis ſuperba infectum iri intentione, quã promerituros ſedulitate. Intentionem verò ſi nun poteſt vitiare, feruorem adimit: inducitq; vt operi cedamus, veriti minimè nos in eo perſtituros; ita vt vituperationẽ reportemus: quę & ipſa eſt ſuperbia. Hoc ſi non obtineat, indiſcretè adhortatur

operemur:

operemur: ieiunia adaugeamus, & aſperitates: quò Diaboli ſimus Martyres. Suadet & ſcientiæ incumbamus, ſpreta praxi: vti plerique faciunt eruditi, quibus ſanè præſtiterit eſſe idiotis. Scire etenim de humilitate ſyllogismos conficere: minimè verò operi mandare, nedum eſt infrugiferum, ſed & noxium valdè.

Solet hoc vitium magis vni ineſſe, quàm alij. Primùm In his qui deliciosè ſunt enutriti fundamentum inuenit, propriam nempe complacentiam: ibiq; ſuum ſuperſtruit ædificium. Tentat & magnanimos, qui ſemper appetunt eſſe præ cæteris ſingulares. Sæpe & inuadit puſillanimes: qui cùm magnis non ſint idonei operibus, verentur minimè ſe in pretio haberi, eoq; magis laudem appetunt, quò minus habent vnde laudentur. Præ cæteris autem attentantur oībus ingenioſi; qui multis ſuperſederent operibus, ni inde laudē ſperarent. Et vt breuibus comprehendam, incipientes tentat hoc Dæmonium, illis inſuſurrans, quicquid agunt, laude eſſe dignum: aggreditur & proficiētes, inſidias paſsim illis ſtruens, quò retrocedere compellantur: nec verò

parcit

parcit perfectis; ingerens illis nonnihil ſumuli complacentiæ: paucíq; ſunt, qui penitus (vti Chriſtus fecit) à ſe illud propellãt, deuincantq;. Omne etenim vitium oppoſitam ſibi habet virtutem: at ſuperbia impugnat & diſijcit omnes ſimul virtutes: nam & de caſtitate, & de ſobrietate, & de humilitate nos facit intumeſcere. Gula ſemper delectationi adducit: ira vindictæ: ſed ſuperbia quanquam ſemper laudi aſpiret, ſæpe hominem adigit vituperationi: vti factũ eſt Lucifero. Cætera ſaltem cum tempore deferueſcunt vitia: at ſuperbia in ſenectute fit moroſior, & magis intoleranda: vultq; etiam poſt mortem in nobis dominari: vti in funerabilibus pompis, & ambitioſorum cernere eſt ſtructuris ſepulchrorum. Quis iam poterit hoc ſuppeditare vitium, quod omni in loco, & omni in tempore, & homine, & opere acriter impugnat; niſi qui Chriſto ſit transformatus crucifixo?

Vide autẽ quot prodeant ex hac radice rami: primus dicitur curioſitas; quæ ſemper noua & infrugifera ſcire appetit: dicitur alius mentis leuitas; quæ nunquam in eodem manet propoſito, ſed veluti penna

vento, nunquamnon circunfertur. Alius inepta nuncupatur lætitia; quæ citra grauitatem, ſtultè vniuerſa agitans membra, hilareſcit. Oritur inde iactantia; quæ ſemper ſe iactat, & gloriatur: & ex iſta prodit ſingularitas; dum omni volumus in opere, & facere, & dicere noua: quæ cùm nõ poſſimus iure tueri, proſilimus in arrogantiã: procacibusq; cõuitijs volumus rem noſtrã ſartam tectam haberi. Ex arrogantia porrò deuenitur ad temeritatem, ſeu præſumptionem. Iſtiuſmodi enim præſumit omnia & ſcire, & poſſe: & cuipiam ſi illabatur erratui, id ſibi aſſumens quod minimè nouit; nequaquam id vult fateri: immò alijs vitio vertit, ſeipſum excuſans: vnde falſa oritur excuſatio, ſimulataq; confeſsio: quę veram nunquam referet abſolutionem. E ſimulata porrò confeſsione ſæpe deuenitur ad rebellionem cõtra Deum, negando vel ſpernendo Confeſsionem: peiùs etiam pro labendo, in libertatem deſcenditur peccandi, diuina indolendo præcepta, omniq; cupiẽdo exolui vinculo: & miſera ex hac Diabolicaq; libertate vltimus exoritur ramus, peccandi conſuetudo: quæ demum in tartara

tara

tara demergit. Ecce ramos ex peſtifera prodeuntes hac radice: omnino pugnantes ramis arboris vitæ, Chriſti: qui quò omnem noſtram confunderet ſuperbiam, voluit & naſcẽs, & viuẽs, & moriẽs, ſẽp eẽ humilis & præmanſuetus: id eligens omne quod fugit ſuperbus: & contemnens quicquid ille appetit: vbi planum fit adeò eſſe hoc abominabile vitiũ, quanta dignus eſt Chriſtus laude.

Iam ſupereſt, vt, quando in anima ſit morbus iſte, deprehendamus, quò poſsimus illi curam adhibere. Quanquam verò ex his quæ diximus, deprehendi poſsit; attamen multis ex alijs agnoſcitur indicijs ſuperbus. Solet enim conſanguineos iactare; verecũdari de paupertate, amictu'ue ignobili: exaltat in ſermone vocem ſuam: facilè conſueuit cauillari ſeu captiũculis vti, proximoq; detrahere, contentioſus eſſe, & amarulentus. Contriſtatur & vbi eius nõ accipitur ſententia: alienaq; gaudet confuſione: pungi ſe arbitratur vbi fiunt verba in genere: parere renuit, niſi vbi propenſa eſt eius voluntas. Sibi etiam aſcribere alienos labores, indicium eſt ſuperbiæ: aliorum legere Opera calumniandi gratia: ſim

plices dedignari doctrinas: argumenta hæc ſunt manifeſta.

Secretiùs autem deprehendi hoc poteſt vitium in ſpiritalibus. Verbi gratia, ſi quis diceret: tantam non ego curo perfectionẽ: iam non eſt Patrum ætas ſanctorum: nedũ iſte eſt ſuperbus, ſed & immanere vult ſuperbiæ. Ita ſi quis diceret: non ſum ego ſuperbus: dupliciter eſſet ſuperbus: & ſi quis nimis foret ſcrupuloſus, non caret ſuperbia: ſibi enim ipſi plus credit, quàm aliis: verbis etiã ſi quis ſe vilificaret, iniuria deĩde affectus minimè illam ferret, falsò eſſet humilis, verè ſuperbus.

Signa hæc, & alia ſi perpendemus, hãc in nobis cõperiemus luem: neq; perſuaſum vnquã habebimus inde nos eſſe immunes: remediumq; procurabimus, ſemper decertantes ad mortem vſq;. Porrò ſi perſuaderet Diabolus nos minimè ſuperbos, experiamur noſmetipſos, amplectendo vile omne exercitium: oblectandoq; in contemptionibus: comperiemus planè, deliteſcentem in nobis ſuperbiam eò magis operi reluctari demiſsionis, quò promptiorem ſe exhibet in verbis.

Volentes

Volentes igitur hoc ſanare animam noſtram vitio, peritum primò habeamus oportet medicum: qui exemplo ſit humilis: aliàs minimè poterunt alienæ eius verba mederi ſuperbiæ, niſi corde prodeant humili. Sit & diſcretus: non enim poſſet acre ferre ſuperbus medicamentum: primò incipiat magnitudinem præmij illi proponere cœleſtis; vt eius, quod tendit ſemper in ardua, deſiderium, veræ moueatur celſitudini. Hinc porrò ſi mouetur, Chriſtum tunc illi proponat excruciatum: qui vt nos verè faceret præcelſos, humilis factus eſt, vſq; ad ignominioſam Crucis mortem; perpetiens nõ partim pro vno, & partim pro altero, ſed ita pro omnibus ſimul, ut & integrè pro quolibet ſingillatim, etſi illi forent inimici; aliaq; non reperitur cœlorum via, quàm iſta Crucis & humilitatis: quam ſecuti ſuiit beati omnes. Hac ſi te vides ratione incolumitati reſtitutum, ne præfidas, ſed & adnitere ut te conſerues: quod vt facias, optimè proderit alienæ ſubdi obedientiæ: non voto inquam fieri id neceſſarium, ſed libera volũtate: omninò te reſignando eius conſilio, quò radicem abſcindas ſuperbiæ,

propriam voluntatem. Oblectare & abiectis conuerſari hominibus, immoderatosq; cotemnere apparatus, euellereq; affectum pecuniæ inordinatum.

Non tameb vna omnibus conuenit medicina. Sunt qui demittantur ex ſuorum conſideratione peccatorum: nonnulli ex diuinę meditatione largitatis, dum tot im meritis largitur dona: nonnulli ex gehennę timore: alij aliàs: quilibet id accipiat, quod eius magis congruit conditioni.

Multa ſunt indicia, quòd quis perfectã acquiſierit demiſsionem: inter cætera, ſi contemni, deijciq; appetis, quemadmodum deſiderat exaltari ſuperbus: ſi etiam te iuuat illa operari, quę contemptui habet mundanum iudicium: neque curas bene agens laudari. Perfectiſsimi autem fuerit argumenti, ſi ad tantũ peruenires tuijpſius contemptum, vt te agnoſceres nedum peccatorum primum, ſed & cauſam omnium, quę admittuntur in mundo, ſcelerum: ſummopere obſtupeſcens, quî te ferre poſsit Deus, iuſtitiam mente non concipiens in te parem. Quod fieri quomodo poſsit, diecreq; verè poſsimus, hic non ſcribo: non

etenim

etenim talis commentarijs addiſcitur doctrina; ſed docet eam Chriſtus omnes, quicunq; volunt eſſe capaces. Quæ quidem conſideratio non deſperationi adducit, ſed & immò eo maiori ſubuehit ſpei, quò altiùs innititur humili ſuijpſius agnitioni.

Hæc ſcripſimus deterrima de hac ſuperbia, omnium origine peccatorum: quam adinuenit omnium nequiſsimus Lucifer, quamq́; oportet Chriſto omnium longè optimo crucifixo, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientię Dei abſconditi, à nobis radicitus euelli, ſi velimus vnà cum illo æternum regnare.

De vniuerſali paſsionum omnium victoria. c. ix.

Neqvaqvam debet homo expaueſcere, vbi tot ſe ſentit ponderibus malarum prægauari propenſionum, quò minùs ſit victoriam relaturus. Diuina etenim bonitas omne nobis impedimentum auxilio cõuertit: idq́; ni poſſet, nunquam has in nobis permiſiſſet paſsiones: quæ ſui natura minimè ſunt malæ: reddũtq́; crimen noſtrũ ma

gis excuſabile. Vnde minimè redemptus fuit à Deo Angelus, vti homo: quoniam cùm iſtis careret propenſionibus, minorem habuit peccandi occaſionem: nos verò hinc demittimur, nos agnoſcentes fragiles: cautiusq; agimus: & ſi quidem labimur, faciliùs veniam ſperamus: vti cauſabatur Propheta ſe in peccatis conceptum, ideoq; fidentiùs indulgentiam precabatur. Cæterùm ſi velimus eſſe victores, magnanimi ſimus oportet: ſibi enim deuincendo vis exigitur ſupra ſeipſum, gratia quippe & virtus ſupernaturalis: neq; ita propriæ debemus diffidere impotentiæ, quin ampliùs diuinæ confidamus liberalitati: quæ vbiq; ſeſe ingerit, & penetrat, niſi impedimentum inueniat ex latere noſtro. Si etenim fideliter nos diſponemus, prǽualebit tandem gratia, vt deuincat, immutetq; naturam. Quod autem nos præſtare poſſumus eſt, firmum ſolidúmq; propoſitum, Dei tantùm factum amore; non alia verò de cauſa: quod peregrinum minimè ſit ſeu aduentitium; ſed permanens, & inſitum, totieſq; confirmatum, quoties minùs inualuerit.

Aduerte porrò minimè ſufficere vt imaginariè

ginariè tantùm nos vincamus: ſed requiritur & res ipſa: neq; vni ſatis eſt vinci vitio, non alij: niſi etenim omnium veferemus victoriam; ex modica, quæ ſuperſit, radice omnes denuò repullulaſcent. Omnes itaq; ſubiugare oportet paſsiones: niſi etenim deuincantur maiores, minùs & minores: victiſq; maioribus ne præfidas: citò enim fallerere, perfectamq; non referres victoriam, neq; coronabere.

Sunt qui vel quinquageſimum exceſſerint annum, nondumq; ſeipſos deuicerunt: quos quidē par foret cogitare, quāti ſit hoc bñficij, quòd tādiu fuerint expectati; Deūq; cælo minimè admittere deſides vel tepidos. Hoc ſi tu es è numero, iam expergiſcere: neq; ſpem deſpondeas; ſciens Deum tempori non alligari, ſed in momenro te poſſe ſanctum reddere: tantaq; tibi poſſet inoriri peccati diſplicentia, ſolidumq; & conſtans non ampliùs delinquendi propoſitum, vt ſimul & pæna deleretur, & culpa. Illud quidem fateor, qui prauum contraxit habitum, non ita citò conuerti: nonnulliq; Patrum ſemeſtre illi aſsignant ſpatium vitioſis remouendis diſpoſitionibus ſeu affectionibus.

nibus. Hoc tamen intelligitur, iuxtà quòd plus minuſ'ue gratia affluit: homoq; adnititur, & ſe diſponit illi recipiundæ. Si igitur hucusq; ſęgniter egiſti, eo fias in poſterum feruentior, quò modicum tibi ſupereſſe tempus cognoſcis.

Minimè fieri poteſt vt quisquam ſummè fiat vel bonus, vel malus, niſi cum tempore, multisq; interuenientibus actibus, qui in habitum conuertantur. Si verò aliquando conſpicitur bonus ſtatim ruere, ſcito, aliquam priùs ibi delituiſſe imperfectionē: quæ repentina ſæpe declaratur ruina. Cui ſunt maximè procliues lapſui qui acri pollent ingenio: non etenim humilibus ſunt contenti, ſed varijs oblectantur hominum conſuetudinibus, & recreamentis, in quibus ſæpe tepeſcit feruor, ſubrepitq; Diabolus. Oportet itaq; omnino, non in parte ſe deuincere: cùm fieri nō poſsit vt partim ſimus boni, partim mali: ſi quis verò externè eſt bonus, vti tepidus, reuerà eſt malus, immò peſsimus. Simulata enim æquitas non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas.

Vbi vniuerſalis vitij omnis in te erit perfecta victoria, hinc deprehēdes. Tua ſiquidem

dem voluntas diuinæ ita erit conformis voluntati, vt abſq; ſenitentia quæcunq; tibi eueniant æquo animo accipias: neq; vnquam deſiſtes pro illis etiã precem fundere, qui te odio ĩſectantur. Tunc diuinũ ſenties omni in re auxilium, iugemq; ſummo perfectionis gradui aſpirationem. Tunc ſanctificationẽ accipies, fereq; eris certus omne tibi dimiſſum peccatum: (tametſi hanc plurimi ſanctificationẽ minimè percipiant ſe cõſecutos: paucorum etenim eſt, & perfectorum hæc cognicio) Tunc inquã oderis omnia illa, quibus Deum offendiſti: vti ſunt vires ſenſitiuæ, quæ inſtrumenta fuere peccandi: cruciariq; eas excupies. Tunc nedum ſeſe tibi offerent Angeli: vti multis euênit necdum perfectis: ſed & tua delectabuntur conſuetudine, tecumq; morabuntur. Breui dicam, eouſq; erit victoria tua excellens, vt pertingat ab empyreo cælo ad infernum: à dextris omne ſuperaueris ſolatium: à ſiniſtris omnem excupies cruciatum: à tergo terrena omnia derelinques: aute te non aliud quàm Deum conſpicies: iam nõ tibi videbitur durum gulam vincere, reſtinguere iram, gloriam peſſum dare, nudamq;

nudamq; amplecti Chriſti crucem; in qua difficilia omnia nedum tibi erunt facilia, ſed & ſuauia.

Hunc ſi pertigiſti ſtatum, Deo gratias age, te eius factum eſſe filium; ſi vides procul abeſſe, nō animo concidas; ſed perſiſte, vti ſcripſi, dimicans aduerſus teipſum: non etenim penes Deum eſt impoſsibile huic te perducere faſtigio, quò ipſemet te inuitat.

Remedium oī vitio vniuerſale. c. x.

CVM filij Iſrael ī deſerto percuſsi à Deo fuere venenatorum multitudine ſerpentiū, quorum ſtatim morſu interibant; ad Moyſi preces datum fuit hoc antidotum; vt facto ſerpente æneo, excelſumq́; ſublato ī palum, quicunq; morſi erant, fixè illū intuerentur; ſicq́; fiebat, vt attento ī ſimulachrum illud contuitu à veneno ſanarentur. Vnde in figura docemur, ſi volumus à peccati morſu liberari, & ſub pedibus conterere vitioſas paſsiones, tentationesq́; omnes inimici, oportet Chriſtum cruci affixum attentè cōtemplemur; cuius in intuitu omni noſtra

ſanabimur

ſanabimur iordinata affectione. Vti enim ipſe tanquam latro eſt cruci ſuffixus, cùm ſit longè innocentiſsimus; ita poteſtatem habet illis opem ferre omnibus, qui ſunt veneno īfecti peccati. Et vt quodlibet percurramus vitium, eo, quo prædiximus, ordine; ſi gulæ attentaris, attentè Chriſtū contuere crucifixum, extrema eius in agonia, nō dicam delitioſis cibis, nō generoſis caruiſſe vinis, ſed vel vilìſsimę cyatho aquę: felleq; & aceto fuiſſe potatum. Hoc ſi recogites, pudebit te crapulæ indulgere & ebrietati, ob quā ſitiuit vſqueadcò Creator tuus; tuamq; farcire corruptibilem carnē; quando Dei filius ſuam innocentiſsimā tui amore ſuſpēſā detinuit ī amariſsima Cruce.

Eodem vinces in intuitu luxuriam, ſi recogites membra tua iam non tua, ſed eſſe Chriſti, qui carò vſqueadeò ea redemit pretio: eque membris peccati, templum fecit Spiritusſancti. Deceret ergo vt tollens, membra Chriſti ea facerem membra meretricis: proijceremq; in viliſsimum cænum pretioſum adeò theſaurum?

Auaritia etſi videatur incurabilis, intuitu ſanatur Crucifixi. Docet enim exemplo,

ſuper-

ſuperuacaneis nõ affici, cùm deſint ipſi vel neceſſaria. Enimuerò ipſe eſt diuitiarum Deus: ita eſt munificus, vt & propriam elargiatur vitam; tu verò non erubeſcis de aliena viuere miſeria, proximum fraudando? Heu quàm dedecet ſeruum rei ſolicitudo, quam omnino ſpernit Dominus: quid autem tibi cum theſauro terræ, ſi ſanguine ſuo theſaurum tibi eſt elargitus cœlorum?

Si bilioſus es, & iracundus, & qualibet minima de re prorumpis in verba indignabunda, reſpice quæſo Dei filium, tot inter iniurias, iniuſtè illatas, non ab alienigenis, ſed à ſuiſmet ipſis, quibus innumera impenderat beneficia, eo ipſo in tempore cũ reipsà iniurijs afficiebatur, vbi recentiſsima erant vulnera, erumpere in dulciſsimum adeò verbum; Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Et quidem non aliud quàm lingua, licet arida, & ardentiſsima correpta ſiti, illi ſupererat. ô quàm nullo negotio tali feres iniurias exẽplo, alienaq; excuſabis errata, bonum pro malo rependes, vti ipſe fecit: modò fixè illud tuæ imprimas menti.

Triſtitiæ ſpiritum perfectè ſi vis ſubigere,

re, cōtemplare Chriſtum Cruci ſuffixum: qui in Cruce ingemiſcens, vti deſperans, dixit; Deus meus, Deus meus, vtquid me dereliquiſti? quò autem oſtenderet talē deſperationem ſpei eſſe plenam, ſtatim ſubintulit; Pater, ī manus tuas cōmendo ſpiritum meum. O quantam concipit anima fiduciam in hac meditatione: deficere etenim ſe ſentiens vires conduplicat, cadens īualeſcit. quî verò poteris te triſtitia ſinere obrui, ſæpe reſpiciens illum in ſanguinem, qui tui gratia fuit effuſus? Si teipſum deſperas poſſe vincere; poteris illo ī ſanguine ſupra vires tuas; impoſsibiliaq; tibi fient poſsibilia. Si vereris minimè te quidpiam aſſequuturum, ſanguinem attende; perſpicies planè qui ſeipſum tibi impendit, paratum eſſe & alia ſuperimpendere omnia.

Si acediç ſerpēs peſtiferæ te adducit ſomnolentiæ & pigritiæ, ſubleua oculos tuos Crucifixo; videq; non habere vbi vel caput acclinet ſuum; perpetiq; grauem adeò & immanem pro te mortem: quî verò tu ſperas, otio indulgens, poſſe Diabolum expugnare, ſi Dei filius, à peccato immunis, aſsiduis fuit in laboribus & cruciamentis?

Certè illi tuum ſi figes intuirum, pudebit tepidè agere, fouereq; tuam deſidiã, ſub diuinæ ſpecie clementiæ, minimè curando indiès magis progredi, quando infatigabiliter tuam ſategit Dñs tuus ſalute, nunquam laſſeſcens, niſi quando extremum Patri red didit ſpiritum; quo in tempore vel maximè erat promptus ſpiritus ad patiendum, ſi caro ferre potuiſſet. Qui verô acediám tuis ferre poteris in membris, tanto redemptis pretio, & laboribus? quî te iuuabunt ſuſpiciones, detractiones, ludi, & ſolatia coràm eius Cruce amoris plena, & ſedulitatis, tui ſaluandi gratia?.

Demum vti omnium eſt peſsima vitiorũ ſuperbia, ita iugi Crucifixi intuitu, efficaciùs omni peſſum dabitur cum eius ramo; e q; fundo euelletur tuo, intimas vſq; ad radices. Impugnari ſi te ſentis inani gloria, contemplare horribilem amabiliſsimi Domini tui aſpectum, nõ pulchris ornati veſti bus, ſed nudi, & laceri totius; non gemmiferis eius effulgent manus annulis; ſed diris admodum ligno ſunt tranſsixæ clauis: non florigeris eius coronatur caput ſertis, ſed pungentiſsimis perforatur vndiq; ſpina

rum

rum aculeis: nõ torques collo gerit aureos; ſed nodoſi in eo apparent funis veſtigia: tenera eius membra non ſuauibus redolent vnguẽtis; ſed fœtentibus ſputis ſunt operta, & liuoribus. Ah contemplare, quæſo, obſcuratam diuinã eius faciem: lachrymãtes oculos: ſanguineam frontem: genas pallentes: caput acclinc: extenſa brachia: pectus hians: diſcerptos pedes: & vide vndecunq; eum tibi adprædicantem humilitatem. O ſuperbe mortalis; ſi hoc in contuitu non humiliaris, eris vel ſaxis durior: nam & ſaxa ſciſſa ſunt: ſi hoc non reuiuiſcis in intuitu, magis es, quàm vita functi, mortuus: nam & multa tunc corpora ſanctorũ, q dormierant, exiere rediuiua è ſepulchris: ſi huic non commouetur cor tuum ſpectaculo, durior es Centurione, qui permotus eſt, & dixit: Verè hic homo filius Dei erat: & turba, qui videntes ſigna, quæ fiebant in eius morte, percutientes pectora ſua cum tremore reuertebantur. O homo, ſi ita Dei filius demittitur, vis tu erigi? Si pacificus eſt ipſe, vis tu eſſe inſolens? Retunde, retũde miſer tuum tumorem; diſijce faſtum; eiusq; exemplo nouiſsimum delige locum.

Tunc verò tutus eris; eo quòd minimè poſ-
ſis amplius, quàm elegeris, deijci. Cõfunde-
re, erubeſce viliſsima creatura, Chriſtum nõ
imitari pro te Cruci ſuffixũ. Si es vilis, qua-
re intumeſcis? ſi nobilis, quare non imi-
taris huius exemplum, qui ſupra omnem
ſublimis eſt celſitudinem: ſpecioſus ſuper
omnem pulchritudinem? Si gloriam appe-
tis, quæ præcellentior gloria, quàm Deum
imitari gloriæ? ſi ſcientiam optas, ſcito phi-
loſophiam hanc eſſe optimam & ſingularẽ.
Quempiam ſi reperirem, qui probè hunc
noſſet legere Crucifixi codicem, tantã de-
ſcenderet ad humilitatem, vt nedum pecca-
torum ſe perſentiret primùm: ſed & omniũ
cauſam criminum, preteritorum, inſtantiũ,
& futurorum: quod multi cenſebunt impoſ-
ſibile, virtutem Crucifixi minimè penitiùs
intrantes. Tametſi verò doctrinam hanc
inter ſua reſeruauerit arcana; verbum ta-
men vnum tantùm inde eloquar. Cùm ete
nim pro vnoquoq; noſtrũ vniuerſam eius
ſuſtinuerit perpeſsionem Chriſtus, quæ põ-
deris eſt infiniti; vnuſquiſq; reuerà poteſt
ſe dicere cauſam eius mortis: peccatumq;
ſuum infinitæ eſſe grauitatis: tanteq; viru-
lentiæ,

lentiæ, vt vel ſolum letale crimen infinita ſufficeret aduehere exitia,totumq; corrumpere terrarum orbem. Sed de his ſatis. Si clarius vis edoceri,ſtude Crucifixo; qui tibi donabit tuiipſius victoriã. Tunc verò eris victor,cùm aſsidua eius Crucis contemplatione,eris cum illo,quaſi alter Paulus,Cruci affixus. Amen.

Subſcriptio Inquiſitoris.

Operi præfato pio, ac ſancto ſubſcribit Frater Melchior ord. Prædicatorum,Hereticæ prauitatis Inquiſitor Mediolanenſis.

D. SERAPH. FIRM.

CAN. REG. LATER. ET

Concionatoris clariſsimi,

Speculum internum; totius altiſsimæ perfectionis formã vniuerſam gradatim, ſtrictimque comprehendens. Tractatus ſanè admirabilis,

Sacris, pijſsimiſque Monaſterij S. Pauli Mediolani, Virginibus, in Chriſto cùmprimis colendis,

Seraphinus à Firmo, indignus Eccleſiaſtes.

OMNI in doctrina, ſacratiſs. Virgines, conſueuere homines, imitanda ſibi proponere ea, quæ sũt maioris pręcellentiæ, exemplaria: ſtultum ſiquidẽ foret,

ret, qualibet in arte præcellentiores nō ſibi proponere, qui in ea inueniātur, magiſtros: Quanquam verò propoſiti non omnes poſſint aſſequi perfectionē archetypi, hoc ſaltem hic habetur commodum; quò etenim præcellentiorem quis ſibi proponit idæam, eo magis ab ignoratione recedit.

Hoc porrò omni ſi verum eſt in arte, in ſpiritali certè via multò magis, quæ abſolutiora ſunt, eligi deberent exempla: vt vel ea poſsimus imitatione conſequi, vel ſaltē minori inuolui imperfectioni. Qua ſanè in præceptione nondū ætate vidi noſtra quēpiam, qui maiori conatus fuerit ſubuehere celſitudini Chriſtianę ſcopum perfectionis, quàm pręceptor & Pater veſter F. Baptiſta Cremenſis: cuius cùm doctrinam percurrerim, huc ſemper mihi videtur tendere, vt anima perfecto aduehatur virtutum faſtigio, mundoq; moriatur, & eius abſcondita ſit in Chriſto vita.

Iam verò pręſenti in Tractatu, quem fideliter in compendium redegi, vt ſua ad legendum prouocet breuitate: quid aliud nititur, quàm candidiſsimam illam peruenire ad cordis puritatem, qua Deus videbitur à

Mecumq; ipſe conſiderans, quis fuerit eius finis, cognoui voluiſſe ipsũ nobis delineare Paulum: quin & Paulo ipſi (hodie ſi talem eſſet reperire) anſam præbere maiorẽ conſcendendi perfectionem. Ea etenim eſt Chriſtiana perfectio, vt ſemper increſcendo ſemper inueniamus vnde proficere poſsimus: ita vt ſemper currentes, nunquã metæ perueniamus: ſi quis autem pertigiſſe ſe perſuaſum haberet, euidentiùs declarare nõ poſſet retrò ſe ceſsiſſe.

Cæterùm noſtram aſſumendo Idæam, Paulum; vti nobis eius ex doctrina notiorem, vobisq; veſtra gratiorem ex fide; dico graphycè hic pictum eſſe, &, quantum fieri poteſt, ad viuum expreſſum. Primùm quia hic docetur modus mentem tenendi continuæ ſuſpenſam orationi: quod de ſe ipſo dicebat Paulus: Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt: alibiq; fratres hortatur ſine intermiſsione orare, cantantes & pſallentes in cordibus ſuis Domino.

Deinde hic docetur etiam è peccato lucrum referre: quæ ſuſpecta eſſet ſententia, niſi diceret Paulus, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum: &, vbi abundauit

peccatum,

peccatum, ſuperabundare & gratiam. Ne verò quiſquam cõfidenter peccaret, vt gratia abundet, remouet hunc Paulus errorẽ, docens omnem quãtunuis minimam vitare culpam, omniq; in verbo, & opere ſemper nos habere, vti Dei filios per IESVM CHRISTVM: quod multis nititur author noſter comprobare rationibus: oſtendens leue non poſſe eſſe peccatum illud, quod voluntariè committitur.

Hortatur author publicam ĩ publicò peccato penitentiam: quod fecit Paulus, omnium ſe vocans peccatorum primum: Hebræosq; hortabatur palàm exire ad Chriſtum extra caſtra, portantes improperia eius. Redarguit etiam contentiones, quæ minimè eſſe poſſunt ſine ſuperbia: vti de hoc ſingulariter monet Timotheum eius diſcipulum Paulus, aſſerens ſeruum Dei non oportere litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes.

Dicit Paulus, charitatem nõ malum cogitare, non irritari, non inflari, non agere perperam, omnia ſufferre, omnia credere, omnia ſuſtinere. Hoc idem dicit author, exhortans omnem deponi debere ſuſpicio-

nem, & inconſulta aduerſus proximum iudicia, & omnem eius ſufferre defectum, tàm naturæ, quàm voluntatis, & omni gaudere ĩ tribulatione, illam de manu recipiendo Domini.

Cùm author dicit, æquo ſe animo ferre ſuum omne pondus, vitioſamq; propenſionem: neq; illi curam eſſe quòd minimè ſit ĩ ventre ſanctificatus: ſpem habens, omni cum pondere, Deo reddere gloriam, non minùs quàm ſanctificati; aures videtur offendere, niſi idem doceret Paulus: primùm exemplo, cùm poſt peccatum nõ minorem cõſequutus fuerit, quàm Ieremias ꝓpheta ſanctitatẽ: mox & verbis, vbi ait: Vbi abũdauit delictum, ſuperabundauit & gratia.

Cùm ait author, in oratione fugiendum multiloquium, & ſpectra, & imagines corporeas: adnitendumq; vt noſtrijpſorum perueniamus obliuioni, perſiſtamusq; in continua Deo gratiarum actione, firmiter credendo obtenturos nos quicquid orantes petierimus; mihi vr̃ id eſſe, quod de mirabili ſuo dixit Paulus raptu: vbi erat vſque adeò, abſorptus, vt neſciret ſiue ĩ corpore, ſiue extra corpus fuerit: arcanaq;, q̃ ibi audi-

tuit, verba non licet homini loqui: vbi planum facit, fuiſſe illa ſupra omnem ſenſum, & imaginem, in nudo ſpiritu, Deo coniuncto, & transformato.

Summam oſtendit Paulus in animarum lucro diſcretionem, vnicuiq; dando quod illi ī rem foret, omnibusq́; ſe coaptans: vti dicebat: Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Præ cæteris autem omnibus quoſdam habebat, Timotheum quippe & Titum; quos faſtigio conabatur euehere perfectionis. Quam hic ſcriptam offendes ſententiam: hęcq; obſeruans documenta, operi poteris mandare.

Quî habere ſe debeat anima diuinis in viſitationibus, exceſsibus, raptibus, viſis, apparitionibus, & miraculis, exemplum dedit Paulus; vbi ſuo factus eſt, quàm antea, humilior ex raptu, ſolumq́; in infirmitatibus gloriatur, & nuda Chriſti Cruce. Quod ſi hodie proſequerentur exemplum ſpiritales, tanta non afflueret gentis illuſæ à Diabolo copia: neq; adeò exuberarent phantaſticæ apparitiones. Quocircà tutius non poteſt dari conſilium, quàm quod ſcribit author, vt omne contemnamus miraculum,

lum; non quidem ex incredulitate, vel arrogantia, ſed humilitate, & cautela. Propellere ſiquidem à ſe Deum ex humilitate: vti & Petrus fecit, & Conturio: non aliud eſt, quàm dupliciter illum prouocare: rurſumq́; talibus Deum accipere ſub apparitionibus, cùm non ſimus certi illum eſſe Deum; minimeq́; in noſtrijpſorum increſcendo adnihilatione; non aliud eſt, quàm propellere: quandoquidem Deus humilia ſemper reſpicit: & alta, hoc eſt ſuperba, à longè cognoſcit, & auerſatur.

Mirandum ſanè verum nõnunquam humilem ſuas prodere virtutes, idq́; effari quod propriæ eſt laudis: hoc etenim peculiare eſt ſuperbo: dubitabileq́; id eſſe poſſet, quod ait author, ſanctum humilem nunc ſuas declarare virtutes, nunc tegere, niſi hoc Paulus doceret ſecretũ; cùm quodam in loco ſubter omnem ſe Deijcit peccatorem, alibi ſummè ſe prædicat: humilitatem verò ita hic, vt ibi aſſeruat. Vti enim ſe demittens quò habeatur humilis, ſuperbus eſt ſuperbiſsimus: ita in Dei laudem ſe extollens humilis, & altiùs humiliatur.

Paulus ait: Siue manducatis, ſiue bibitis,

tis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Hæc porrò eſt intentionis, quæ hic docetur, purificatio. Paulus ait: Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem: ſic & auctor, reſpicere nos nó debere perſonas, ideoq; veritatem reticere. Ait Paulus, mundo ſe crucifixum: hic aliud nō docetur, quàm vt omnino nobisipſis moriamur.

Verùm quoniam longum foret ſingula proſequi, hoc nō tacebo vnum; vbi author ſibi pænam eligit ex charitate proximi, non diſcedere illum à Paulò, qui optabat ipſemet anathema eſſe pro fratribus ſuis à Chriſto: hoc eſt, ab eius gloria. Cumq; author dicit velle omnes anteire ſanctos, quò maiori afficeret Deum gloria; Paulum referre mihi videtur, qui gloriatur in laboribus ſe fuiſſe ſupra omnes Apoſtolos: iterumq;, neque Angelos, neque Principatus, neq; Virtutes, ait poſſe illum ſeparare à charitate Dei: vbi planum facit, omnibus ſe Angelis ſuperiorem. Cùm verò inquit idem author, adniti nos debere, vt Deo ſimus ſimiles, & æquales: exemplū ſequitur Pauli, qui omnipotens erat; omnia enim poterat

in Deo: erat omniſapiẽs; quoniam in captiuitatem redigebat omnem intellectum in obſequium Chriſti. Breuiter, alter erat Chriſtus, quoniam viuebat ipſe, iam non ipſe: ſed in eo viuebat Chriſtus, in ipſoq; loquebatur, & operabatur: in ipſo patiebatur, & reſurgebat Chriſtus; cui erat vnitus, & ex amore transformatus.

Gaudete igitur veſtro Paulo: & vti chariſſimę filię, adnitimini ipſum imitari; hocque contemplari in ſpeculo, quàm indiês interno augeſcatis in profectu, Chriſti virtute Crucifixi. Qui ſemper viuat in vobis.

A. P. A.

Docetur cauſa negligentiæ & teporis: quareq; inuẽtum ſit diſcrimen inter præcepta & conſilia: quæq; ſit celſitudo atque perfectio legis Chriſti. C. I.

QVANDOQVIDEM mens noſtra antequàm perfectioni pertingat, facilè externis diſtrahitur occupationibus, difficilèq; colligitur,

colligitur, introuertiturq;: viſum eſt mihi, præſenti in tractatu modum docere, quo continua poſsit morari in ſuijpſius conſide ratione, diuinaq; ſemper proficere in vnione: vnde & externa rectiùs moderentur opera: quæ perfecta eſſe non poterunt, niſi interno continuè ſocientur lumine. Quem iure tractatum mihi viſum eſt, Speculum inſcribere internum: vt poſsit anima in illo ſe cotemplari: quemadmodum vanæ mulieres, coſeruandæ gratia corporis formę, ſæpe in externum contuentur ſpeculū. Qua ſanè in æmulatione, ſi anima talis eſſe concupiſcit, quæ poſsit CHRISTO IESV, vti vera ſponſa, placere; ſegniter haudquaquam ſe habere debet: ne minùs ſit bono induſtria, quàm mundi amatores malo.

Oportet itaq; à nobis negligentiam propellamus, quæ plerunq; oritur ex eo, quòd diſcrimen ponamus præcepta inter & conſilia, aſſerentes neceſſaria illa ſaluti, nō iſta Quæ tametſi vera omnino ſit diſtinctio, nō tamē fouendæ adinuenta eſt cā deſidiæ, ſed reſtinguendæ. Videntes etenim nonnulli inde perfectionis celſitudinem, hinc propriarum infirmitatem virium, deſperabant poſſe

poſſe vnquam eò pertingere. Quare neceſſum fuit eorum ſolari puſillanimitatem; diſcernendo quid ſaluti omnino eſſet neceſſarium, quid'ue ſupereffluerect: vt ita in ſibijpſis ſuauitatem experientes virtutis, cum tempore illi aſpirarent metæ, quam priùs autumabant impoſſibilem aſſecutu. Multi autem anſam hinc arripiunt negligentiæ, dicentes: tanta haud opus eſſe sãctitate: ſufficereq; Dei ptæcepta obſeruare. Neq; verò vident, niſi minora euellent vitia, prolapſuros ipſos in maiora: niq; toto aſpirabunt conatu ſummæ perfectioni, minimè illam ſe aſſequuturos.

Aiunt huiuſmodi homines: ſufficit ſemel in anno communicare: præceptumq; obſeruare Eccleſiæ. Neq; vident, illos qui ſacra frequenter accedunt myſteria, nõ ita eſſe procliues ad blaſphemias, ita'ue obnoxios furori, alijsq; grauibus delictis, prout ſunt ipſi; & ſi quidem labuntur, faciliùs reſurgunt. Apparet itaq; manifeſtum eorum periculum, qui minimè profectum curantes, defectum exaggerant. O quàm tutius fuerit, potius à periculo abeſſe, quàm adeſſe, ne id locum habeat ĩ nobis, quod ſcriptum

tum eſt: Qui amat periculum, peribit in il-lo. Si craſsiora volumus vitare peccata, caueamus & à minutioribus: hæc autem ſi volumus vincere, abſtineamus etiam à licitis: vti pleriq; fecere Sanctorum: qui vt gulam ſuppeditarent, illis abſtinebant cibis, licitè quibus vti poterant: vt Apoſtolo auſcultarent dicenti: Omnia mihi licent: ſed non omnia expediunt.

Multi tepidi, quod grauia non admittãt ſcelera, adeò confidunt, vt nihil curent in leuiora prolabi: & inquiunt: Nos ſumus carnei: miſericors eſt Deus: delicta iſta sũt leuia, veniam merentur, aqua abluuntur sãcta: Indulgentiam poſtea capiemus, totumq; abolebimus. Hei mihi, quę hęc eſt ſtultitia; velle Deum offendere, quòd bonus eſt, & miſericors? immò hinc vel maximè oportuerit illũ minimè offendi, quòd ſit bonus. Infirmi quidẽ ſumus: ſed ſi ſcientes ac prudentes culpæ nos laxabimus: curamq; minimè geremus emendationis: iam non dicetur infirmitas, ſed ipſiſsima malitia. Qui ex infirmitate cadit, ſtatim indolet, proponitq; ampliùs non labi: qui autem cadens ſe excuſat, dormitatq; in peccato, cenſens

illud

illud leue ; ita è leui illud faciet grande. Vana iſta de diuina pietate præſumptio, ꝑfectionisq́; iſte contemptus, quo inducimur vt minimè curemus omnem noſtram imperfectionem, fiamusq́; perfecti; graui non poteſt eſſe ſine crimine: dicit enim Sapiens: Quodcunq; facere poteſt manus tua, inſtãter operare.

Ego autem non video, quod dici poſsit leue peccatum: quando omni pro peccato mortuus eſt Chriſtus: quî iam paruulum eſt peccatum illud, quod tanto piatum eſt pretio? O chare Chriſte, ne me ſinas inanem vſqueadeò præſumptionem incidere: ſed perfectè da mihi indoleam peccatum omne: omniaq́; mihi ſint intolerabilia: aliàs enim mihi viderer tuum longè pretioſiſsimum conculcare ſanguinem.

Aliud eſt, vnde gignitur neligentia. Multi enim quædam proponentes fugere vitia, ſæpeq; eadem recidentes, in diffidentiam prolabuntur, quò minus ſint perſeueraturi: obq́; illam, quam initio experiuntur, bene agendi difficultatem, deſperãt faſtigiũ poſſe conſcendere perfectionis: itaq; manent tepidi; cenſentq́; peccatum eſſe naturale,

&

& non voluntarium. Sed certè fit à volũtate, non natura, peccatum: ideoq; eadem vitari poteſt voluntate. Si verò hoc initio eſt laborioſum, fiet, diuino fauẽte munere, paulatim facile, & delectabile. Propriam autẽ ſi experimur imbecillitatem, gratiam etiam agnoſcere deberemus diuinã: cuius ſe prodit in nobis præſentia, vbi poſt culpam nos arguit, extimulatq; vt reſurgamus. Si etenim ita diuinam reſpiceremus gratiã, ꝓut infirmitatem reſpicimus noſtrã; citò perſpiceremus minimè ſeruis ſuis Deum lapsũ permittere, quò deſperent; ſed ne proprijs confidant viribus: ita vt noſtro omni ex lapſu fieremus humiliores, promptioresq; qui ſupernè auxilium precaremur: vnde malũ nobis conuerteretur in bonum.

Qui propriam magis culpam, quàm Dei attendunt gratiam, dicunt: Deus, quos vult, ſanctificat: &, ſi nobis vellet ſanctificationẽ indulgere, id vtique faceret. Hacq; ratione nedum propriam audent tegere negligentiam: ſed & Deum iudicant perſonarum acceptorem. Ego verò dico: ſi quiſquam oculo intenderet humili diuinæ celſitudini gratiæ; è propriæ intuitu miſe-

riæ maiorem aſſurgeret in fiduciam, & diceret: Mi Domine, tibi gratias ago, quòd me non ſanctificaueris in incunabulis, ſed moratus ſis poſt innumera mea peccata. Mea etenim hæc confuſio maiorem tibi cedet in gloriã: ampliusq; prædicabere, nunc me ſi ſanctificas: quemadmodum figulus, qui viliſsimo è luto vas format in honorẽ, vel confractum priſtinam reſtauret in formam, cumulatiori dignus eſt laude, quàm ſi pulchra ex materia nouum effingeret. Vbi verò noſtra agnoſceretur prudentia & induſtria ſi oẽs ab ortu eſſemus ſancti, & quodammodò coacti ad ſanctitatẽ? ego volo te glorificare in ea, qua ſum, conditione: eaq; contentus eſſe volo.

Non imminuitur ex his verbis in ſanctificatis ante culpam gratia: ſed inaugetur in iuſtificatis poſt culpam. quare operæpretium foret vt peccator omnis cõſideret: ne ianuam occluderet gratiæ deſperata culpæ grauitate: ſed immò Deo gloriam exhiberet ſuo in gradu: vti faciunt in ſuo, qui gratia præuenti ſunt ante culpam. Quãdoquidem & illud ſcire debemus, quòd ſi illam opere nõ exercemus gratiam, quam in pre-

ſenti habemus (tametſi illius non ſit efficaciæ, vt nos à peccato præſeruet) credere fas eſt, ſi ſanctificati eſſemus, ita nos fore, vt nũc deſides: quandoquidem ita Deus operetur in nobis, vt & nos velit illi cooperari, cõcurrereq́; noſtra induſtria illius gratię: cumq́; nõ operemur in hoc gratiæ ſtatu, nõ operaremur & in alio: reſpondere etenim sẽꝑ debẽt opera noſtra illi, quã habem⁹, gratię; vt maius detur gratię augmẽtũ. Hac cõſideratione propulſabimus à nobis deſidiã.

His ablatis impedimẽtis, ſupereſt, vt nõnihil ſcribamus de perfectione, ad quam vocamur. Chriſtus etenim ſpeculum eſt ſine macula, quod nobis ob oculos ſtatuitur: qui compaſsione tactus, quòd nos videret in tenebris, à viaq́; procul aberrantes, venit noſter eſſe dux, & via noſtra, ſuæ afferens lumen veritatis: vti dixit: Ego ſum via, veritas, & vita: quò nimirum haberet homo, vnde fieri poſſet beatus, & ſanctus. Itaq́; mundo voluit vitam inſinuare ꝑfectã: quò minimè potuerũt perducere lex vel naturę, vel ſcripta. Omnes ſiquidem cæteræ leges nonnihil in ſe habent imperfectionis: at lex Chriſti abſcindit vitium omne corporis; vti

ſunt gula & luxuria : necnon & ſpirirus ; vti inanis gloria, & inuidia : ſummoq; hominem euehit faſtigio virtutum omnium, ad vnitionem vſq; , & transformationem in Deum.

Hinc præ omni alia docet lege , purum Dei honorem : extenditurq; ad amorē proximi, tàm boni, quàm mali, amici, quàm inimici. Facit etiam vt omne toleremus diſpendium & iniuriam, nedum patienter, ſed & lætanter : tantæq; eſt efficaciæ, vt concupiſci faciat tribulationes ; naturamq; exuperare, & noſipſos. Quæ ſanè res eſt admirabilis, & diuina, & paucisſimis comperta ; quî in cruciatu inueniatur gaudium : præq; virtutis deſiderio, perfectum homo indipiſcatur ſuiipſius odium. Quod cùm alia non inueniatur in lege ; cōſiciendum eſt neceſſariò, hanc eſſe regulam, & lineam cæterarum omnium ; hacq; in ſola (ſi ritè obſeruetur) veram conſequi homines ſalutem.

Tantæ eſt hæc lex celſitudinis, vt agnoſci faciat, omnia præter Deum nihil eſſe. Quare oīa aſpernatur terrena, & corruptibilia ; omnemq; delectationem, nedum corporis, ſed & ſpiritus : Deoq; famulatur,

non

non præmij potiſsimùm amore; ſed meri ipſius gratia honoris: quæ niſi obſeruet Chriſtianus, Chriſtianus nequaquam eſt dicendus, etſi Baptiſmi ſit ablutus aqua; ſed potius ceremoniarius, ac logochriſtianus: neq; illi quicquam proderit luſtralibus ablutum eſſe vndis: niſi internè mundificetur. Ideò quilibet ſeipſum rectè diſcutiat: tantamq; in ſe non inueniens, cui tenetur, perfectionem, vitam conetur in melius commutando nouam inſtituere, vt huic poſsit pertingere gradui: quò minimè erit impoſſibile pertingere, ſi Dei reſpondeat gratiæ, illum vocantis.

Illud quidem fateor, nonnullos hac in vita eſſe incipientes; nõ inquam tempore, ſed virtute: quòd imbecilles ſint repellendis tentationibus, malisq; propenſionibus, & conſuetudinibus: non inquam gradu, & dignitate; omnis enim quicũq; fragilis eſt, & facilis ad lapſum; etſi ſacerdos foret, vel Epiſcopus, Doctor, aut Theologus longæuus; ordini annumeratur incipientium. Alij fortiores ſunt ad ferẽdum malum, bonumq; agendum, proprijsq; ſubigendis paſſionibus: & nonnunquam vulnera ſi refe-

runt à Diabolo; inferunt & ſæpe illi : vbi enim ſe ſentiunt Deum offendiſſe, amplius ſolito ſe demittunt; fiuntq; cautiores ; validioraq; emittunt propoſita ; & hi dicuntur proficientes. At vbi quis vitioſas omnes iam ſub pedibus contriuit (quãtùm fieri poteſt) paſsiones, & tentationes; adeoq; inualuit, vt nedum ferè nõ labatur, ſed & lucretur omni in re; in meliusq; ſemper increſcat; alienaq; ferat pondera, nihili pendens omnes Diaboli vires; tunc tertiæ aſcribi poteſt claſsi; qui dicuntur perfecti. Quo rurſum in gradu alij sũt magis, alij minùs perfecti; alij perfectiſsimi, & Deiformes.

Quare in animum induxi hanc ſcribere Operulam, vt in illa quilibet ſe cõtemplans, agnoſcere poſsit quo agat in gradu; occaſionemq; habeat vnde ſemper proficiat, vt ne tepore prematur, retroq; cedat. Vtinam nedum incipientibus, & proficientibus, ſed & perfectiſsimis poſſem lumen afferre, & ignem. Vellem etenim meliorem me Deus faceret Chriſtifidelem, qui vnquã fuerit, futurus'ue ſit mundo ; vti ad hanc vſq; horam peior fui, adeoq; implicitus imperfectionibus, vt de omnibus ſcribere poſ-

ſim,

ſim,ꝓpria edoctus experiētia. Nemo itaq; miretur vti à me ad vnguem deſcribantur: immo è meis vulneribus perfectam referat ſanitatem.

Vbi igitur mortifera quis vicit peccata, bonamq́; concepit & firmam Deo ſpem, amoremq́; virtuti conuertit; debet, iuxtà Salomonis conſilium, omni diligentia cor cuſtodire, propriasq́; ſæpe inſpicere cogitationes, illas Deo dirigendo, eiusq́; indeſinēter auxilium implorando: qui ſemper aderit, nunc interna conſolatione, nunc patientiæ virtute. Quanquam verò ſenſibilis nōnunquam ſubtrahatur gratia, cùm ob virium corporis conſeruationē; iugē etenim corpus ferre non poſſet ſenſus interni influxum; tum ne tepeſcat, ſuperba'ue fiat anima; vti Lucifero factum eſt; non tamen debet homo deſperare, puſillanimis'ue fieri; ſed potius totum ſe reſignare in pijſsima amabiliſsimi Dñi ſui IESV CHRISTI Crucifixi brachia.

Multæ adducuntur rationes aduerſũ illos, qui ſummæ aſpirare nolunt perfectioni, omninoq́; ſeipſos deuincere; quantaq́; hinc eueniant animæ incommoda. c. 11.

STVLTITIAM pro parte declarauimus eorum, qui minimè curantes ſummum conſcendere perfectionis gradum, in meliusq́; ſemper proficere, ancipiti admodum verſantur in ſtatu, æternamq́; minitanti damnationem. Verùm quoniam regnat admodum hodie hoc vitium, vel in illiſipſis, qui dici volunt interni, ideò afferre volo multas huic propoſito rationes, quæ ſunt efficaciſsimæ: partimq́; è ſacris depromptæ Scripturis, partim à D. Vincentio, in eo, quem edidit de vita ſpiritali, tractatu. Quibus ſanè velim ſummoperè, fidelem quenlibet attentè aures arrigere: tum quòd profectus hic omnis ſitus ſit, & defectus noſter: tum etiam quòd veritatem minimè auſcultantes, id incidimus, quod Deus per Salomonem ait: Vocaui, & renuiſtis: Deſpexiſtis omne conſilium meũ, & ĩcrepationes meas neglexiſtis. Ego quoque

que ĩ interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit.

Prima innititur ratio propriæ agnitioni fragilitatis. Cùm etenim ſenſus hominis procliuis ſit ad malum ab adoleſcentia ſua, derelinquat oportet nedum graue peccatũ, ſed & peccandi occaſionem: aliàs id incidet, quod perſuaſum habebat poſſe ſe vitare; veluti ſi quis diceret: Mihi ſatis eſt peccatum deuitare carnis: neq; tamen à ſe verba abſcinderet turpia, & cogitationes, & actus: dubio ꝓcul è tali cogẽt diſpoſitione, operi ruere, quod ſuperare propoſuerat velle. Ita niſi præparet ſe animus ad omnẽ ferendam iniuriam, ſed ſat habeat nõ blaſphemare duntaxat, & non deſperare; cohibere ſe non poterit, quin furori erumpat, tot inter, quæ quotidie occurrunt, occaſiones: ſicq; iracundia cæcatus, vincetur à blaſphemia, & deſperatione: vti Sapiens conteſtatur: Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Venialia ſiquidem diſponunt ad mortalia. Rurſum dicere poſſumus, qui omne adnititur ſuperare vitium, vel grande, vel paruum, incipiet ille proficere, internoq; increſcet in vigore: quò etenim ma

gis

gis recedit anima à peccato, eo ſe magis reddit gratiæ capacem : qua indiès magis aduerſus peccatum roboratur.

Altera eſt D. Aquinatis ratio, illorum prauo innixa iudicio, qui in peccato conquieſcunt, propterea quòd ſit paruũ: itaq; facientes, grandeſcere illud faciunt. Si etenim peccato quis vult perſiſtere, quod ſui natura non ſit graue; cumq; poſsit corrigi, nequaquam id pendit; iam fatetur tale peccatum voluntarium eſſe, ſociatumq; obſtinatione: nec iam eſt, vt videbatur, paruum. Huiuſmodi enim nedum vitiata eſt voluntas, ſed & talis vult permanere, nunquamq; cælum ingredi merebitur, vbi nihil locũ habere poteſt infecti, ſeu coinquinati.

Præterea idem naturalis perſuadet ratio. Si etenim noſtra vera eſt fides, tenetur Chriſtifidelis velle admodũ proficere, quò poſſit admodum Deum honorificare: qui eo maiori in quopiam honore afficitur, quò ille eſt ſanctior. Verùm, dato, ſine veritatis præiudicio, quòd religio noſtra minimè eſſet vera; nos experientia nouimus, nonnulla bonis, & malis eſſe communia, bona, & mala: vt ſunt diuitiæ, & paupertas, aduer-

aduerſa, & proſpera valetudo: & id genus alia. Nonnulla verò peculiaria ſunt bonis bona: tranquillitas nempe mentis, mũdoque ſupereminere omni: non quidem temporali dominatu, ſed ſpiritus libertate; proprias ſuperando paſsiones, vitioſaſque procliuitates: vnde fit, vt nihil omninò illum contriſtet ſeu perturbet ſpiritum, qui omnibus exolutus eſt catenis: redundat etenim interiori lætitia: quòd minimè poſſunt mali habere; qui tot obnoxij ſunt perturbationibus, quot ſunt mundi euentus vel læti, vel infelices. Si igitur (quod minimè eſt verum) anima foret mortalis, quando melior eſt bonorum, quàm prauorum conditio, deberet quilibet in id quod melius eſt, & conſultius, intendere: virtutemq; ſummo eius cõquirere ĩ gradu.

Adhæc cùm Deus infinita ſit bonitas, & perfectio, immensè à nobis meretur amari. Qui igitur modum ſuo ponit profectui, ille (quantum ĩ ſe eſt) nõ vult quanto poſſet, quanto'ue tenetur, Deum afficere honore: qui ſanè defectus, aliud non eſt, quàm eum inhonorare. Cui & conſiderationi ſi addat anima Christi paſsionem, cogetur

getur

getur nedum ſanctitatem non negligere, ſed & illius acquirendę gratia, omni ſe exponere cruciatui. Eius enim paſsio fuit vniuerſalis in omnibus corporis membris, animæq; viribus, & in ſupremo doloris gradu, quò vniuerſã ſatageret ſalutẽ, & perfectionẽ noſtrã. Si igitur omni integrè ſanari non ſtudes vitio, perfectionemq; acquirere, proculdubiò tanto ingratum te exhibes beneficio: fructumq; in te irritum reddis acerbi vſqueadeò cruciatus, quem ſuſtinuit Chriſtus, tantummodò vt te ſanctificaret.

Attende dein celſitudinem, diuinorumq; arctitudinem præceptorum, & comperies Deum nos velle nedum bonos, ſed ſanctos, & perfectos: neq; illi ſatis eſt, quòd ſimus ſancti, ſed dolet, & conqueritur, ſanctos ſe non reperire, ita præcellentes, vt poſſint eius obſiſtere furori: vti ſuo ĩ propheta loquitur Exechiele. Quęſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſsiparem: & nõ inueni. Chriſtus etiam dicit. Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Et Paulus ait: Eſtote perfecti, & imitatores

tatores mei. Et ĩ Apocalypſi ſcribitur, Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. Deusq; pręcipit & vult amari ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus, & ex omni mente noſtra. Quod ſanè ille facere non vult, qui tantam negligit perfectionẽ. Porrò ſimeliùs liquidiusq; hanc cupis perſpicere obligationem; perpende quot & qualia ſint Dei beneficia: quanta donatoris magnitudo, noſtra'ue indignitas: & comperies, illum vniuerſum fabricaſſe tibi ſoli mundum, acſi alius nõ extitiſſet homo. Vbi Sancti & Angeli, reprobi & Dæmones, cæli & elementa, herbæ & plantæ, aues & piſces, & animalia, & petræ, & metalla, & quicquid condidit, tibi vni famulatur: quî iam graui poteris ſine criminis nota, metam circunſcribere habendæ illi gratiarum actioni, quando ipſe inſatiabilis eſt tot tibi congerendis beneficijs? Si hęc autem omnia te non mouent, erigere contemplandæ paradiſi gloriæ; quæ (vt ait Apoſtolus) talis eſt, vt neq; oculus viderit, neq; auris audierit, neq; in cor hominis vnquam aſcenderit. Quis iam fatuus diceret: Tantam ego non curo poſsidere gloriã: ſat mihi partis vnius:

niſi adeò expers ſit luminis, vt neque diuinã agnoſcat largitatem, neq; ſuamipſius ſentiat vtilitatem? Qua ſanè in re inde ingratiſsimum, hinc verò ſe comprobat ſtolidum, proprioq́; repugnantem bono.

Ad hoc idem, dico; ſi quis proprietatẽ vitij compertam haberet, & virtutis, non vnquam finem præſcriberet ſuo profectui. Vti enim infinita exornat animam virtus pulchritudine: ita deturpat infinitè vitium. Igitur qui virtutem in parte, non omnino vult amplecti, turpitudine oblectatur, infinitumq́; contemnit bonũ. Quod & meliùs perſpicies verum eſſe, ſi grauitatem metiris, & multitudinem tuorum erratuum: quibus propellêris nedum nolle offenſiones ingeminare aduerſus tantum, & perbenignum adeò patrem; ſed & pijs operibus anteactas redimere culpas. Ego ſanè neſcio vbi poteris contractę ſatis eſſe diſſoluendæ rationi, abſq; eo quòd velis ſummã adaugere: cùm grauioribus ceſſare à peccatis, non te perfectè iuſtum faciat: gloriariq́; quòd graue non committas ſcelus, id verò modici non eſt delicti. Et ſi quidem omnino nõ ſufficis diſſoluendis anteactis,

ſaltem

ſaltem ne dicas, tot nolle bona peragere: ita enim rationi increſces reddendæ, Deoq́; eris ingratus.

Eouſq; non poſſet homo deuenire amentiæ, ſi memoriam præteritorum cõſeruaret Patrum: quorum nullus vnquam modica erat contentus perfectione: quin immò maiori ſemper ſuccendebantur ſanctitatis deſiderio: probè ſcientes, non progredi, eſſe retrogredi. Aliàs enim gratiam non conſequuti eſſent Spirituſſancti, in eaq; non fuiſſent cõfirmati; cùm talis cõfirmatio nõ tã ſit in ea ſtabiliri, quam poſsidemus, gratia, quàm oblectari vt in melius ſemper proficiamus. Magni exemplo Antonij, qui varia contuens in varijs chariſmata Monachis, ſatagebat ſolus ipſe omnes illas poſsidere virtutes, quæ multis erant diſperſæ; ſancta quadam permotus, quæ in nobis eſſe deberet, æmulatione ſeu inuidia.

Inſuper ſi attendis varia Diaboli, mundi, & carnis tentamanta, hanc dimittes opinionem. Si etenim Sancti, qui non niſi erant oculus, ſeu erant longè oculatiſsimi, omni cum eorum diligentia, non ita potuere hos effugere laqueos, vt nonnihil inciderent

ciderent fragilitatis; quantò facilius illaqueabuntur illi, qui cùm ſint imperfecti, multam non curãt perfectionem? Hi profectò indiès minùs proprium aduertent periculum, ruentq; ſemper in peius.

Accedat, quòd Dei incomparabiliter diſtant iudicia à iudicijs hominum. Nos etenim iuxtà externam iudicámus faciem, Deus verò iuxtà veritatẽ. Porrò ſi iuſtus uix ſaluabitur, non video quomodo poſsit cõfidere peccator, & dicere; Hoc modicum eſt peccatum; ſufficit hucuſq; facere, & nõ amplius; quandoquidem ſolus nouerit Deus quid ſatis ſit, cui'ue vnusquisq; teneatur, iuxtà illi concredita talenta. Quod etenim vnius ſufficit ſaluti, alteri non ſufficit; maioraq; exigunt maiorem beneficia profectum; vnde ceſſantes, maiori inuoluimur ingratitudini.

Præ cæteris autẽ hæc mihi videtur quàm efficaciſsima rationibus, nempè quòd non ſciat homo tempus, locum, vel genus mortis ſuæ. Quare cùm tanquam oppidum ſit vndiq; circunſeſſum, mœnibusq; deſtitutũ, nunquamnon debet excubare, hoſtilemq; præſtolari impetum; ne id nobis cõtingat,

quod

quod monet Chriſtus: Quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Neq; verò tutiùs agere poterimus, ignorātes quo nos deprehenſura ſit mors in ſtatu, quàm vt nū-quam nos arbitremur tutos; immò omnē ſemper horreamus culpam, omniumq; sū-mum amplectamur virtutum.

Alia & fundatur ratio in noſtræ agnitione imperfectionis. Vt enim ait propheta: Vniuerſæ iuſtitię noſtræ, quaſi pannus mē-ſtruatæ (diuinæ nimirùm collatę puritati, gratiaq; ſecluſa) Quare adniti debemus, vt ſaltem ſint, quàm fieri poteſt, minus abomi nabiles. Planè ſi verè ſanctus agnoſcit eius in operibus nonnihil imperfectionis, quî præfidat ille, qui nedum ſubtiliter non conatur ſuum agnoſcere erratum, ſed & vult illi patrocinari, & alleuiare?

Sunt & Dei adeò arcana & horribilia iudicia, vt ſtultus ſit qui confidat: quando ruere conſpiciuntur illi nonnunquam, qui firmamenti videbantur ſydera, in cæloq; ſuum locaſſe nidum. Quis iam in animum induxiſſet, illum ab omnibus exiſtimàtum ſanctum, Heronem; qui omnes antecedebat ſobrietate, & uix pane & aqua raró re-

ficiebatur, neq; vel ipſo ſanctiſsimi Paſchatis die volebat eius remittere rigorem abſtinentiæ; cùm ſuper omnes eſſet peruigilantiſsimus, in veſtitu abiectiſsimus, orationi feruentiſsimus, ſilentio addictiſsimus; poſt tot exantlatos labores illuſum iri à Satana, vt in puteum ſe demergeret? Hoc porrò non, niſi quòd nõnihil proprio præſideret ſenſui, non facileq; alieno acqeſceret iuditio. Ita modicus, ſi negligatur, defectus magni eſt cauſę exitij: vti de Iacob legimus filia, quæ modica ex curioſitate, nedum fuit violata, ſed & inde factum eſt, vt tota illa terra igni deuaſtaretur & ferro.

Multæ alię huc poſſent adduci rationes: ſed vt prolixitatem vitemus, hic claudo. Si nempe virtutis amor, ſi peccati fœditas, ſi præmij nos non permouet celſitudo; ſaltẽ gehennæ moueat grauitas cruciatuũ: vbi dirisſimè punitur anima, etiam ob illa, quæ nos leuiora dicimus, peccata: iureq; meritò inſatiabilibus addicitur flammis, quando Dei inſatiabilis eſſe non voluit in famulatu. Quapropter tutum fuerit, quò perennem illam fugiamus miſeriam, nunquam nõ increſcamus in feruore noſipſos deuincendi,

cendi, omnem priuatam frangendi voluntatem, omnem hilariter ferendi calamitatem & infortunium, omnem amplectendi hominem, qui nos offenderit, omnibus cõmiſerendi fratris imperfectionibus, demũ q; vt ardentiſsimi ſimus ad ea omnia amplectẽda, quæcũq; Deo ſcimus placita eſſe.

Contra eos qui mero operãtur ex timore: deq; gemino peccantium genere, cum vtriuſq; curatione: quantum'ue proſit bonum & ſincerum propoſitum indiès renouatum. c. III.

QVI vult animę ſuę maculas perſpicuè cõtueri, primùm ſuam introſpiciat cõſciẽtiam, videatq; num puro ad bene agendũ moueatur timore. Multi enim ſunt qui à peccato ſe cohibent, bonaq; faciunt opera; nihilominus ita infernum accedentes, acſi nihil boni egiſſent.

Quorum ſunt è numero, qui peccatum derelinquiunt, ne aliquod Deus illis ĩmittat infortunium in perſona, re, vel familia: & etiam ne gehennam incidant. Hacq; de

cauſa nedum mala dimittunt, ſed & templis accurrunt, & ſtationibus, ſeu Indulgentijs capiendis, multasq; elargiuntur eleemoſynas. Haudquaquam tamem Deo poſſunt eſſe grati; cùm malo mero ſuperſedeant ex timore: eãdemq; aſſeruent voluntatem: quam operi mandarent, ni adeſſet pęna. Iure itaq; meritò puniuntur, cùm voluntatẽ gerant corruptã: dicunt enim tales: Quare hoc Deus prohibuit? nollem hoc eſſe peccatnm. Quare oſtendunt eundem ſibi ineſſe affectum: qui tametſi externè non operetur, operatur tamen intus prauis cõcupiſcentijs: vti in Euangelio habetur: De corde exeũt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, blaſphæmiæ &c.

Ita dico, bona agere ex timore, non eſt bene agere: quoniam ceſſante timore, ceſſaret & actio bona: vt magis vmbra dicenda ſit virtutis, quàm vera virtus, ideoq; præmium non mereatur.

Haudquaquã tamen credẽdum, timorẽ malum eſſe: immò bonus eſt, ſi eò adhibeatur, quò illum Deus inſtituit; nempe cùm ſit vice frœni & flagelli, inditus eſt, vt nedũ malo cohibeat externo, ſed & interno; pra-

uis

nis nempe cogitationibus,inconſultis iudicationibus,alijsq; ſimilibus vitijs. Ita & inſtitutus eſt, nedum vt bono inducat externè agendo, ſed & internè; puritati quippe cordis: ita vt paulatim ſenſimq; timor conuertatur in amorem, imperfectusq; minimè permaneat.

Qui enorme quodpiam commiſit ſcelus,vel fuit proximo admodum offendiculo, cogitare debet, minimè ſe facturum ſatis, frigidè agendo: immò ius exigit,vti publicè deliquit, ita palàm ſuæ faciat fidē conuerſionis. Veluti,vt omnes ſimul abijciat vanitates; hancque ferat verecundiam: vel veniam eos precetur, à quibus fuit læſus. Magna ſiquidē plaga leui non ſanatur medicina. Cogitare etiam debet,num talibus ex erratis quicquam hauſerit lucri: vti potuiſſet: vtiq; faciunt electi,qui è peccatis & lapſibus fiunt cautiores: ampliusq; demittuntur: occaſionesq; ſubmouent, & fiunt feruentiores,vt amiſſa inſtaurent. Qui etenim quicquam non retulere fructus è peccato, peccant ex habitu: conualeſcereque poſſe deſperant: diffiduntq; veniam ſe impetraturos: ideoq; maiori opus eſt illis vi

adniti. Violenti ſiquidem regnum arripiũt cœlorum.

Rurſum qui grauia non incidere peccata, diſcutiant ſe oportet, num è formula ſe habeant, & tepidè; rideantq; illos qui Crucem cõſectantur: vti moris eſt tepidorũ. Hi enim homines, vbi quenquam videre ſiniſtrè agentem, perſuadere ſibi nõ poſſunt illum ritè pænitere: alios enim ex ſeipſis fingunt, qualesq; ſunt ipſi, eſſe dijudicãt: ita vt periculoſo admodum agant in ſtatu, confidentes quòd craſſa non admiſerint ſcelera, eſſe ſe perfectos. Neq; etenim vidẽt hoc nequaquam ſufficere, immò oportere vt grãdia agamus bona, nedum externè, ſed & internè: profundam quippe induamur humilitatem; quæ deponi facit incõſultum omne iudicium: perfectam in omni, quæ occurrere poſsint, tribulationum genere patientiam, nullo vnquam queritando de homine: perfectamq; omnis malæ propenſionis mortificationem: cum proprij amore contemptus, noſtriq; ipſorũ odio. Hac ſanè ratione contemplari ſe poterunt, num mortiferum egredi velint teporem.

Si diu te Deus expectauit; cogitare debes

bes quid inde retuleris compendij, indoleſcereq́; nondum te noſſe mentalis quid ſit oratio, quod'ue interni regimen hominis. Vbi planè opus habebis conſolationibus: quando, propria ex negligentia, animã obliuioni tradidiſti tuam. O quanti inueniũtur, quibus propenſior eſt animalium cura, quàm ſuimetipſorum: quanti affectum addixere ſuum cellulæ, ſimilibusq́; nihili rebus, ac friuolis: animam verò obliuiſcũtur, Dei, factam imagini? Recogita igitur qui operam nauaueris arti addiſcendæ ſpiritali, numq́; bonum ſedulò quęſieris magiſtrũ; vti faceres curandę corporis valetudini; qui ſuauiter ſanitati te adducat. Quod ſi minùs feciſti, nunc adnitere incipias: præteritamq́; à te ſubmoue nègligentiam ſacris lectionibus, piorumq́; cõſuetudine hominũ.

Sæpe etiam oportet bona & ſancta iterès propoſita, ſi augeſcere in via Domini deſideras. Cùm etenim durũ adeò & arduũ ſit ſeipſum vincere, ſenſuiq́; reluctari, & ſupra naturam agere; neceſſe eſt continuæ ſtimulis nos vrgeamus deliberationis, quò poſsimus iter accelerare. Si quis enim hodie gradum, & poſt nonnullos dies aliũ mo-

ueret gradum, domum nunquam pertingeret: ſiq; multis homo laboribus vix poteſt pecuniam corrogare, quî veræ ſine labore conquirentur virtutes? Immò non modici fuerit muneris, poſt multos poſsideri ſi poterunt ſudores: ſiq: ſæpius proponendo vix obtinetur correctio, quî tanta obtinebitur in deſidia?

Sæpe, & ex fundo cordis proponere, initium eſt ſalutis noſtræ. Poterit quidẽ ſanctas ſuas tibi immittere Deus inſpirationes: poterunt te hortari & Confeſſarij, & Cõcionatores: nihil tamen conferent, niſi tu quod in te eſt, feceris: hoc autem ſitum eſt in bona piaq; propoſitione. Cogita igitur quoties in die proponas iram vincere, frænare linguam, praùas vitare conſuetudines: cumq; experientia didiceris, te ſæpe non ſtatuentem quodpiam ſubigere vitiũ, faciliùs illi ſuperari; ſæpe verò id decernẽtem, non vſqueadeò illius obnoxiũ eſſe dominatui; tuæ ſunt partes id frequenter exercere, quod tibi magis cognoſcis in rem eſſe.

Docemur

Docemur extirpare diſtractionem, otium, laxamenta; & mentis poſsidere ſtabilitatem: fugereq́; periculum alios regẽdi, operaq́; faciendi pia ſub ſpecie boni: omnemq́; ſuppeditare immodicam curioſitatem. C. IIII.

VBI victor fueris grauium criminum, & teporis; teipſum diſcute, num dereliqueris peccatorum cauſas: è quibus vna eſt potentior, minusq́; agnita, animi diuiſio: quæ hoc deprehenditur argumento. Inducit enim delectationem dicendis, audiẽdisque inanibus: puta de bellis, de alienis negotijs, fabulationibus, cæterisq́; id genus argumentis: è quibus nihil hauritur cũ nobis, tum alijs fructus: ſed (vt dicitur) tranſigendi gratia temporis; acſi ægrè tempus tranſiret: ita noſtro quoquã volueretur cum fructu. Dico igitur huiuſcemodi abſcindenda eſſe colloquia; quòd auferant mentem: orationisq́; tẽpore ſe offerunt illi huiuſmodi imagines: ita vt circunducat eã Diabolus, prout illi viſũ eſt. Si igitur tuam in manibus incipere vis habere mentẽ, non

tot

tot eam impleas diſtractionibus: vnde proficiſcuntur contentiones, & iræ, & ſæpe etiã mala multa. Stude igitur abſcindere, omnis quæ eſt radix mali, diuiſionem.

Perpauci ſunt qui ſe arbitrentur otioſos: immò dicunt ſe eſſe diſtrictos. Neq; verò vident abſumi tempus multifariàm. Si etenim inutilibus inſumatur occupationibus, vel noxijs; ita erit abſumptum, acſi minimè fuiſſemus diſtricti, & fortaſſe peiùs: vti cùm tempus atteritur choreis & cantillationibus. Et licet pura hoc fieri poſsit Deum laudandi intentione, diſcutias tamen oportet teipſum, neq; vero te fallas, quo mouearis ſine huiuſcemodi exercitijs. Præter enim temporis contritionem, talibus ſæpe in recreamẽtis magna delitéſcunt pericula.

Non video quî ſe poſsint hinc tueri, qui ſubtilibus admodũ vacant laborandis operibus, panniculis nempè, & ſimilibus variandis ſeu acupingendis, quæ multi ſunt & tẽporis, & pretij: ſignaculis faciendis, corolliſq; diuerſicoloribus: alijſq; inanibus & ſuperuacaneis huiuſcemodi ornamentis: vnde nutriuntur inanium amicitiæ hominũ. O quàm præſtiterit Chriſto occupari Crucifixo.

cifixo. Vti enim in ipſo verũ reperitur virtutis exercitiũ: ita in huiuſmodi rebus multæ deliteſcunt fraudes: cùm nõ poſsint vanitas & ſanctitas eâdem morari in ſede.

Vide etiam num immoderatam omnem à te abſcideris recreationem: vti ſunt ludi, voluptates, & ſcurrilitates. Tametſi enim nonnihil aliquando permittatur à Sanctis ſolacij, attamen parca accipienda ſunt manu, ne animam læderent. Scitoq; talia nõ permitti ob eam, quam afferunt delectationem; ſed roborandi tantùm gratia ſpiritus. Quare omne, quod huc non prouehat, ſolatium, dici poteſt noxium, in nobisq; diſtractionem gignere & multiplicitatem: vnde difficiliùs poſtea ſibijpſi homo ſe recipit, introuerliturq;; ita vt pſtiterit inde carere. Et ſi quidẽ indiges, agnoſce ſaltem hoc tua fieri imperfectione; cùm perfectus omnem aliam, præterquàm in Deo ſolo, ſpernat delectationem.

Idem dico de ſocietate, quæ multorum eſt cauſa peccatorum. Quis tanta pollet ſanctitate, qui ſocietatis gratia, ſæpe veritatem non reticeat, alijsq; ſe coaptet, ne videatur ſingularis? à profectuq; nõ retardetur?

detur? Ita cum omnibus inire oportuerit amicitiam, vt quæ in rem ſibi ſint dici poſſint, & proximo; itaq; amant amicorum præſentiam, vt illi vale dici poſsit, quotieſcunq; viſum fuerit expedire.

Sunt nonnulli adeò ſolitudinis amatores, vt cùm cætui intereſſe oportuerit, maneant confuſi, mæroreq; pleni; mentemq; gerant irrequietam: qui ſunt imperfecti; neq; id vident. Vera enim charitas & ſola ſcit degere, & ſociata; & vtrīq; lucrum referre. Verum quidem eſt, nos quò ad deſiderium debere ſolos eſſe: ſed vbi opus ſit hominibus cōuerſari, adnitamur nobisipſis colligi, fundoq; immanere: cumq; non poſſimus è ſermone fructum haurire, mentē intendere debemus Crucifixo, ibiq; commorari.

Si verò ad hunc perueniſti perfectionis gradum, vt affectu omne à te abdicaueris ſolatium; tunc diſpice, num videndis, audiendis'ue lætis & curioſis, vel inſueta quapiam nouitate, permoueris, internamq; amittis vnitionem. Indiciū eſt enim mentis male affectæ; tametſi iſta illi diſpliceant. Vide etiam num quicquam audiendo proſperi

ſperi vel aduerſi conſanguineorum, amicorum, ſpiritalium'ue ductorum, manes immobilis, tàm à dextris, quàm à ſiniſtris; ita vt ferri te minimè ſinas gaudio, vel mærore.

Ita ſi quicquam tibi contingit audire, vel videre turpis, ſeu laſciui; perpende nũ mens fundus'ue tuus conturbetur; corporis'ue aliqua pars inſurgens facilè moueatur: hoc enim citra imperfectionem fieri minimè poteſt. Nouerisq; Deum huiuſmodi permittere ſeruis ſuis, cum vt agnoſcant quò peruenerint gradus: tum etiam vt occaſionẽ habeant pro huiuſcemodi oran di hominibus; neq; verò quoſdam imitentur, qui aliorum videntes imperfectiones, mala illis imprecantur ad ruendumq; ſunt auxilio.

Cogita etiam num facilè mens tua pijs immoretur meditationibus: nũq; illis adeò immergatur, vt amoueri non poſsit. Anima ſiquidem imbecilla ægrè eas ingreditur, facileq; egreditur. Quare noxias à ſe propellere non valens imagines, ſæpe ab illis circunſidetur dormiens, & vigilans: indiciumq; eſt, non illam ritè ab anteactis pur-

gatam

gatam affectionibus. Conare igitur mentẽ tuam ſanctis ſemper diſtinere cogitationibus: ita enim noxiæ locum nõ habebunt.

Sæpe fit vt mens diſcrucietur, vbi deſideranter nonnihil expectat nuntij moram facientis: animiq́; angitur num adueniat: immodiceq́; timet, prout & immodicè cupit. Qua in re multum amittitur temporis, diſcruciamurq́; ſine fructu: cùm nihil proſit huiuſmodi importuna ſolicitudo; neq; etenim facere poterit, vt aliàs, ſeſe res habeat. Tuum eſt ritè conſtituere, & diſponere: Deo dein totum committere. Quare hic vide quî te habeas.

Sæpe tranſcendit homo fines Diſcretionis, volens quicquid imperitat, dicto citiùs executioni demandari: neq; cõſiderat, nũ, cui iniungit, tanti ſit captus, & virtutis: cumq́; non ſit talis, quorſum conturbari, illiq́; fieri ſimilẽ? Præſtiterit ſanè ſufferre, alienoq́; ſupplere defectui. Et demus eum capacem; meliùs obſequetur, bonis verbis, quàm aſperis. Et tamen nonnunquam aſpera verba, immò & verbera cum moderatione, ſunt neceſſaria: conturbatio autẽ nunquamnon eſt mala. Ira ſiquidem chari-

tati

tati aduerſatẽ, importunitasq; Diſcretioni.

Sunt quidam cum extraneis manſueti, cum domeſticis verò rabidi. Porrò æquum foret cum omnibus manſuetudinem obſeruare: duobusq; è malis præſtiterit, cũ alienis iraſci, quàm cũ domeſticis: ita etenim ex cõuerſatione adaugetur. Expedierit itaque vt non ſẽper alios expectaremus nobis famulantes: conſultiusq; fuerit, ſi ex humilitate his famuleris, qui infra te ſunt: vti D. fecit Martinus, & alij complures.

Sæpe diuiſam diſtinet Diabolus mentem ſub ſpecie boni, tales inſuſurrans cogitationes. Si forem locuples, multas elargirer eleemoſynas; hoſpitalia erigerẽ: non verò illum imitarer auarum; ſicq; nedum tempus atterit, ſed & proximum dijudicat ſuũ: ſeq; ipſum exaltat. Ego vellem, ô qui es talis, diſpiceres num quicquam poſsideas ipſiſsimã præter neceſsitatẽ, eoq; oblecteris priuari. Si enim te inuenis in modico tenacem, ſcito in multo fore vel tenaciſsimum. Ne te igitur velis fallere ipſum.

Nonnulli ſibi augurantur, ô ſi eſſent iudices, & Prælati; pollicentur ſibi meliùs habituram longè Chriſti Eccleſiam: itaq; ſe

implicant,

ſmplicant, vt toti vellent leges mundo præ ſcribere: ſæpeq́; murmurant de Superioribus. Qui ſanè ſi tales credam velint eos eſſe, quales ſe fingunt, vellem priuatam priùs bene rexiſſent familiam: oſtenderentq́;, nũquenquam illis ſubditorum ſanctitati prouexerint: numq́; rigidè ita ſe habeant propria in vitia, prout in aliena: cumq́; tales minimè ſint, norint gubernaculum peiùs in eorum manibus habiturum: quin immò ſe magis grauant ipſos, ſententiã ferentes contra peccatores, cùm ſint illis ſimiles: quandoquidem illius duntaxat ritè ſit iudicare & condemnare alios, qui caueat ipſe à peccato: vti in eos dixit Chriſtus, qui deprehenſam in adulterio volebant lapidibus obruere.

Difficile eſt admodum frænare ſenſus, ne ſe ſinant ferri curioſitate. Ideò examina teipſum, quî hic habeas. Qui enim eſt perfectus, vel paſſum non moueret, viſendæ pulchræ ciuitatis gratia, vel Eccleſiæ. Maioriq́; opus eſt curæ internis ſenſibus: multi enim externas ſpernunt pulchritudines; intellectilium autẽ ſunt quammaximè auidi. Verbi gratia; vt terſum & elegantem

audiant

audiãt ſermonem: punctaq; intelligãt ſubtilia: è quib' nihil anima recipit ædificationis. Pernitioſa porrò eſt adeò hæc curioſitas, vt etiam in ſpiritalibus attemperari debeat rebus. Vti videre eſt in nonnullis, qui propria derelinquentes negotia, diſcurrunt alicuius videndi gratia ſancti, ſanctæ'ue: quos vbi viderunt, nihil hauriunt fructus; niſi quòd obſtupeſcentes admirantur, quî poſsit adeò ille ieiunare, orare, ærumnas perpeti. Qua in re præſtiterit talia non vidiſſe, quàm opere aſſequi non adniti. Tibi igitur attende ipſi: iuuetq; delectabilia dimittere; cõſectari verò quæ ſunt fructuoſa.

Doceris examinare teipſum, num ſis capitoſus, plenus'ue tædij irrationalis: anq; mortuæ in te ſint paſſiones, vel dormiant: naturaliſq; tuijpſius, vel affinium amor, aut mundani reſpectus te remorentur à profectu: omnemq; proximi defectum aptus ſis patienter ferre, & commiſeranter. C. V.

NONNVLLI ſunt capitoſi, pleniq; ſpiritu

ritu contentionis, & contradictionis; qui omni in collocutione, rerum etiam indifferentium, vel bonarum, habent vnde contendant. Mouentur hi porrò ſuperbia; ne cæteris videantur inferiores; etſi cauſentur id ſe facere indagandæ meliùs veritatis gratia. Quod prudentiæ quidem foret, ſi ita ſe haberet. Ego autem de illis loquor, qui aliorum nihilipendunt ſenſum, propriãq; magnificant opinationẽ. Demus enim tales rectè ſentire, cæterosq; allucinari omnes: quorſum contendere, vbi quis nõ eſt, vel eſſe non vult capax? Melius itaque eſt cedere, quàm litigare. Qua nonnulli vſqueadeò abſunt à prudentia, vt occaſionem quærant litigandi, idque ſciſcitentur, quod optimè norunt alios non ſcire; quò illos derideant: doctos ſi verò interrogent, prõpti ſunt & parati ad contradicendum, vbi eorum non fiat ſatis ſententiæ. Proinde ſi vis proficere, alijs conquieſce; abſcindeq; ſuperuacaneum omne verbum: & ſi quidẽ ſtas à veritate, tali vtere modeſtia; vt, citra veri præiudicium, non fias tibijpſi ex contentione pernitioſus.

Contemplare etiam num tædio obno-

xius ſis irrationali; quæ eſt triſtitia hominē inuadens: & neſcit vnde, ſeu qua de cauſa: omneq́ue opus tædio conuertit: ita vt fiat inquietus, ſibiq́; ipſi intolerabilis. Hoc autem vbi fit ex humoribus in corpore agitantibus, medica opus eſt curari arte. Verùm vbi ex praua fit ſæpe iraſcendi conſuetudine, iram frænare oportet, manſuetumq́; eſſe: neque quoſdam imitari, qui concepto non conquieſcunt à furore, donec rabida euomuerint illum per verba: volentesq́ue iræ ignem extinguere, ligna ſuperaddunt camino: & licèt parumper videatur conticeſcere, iamiam maiorem erumpunt in flā-mam.

Arbitrantur nonnulli, ſanctorum vitam non niſi triſtitiam eſſe: quod adeò à vero diſtat, vt prorſus ſit econtrà. Quandoquidem vera non inueniatur, niſi in ſanctis lætitia: & licet ſuſpenſi maneant internæ virtute vnitionis, triſtitiam tamen horrent & fugiunt, præ omni alia paſsione. Ita & tu debes facere, ſciens tædio correptum nunquam non eſſe inſtabilem: quo'ue magis varios inquirit quietis modos, eo minus eam offendit.

Sæpe contingit paſsiones in anima minimè eſſe reſtinctas; immò obdormiſcere. Ideò hic qualis ſis vide; & an ita gulā ſuppeditaueris, vt ſola ad comedendum te inducat neceſsitas: caroq; ita ſit emortua, vt ferè non ſentiat moleſtiam abſente, præſente'ue quopiam: iraq; adeò ſis immunis, vt neq; verbis, neq; factis perturberis; ſed iugi perſiſtas in tranquillitate. Vbi ſanè aduigilare oportet; perpendereq; num increſcant paſsiones iſtæ, vel decreſcant, vel eodem maneant (ſi modò id fieri poteſt) in gradu: ſtudeasq; ſemper radicitus prorſus eas extinguere. Sæpe enim tibi videris gula non moleſtari, quoniam nihil adeſt, quod palato adlubeſcat. Ita tibi videberis eſſe æquanimis, cùm tuæ omnia obſequātur voluntati: caſtumque te arbitraberis, cùm ex imbecillitate, inualetudineq; attrita viribus ſit natura: vbi magis dormiſcere dici poſſunt paſsiones: data enim occaſione reſurgunt, quàm anteà, validiores: cùm exactè non poſsint ſuperari, niſi pio & violēto orationis exercitio & obedientiæ.

Illud quidem fateor, multas eſſe naturales paſsiones, quæ radicitus ita non poſſunt

abſcindi,

abſcindi, quin primi maneant motus. Sed meminiſſe debes, vitiatam eſſe naturã; opusq; illi eſſe vt ratione moderetur. Et verum planè ſi vis fateri, nedum primos incidis motus; ſed & ſecundos, & quartos, & decimos: quos tu, tua ex hebetudine, dicis primos. Ego verò dico; tua ſi vtaris induſtria, Dei ſuffragante auxilio, poſſes & primorum victor euadere motuum; vt nempe rariùs adueniant, & minùs violenter: quin immo nõ nulli (licet non omnibus detur) penitus eos peſſum dederunt, prorſus ſubiugantes gratia naturã: vti de D. legere eſt Bernardo.

Circa verecundiæ paſsionem; inſitã dico nobis eſſe à Deo, quò à malefactis nos retrahat. Verùm niſi temperetur, magnum aduehit animæ impedimentum. Vti videmus erubeſcere multos piorum conſuetudinem hominum, pauperumq́; , mundanos ob reſpectus; eoq́; fraudari, quem retuliſſent, fructu. Multi, ne dicantur hypocritę, renuunt palàm bene agere; dictitantes, bene agendum clanculùm. Sed ſi ritè oculos velint adaperire, neq; clanculùm bene agũt, neq; palàm. Contra hos Chriſtus: Qui me erubuerit coràm hominib⁹, hũc & ego erube

ſcam corãm patre meo, qui in cœlis eſt, & ſanctis Angelis eius. Inualeſcit porrò vſqueadeò in multis vis hæc hominibus, vt magis confundantur manifeſto è barbariſmo, quàm è mendacio, vel graui quopiã crimine occulto: nonnulliq; ideo peccata ſacerdoti confeſſuri, obruuntur, confunduntur q; neſcio quo pacto, vt id effari neſciant, quod volentes admiſerunt. Quare hic etiã diſpice quî habeas.

Eſt & aliud in nobis rete tenax nimis, qui dicitur amor naturalis: primùm nobisipſis; quo propriam tenerè nimis adamamus commoditatem; paupertatemq; horreſcimus, & mortem, & huiuſmodi infortunia. Quo adeò nonnunquam excruciatur timore anima, vt tantum vel in ipſis infortunijs non ſentiret cruciatum. Dehinc eodẽ mouetur affectu ad affines, & amicos; præſertim vbi nonnihil incidêre calamitatis.

Iſte amor non eſt (vt arbitrantur nonnulli) charitatis actus: immò charitatis eſt expers: ſæpeq;, ni moderetur, charitati pugnat: meritiq; minimè eſt particeps. Vti in brutis videmus animantibus, morti pro ſuis ſe obijcientibus catulis; & in Ethnicis,

in quibus regnat amor iſte, ſine merito. Hinc autem deprehendes num in te viuat hæc paſsio; ſi fers in his, quos amas, quicquam vitij; parcis'ue cuipiam bono operi, hac ratione. Proinde vbi moderatus erit hic amor, iam non hoc pariet cruciamentum, amaritudinem'ue. Hic ſcrutare teipſum; num quicquam amas, quòd natura ſis amori pronus; vel puro ex Dei honore: ſummoq; ſemper aſpiras charitatis gradui.

Si aliquandiu cæteros rexiſti, poſtea alienæ ſubderis præfecturæ; ritè perpende quî huic te coaptas rei, citra pęnam. Raro ſiquidem fit, vt huiuſmodi non ſibi vſurpet quicquam authoritatis, & licentiæ, præ cæteris. Vbi ſanè diuinum agnoſcere deberes beneficium: qui tibi dat, vnde poſsis totus tibijpſi colligi, præter omnem diuiſionem. Non quidem dico, regimini te debere renũtiare, omniaq; ſinere in peius ruere; ſed dico, æquè feras, ſi clauus tibi non ampliùs committitur. Paulò etenim maiore, paulò minore pecunia nõ præpediere, quò minus tuos ad extremum perduças dies.

Quid aũt de illis dicem', qui cùm magna dereliquerint, nõnihil ſibi aſſeruauere idôli

pecuniolæ,peculij'ue,metu (vt aiunt) eius quod poſſet cõtingere. Mererentur profectò id illis contingeret,quod verentur. Aſfectum hi gerũt ſuum gladiolo, ſimilibusq; reculis; quibus ſi priuarẽtur,proderẽt quidem eorum impatiẽtiam. Et quãdo viliſsima pendunt,acſi forẽt pretioſiſsima; nunquã proficiẽt: cùm apud Deũ æquè ſit paruis obligari, atq; magnis rebus: niſi quòd in illis meliùs perſpicitur animi ignobilitas noſtri.

Dehinc te examines volo,quî proximũ feras, quò ad naturæ defectus: veluti ſenẽ immundum, defectuũ plenum,obliuiosũ. Vbi fratrem nõ debes tuum contriſtare; ſciẽs niſi in iuuẽtute moriaris, & te eò, quò ipſe,redactum iri. Ita ſi & ſenſu deficit,ſeu delirat, tenêris illi compati, & nõ mærore afficere.

Si dices; hos ferrẽ defectus; at quę sũt voluntaria,nõ poſſum pati,vitia: veluti inebriari,murmurare,cõtumelijs afficere, & id genus. Ego verò tibi reſpõdeo: & his oportere te cõmiſereri; q̃rẽdo & verbis, & operibus eorũ ſalutẽ; nanciſcẽdo tempus correptioni opportunũ. Ebrius enim, vel ira

percitus

percitus non ſunt corrigẽdi, donec durant eiuſmodi cõmotiones. Scito autem te nõ poſſe proximi cuipiã mederi vitio, niſi priùs à te illud euulſeris. Si etenim ira velis iracundum ſanare; illum referes, qui volebat ignem oleo reſtinguere.

Satis adhuc mihi nõ fit; ſed & abundãtiorem in te deſidero perfectionẽ: vt nimirùm nedum his commiſereare hominibus; ſed & illorum proſpicias neceſsitatibus, & corporis, & animæ, omni cum diligentia. Neq; hoc tãtùm: ſed etſi tu ius foueas; volo, Crucifixi amore, omnẽ illis cõcedas iuſtitiam; recolẽs dixiſſe illum: Qui te percuſſerit in vnã maxillam, præbe illi & alteram. Et alibi: Si offers munus tuũ ad altare; & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersũ te; relinque ibi munus tuum ãte altare, & vade, priùs reconciliare fratri tuo: & tunc veniens offer munus tuum. Quod nedum intelligendũ eſt perfectioribus, vbi ipſi fratrẽ læſerint: ſed & ſi ipſe eos læſerit. Porrò ſi ſcires quanti ſit hoc meriti, faceres id quamlubẽtiſsimè. Quãtũ enim in te eſt, animã lucraris, Chriſti redemptam ſanguine. Et quidẽ certè ſi re-

cogitas Chriſtũ humiliter ſe proſtrauiſſe ad immundos venenati pedes Iudę, abluendo, & deoſculando illos; iam non tibi hoc videbitur durum, quod dico. Si autem huic nõ es idoneus faciendo, tuam ſaltem agnoſce imperfectionem.

Docemur omnẽ Dei amore ferre tribulationem; abſcindereq; à nobis ipſis nedum inconſulta iudicia, ſed & omnẽ mali ſuſpicionem: ne've ſimus puſillanimes ob vitioſas propenſiones; varios've quæritemus viæ ſpiritalis ductores. Summa; omnem à nobis expellere pænalem timorẽ; qui è penuria naſcitur charitatis. C. VI.

VBI in prædictis te ritè fueris contemplatus, vide num aliquo cõtriſteris euentu. Donec enim fundo perſentis nõnihil pænæ, à ratione iniuſſæ; nondum es in charitate perfectus. Omnem enim charitas perfecta foras pellit timorem: cumq; ſit omnium longè rerum efficaciſsima; reddit hominẽ, tametſi mortalem & paſsibilem, quò ad inferiorem

ſeriorem portionem ; impaſsibilem tamen quò ad ſuperiorem . Hoc igitur adnitere peruenire ad faſtigium : recordareq; huiuſmodi non concedi munera negligentibus , & animo puſillis ; ſed certè magnanimis & generoſis .

Immoderata hæc afflictio , præterquàm quòd eſt plena ſtultitiæ (non etenim ideò fieri poteſt , vt quod euenit , non euenerit ; ſeu factum fieri infectum : ita vt non aliud ſit , quàm externæ calamitati & cruciatum addere interiorem) fit etiã à modica fide , & ſpe in Deum . Qui etenim eius recogitaret beneficia ; vtiq; meliùs nobis proſpiciat, quàm petere nouerimus ; vtiq; nobile vſqueadeò nobis dederit eſſe , vel ignorantibus ; omnẽ eius æquè lætanterq; acciperet voluntatem ; neq; vnquã ab eo ſe vereretur deſertum iri . Si etenim nos noſtris proſpicimus filijs ; cùm ſimus mali : multò magis ipſe dabit ſpiritum bonum petentibus ſe . Quare hæc anxietas nedum inopiam oſtendit charitatis ; ſed & fidei ſimul & ſpei .

Si diceres ; nunquam in me hanc ſum expertus Dei prouidentiam, vt indigentiæ tẽpore panem mihi tranſmittat , mea'ue diſſoluat

ſoluat debita ; reſpondeo; neq; adhuc vidiſti, quòd te diſcruciando, tuæ proſpicias neceſsitati: ſed quidem ex animi doloribus minus factus es habilis, qui prouideas. Ego autem vidi mirabilem ſuper his, qui Deo gratias agunt, prouidentiam. Ipſi etenim & eſt illorum cura: commiſerenturq; illis homines, libenterq; opem ferunt; deſerunt verò murmurantes, & incredulos: &, vt ait Propheta: Iunior fui: etenim ſenui; & non uidi iuſtum derelictum; nec ſemen eius quærens panem.

Si dices; nō priuato mæreo, ſed publico malo; Prælatos nempè videns nedum negligentes, ſed & malos; plenas hypocriſis religiones, & teporis; proſperè indiès magis habentes res infidelium; & id genus cætera. Ego tibi dico: ſi illa præditus eſſes charitate, quæ non, quæ ſua ſunt, quærit; ſed quæ Dei: ita his triſtareris rebus, vt & eſſes ſine triſtitia, ſeu animi perturbatione: qualis eſt ipſe Deus; cui nimirùm plus, quàm tibi, diſplicet culpa, eamq; inſectatur: ſed tamē minimè perturbatur, à ſua'ue diſcedit felicitate. Si igitur ipſe, cùm poſsit, & norit ſolus remedium afferre; permittit

& patitur tot errata: partiũ tuarum foret, illius conformari nutui, idq́; velle, quod vult ipſe. Vti faciunt ſancti; qui malum odiunt: quoniam Deo diſplicet: neq; tamẽ ideò inquietes fiunt; immò lætantur; ſcientes id Deum permittere ad eius gloriam; poſtremoq́; ita in malo glorificatũ iri, atque in bono: prout eſt pater miſericordiarum, & Deus iuſtitiæ & vltionum.

Vide etiam vti temerario implicitus ſis iudicio: prout hodie multos eſt reperire iudices, cùm tamen pauci authoritate ſint præditi iudicandi. Volunt ſiquidẽ rationẽ eorũ diſquirere, quæ ad eos minimè pertinent: omniaq́; in deterius interpretantur. Summa, adeò fiunt cæci, vt indemnatum omittentes propatulum eorum delictum, aliena damnent occulta crimina: nõ videntes, id ſibi eos temerè vſurpare, quod ſoli Deo conuenit: præterq; temporis contritionem, ſæpe innocentes diffamant: neq; illis cura eſt eorũ ſarcire iacturam nominis.

Hi deguſtare incipiunt in hac vita gehẽnam; cùm diſcrucientur continuè, omniq́; careant interno guſtu, facilesq́; ſint ad credendum malum, duriſsimiq; ad credendũ

bonum

bonum; ita vt inceſſantē patiantur cōſcientię morſum. Sancti verò cōtrà, omnia boni cōſulentes, in melioremq; accipientes partem, mente ſemper manent imperturbata & tranquilla. Aduerte porrò, illum qui iudicat, eidem obnoxium eſſe culpæ. Ait enim Paulus: In quo iudicas alterum, teipſum condemnas. Et Chriſtus: In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Si igitur eadem afficientur pæna peccator, & qui incōſultè iudicat; conſequitur & in culpa eſſe coæquales. Hoc autem rationi conſonat. Qui enim malum iudicat, nedū cognitionem habet ſpeculatiuam peccati illius, ſed & practicam: ideoq; iudicat iuxtà quòd in ſeipſo offendit: quemadmodum & pictis ſpecillis omnia eius ſe offerunt, quem gerunt, coloris. Et licet virgo poſsit quenquam iudicare de immunditia; attamen temerè ſi iudicet, implicitam eidem ſe inueniet laqueo; ſi non externè, ſaltem internè; cordeq; aſſentiet peccato: ita vt dijudicet iuxtà eius imaginem, quod in anima gerit: vti ſacrum conteſtatur Euangelium: Bonus homo profert de theſauro ſuo bona: & malus mala. Dico igitur: nunquam per

ſectè

ſectè eris caſtus, dum alios cenſes immundos; itidemq; alijs non eris immunis à peccatis, niſi occidas in te temerariam omnem dijudicationem.

Nō tamen hinc tollitur, quin iuxta leges condemnari poſsit reus: ſed ſolùm improbatur, id velle iudicare, quod ſoli Deo cōpetit. Quare pro clariori dico euidentia: iudicare ſuperbiam eſſe malum, non eſt culpabile: ita & nō eſt culpabile, iudicare malum eſſe in me furtum, & in alijs. Qua ex cognitione, vti poſsū fraterna correctione; id in alijs iudicans malum, quod in me pariter foret. Poſſum etiam citra culpam iudicare, illū ridere, vel aliud quicquā, quod conſpicitur, facere: at affirmare nō poſſum mala illū intentione facere. Veluti ſi Abraham peccati conſtanter dijudicaſſem, vbi voluit proprium mactare filium; peccaſſem ego, vbi ipſe merebatur.

Quoniā autem temeraria proficiſcuntur iudicia è ſuſpicionibus; ideò nūc ſuper hoc te diſcutias oportet, ſi perfectionem deſideras. Si igitur huic te implicitum inuenis vitio malum ſuſpicandi; ſcito, te admodū imperfectum. Animæ ſiquidem ſimplici & puræ

puræ nihilquicquam ſe offert mali: ſed omne procul à ſe expellit malũ. Et licet videat colloquentem feminæ virum, nihil ſuſpicatur mali. Haud tamen dico, quibus incũbit cura regendi, non poſſe, aut debere aduigilare, omnesq́; abſcindere occaſiones; malũq; vereri, & addubitare; quò poſsint curam adhibere: ſed quidem dico, ſummæ eſſe ſtultitiæ, malum ſuſpicari, vbi ad nos cura minimè ſpectat; mentemq́; curioſis & pænalibus implere cogitationibus. Pius homo non ſcandalizatur, neq; demiratur: ſed ſemper manet introuerſus, neq; alienis feriri ſe ſinit imperfectionibus: Solis inſtar, qui loca prætergrediens immunda, nõ coinquinatur. Vbi verò proſpicere tenet, Deus illi fert opem, vt periculum perſpiciat: remediumq́; ſuggerit conueniens.

Non tamen omittas, quin tua tu vtaris debita diligentia. Hoc etenim fieri poteſt citra ſuſpicionem. Veluti ſi alienigenam vides prætereuntem, vel ſiniſtra laborantẽ quempiam fama; tuasq́; res cõſeruas, oſtiũ occludendo, riteque cuſtodiendo; non ſequitur te male de illo opinari. Tu etenim, quod tuum eſt, facis. At noxiam omnem

nem dimitte ſuſpicionem: & ſi quidem tibi ſe offert, propelle: perfectam etenim ita inuenies quietem.

Dicunt nõnulli: niſi male ita cõſtitutus eſſem quò ad corpus, affectus'ue quo ad animum; multũ proficerem: acſi male eos Deus finxiſſet; maiori'ue ſe, quàm Deus, dilectione proſequerentur. Neq; verò vident ſuperbiæ hoc eſſe: quam tot Deus depreſſam tenet libramentis: & tamen adhuc ſe excuſat, patrocinaturq; ſibi, purgatam ſe volens: quid iam faceret, ſi immunis eſſet à ponderibus? Certè equidem Lucifero æquari vellet: qui, quòd nihil in ſe agnoſceret imperfectionis, tantam elatus eſt in ſuperbiam, vt fieret imperfectiſsimus. Ne deſpondeas animum ô homo, tot tua ob pondera. Deus etenim facilè ignoſcit, quæ admittuntur ex infirmitate, ſeu ignoratione, peccata. Si verò Deus multa tibi dedit deprimentia onera; non fecit vt te perdat; ſed lucretur: vt nimirùm ex illis deſidiæ non reſoluaris; totq; in periculis ſecurè nõ agas, & oſcitanter; orationiq; frequentiùs inſiſtas; eoq; ſæpius opem implores, quò neceſsitatem experiris tuam. Non tibi de-

dit Deus ſtimulum carnis, vt ruas; ſed vt otium fugias, ſtimulusque tibi ſit ad proficiendū. Non igitur talibus queriteris de procliuitatibus: ſed gloriare in tuis, cum Paulo, infirmitatibus: qui cùm his rogaret liberari ſtimulis, reſponſum habuit à Deo: Quia virtus in infirmitate perficitur. Ego (vt de me loquar) tametſi male ſim conſtitutus quò ad corpus, peiusq; affectus quò ad animum, ſorte mea viuo contentus: neq; potioris me fingerem cōditionis; etſi poſſem: immò his volo ſubijci grauātibus pōderibus, quoadusq; Deo viſū ſit: illud vnū ſuppliciter rogans, ne me tantis derelinquat in periculis.

Multi ſentientes male ſe propenſos, ſciſcitantur quî ſe habeant alij: vbiq; alium compererint non ita, vt ipſi, male affectū, vel cuiuſpiam profeſſorem virtutis, quæ minimè ſit in ipſis, ſtatim mærent. Quocircà ne fratris inueſtiges negotia, niſi aut vt eos corrigas, qui tuæ ſunt addicti curæ: aut vt perfectorū virtutem imitere. Qui etenim explorantes ſcrutantur, quare tot obtinuit ſanctus ille à Deo chariſmata: quare'ué ille alius fuit in ventre ſanctificatus, ipſi ne-

quaquam: quærunt iſti ex aliena fieri imperfectiores ſanctitate. Tu, quod in te eſt, ne omittas: Deus etenim nõ eſt perſonarũ acceptor: ſuaq́; tibi ẽt impertiet̃ chariſmata; cùm adeò affluat muneribus, vt quò ampliùs cõmunicantur, eò magis increſcant.

Diſpicias etiam oportet, num tibi dominetur pœnalis quiſpiam timor. Indicium eſt etenim perfectæ te nondum pertigiſſe charitati, quæ omnem foras mittit pęnalem timorem. Supereminere igitur adnitere omni metui viuentium, mortuorum, ferri, famis, peſtis, fulgurum, terræ motuum, vmbrarum, Dæmonum, mortis, inferni, iudicij, anathematiſmi. Quæ omnia verè nõ ſunt mala; ideoq́; horreſci minimè debent: ſolũ verè malum eſt peccatum; quò non poteſt inuita compelli anima: hocq́; ſolum eſt timendum, quod à te exit ipſo. Si enim ſanctus fores, mortem concupiſceres: vti Paulus, qui diſſolui cupiebat; non quidem fugiendi gratia cruciatuũ (vt nonnulli faciunt) ſed vt eſſet cum Chriſto.

Hic cõtẽplari ſe poteſt anima, num perfectũ indepta ſit ſuijpſius odiũ;

perturbetq; eã præteritorum memoria erratuum; confidat'ue nõnihil ſuis bonis in operibus. Vbi & arguuntur qui ſe excuſant non ſcire, aut non poſſe bona agere; qui'ue externè ſunt ornati, internè verò ſimiles ſepulchris; quales erãt Phariſæi. C. VII.

QVANDOQVIDEM odio habet homo ea, quæ ſunt mala, noxia'ue; iuſtum eſt vt ante omnia ſeipſum odio inſectetur. Non etenim poteſt à quoquam lædi, niſi à ſeipſo, teſte D. Io. Chryſoſtomo. Hoc porrò odium oporteret eſſe magnũ, & ſincerum, citra ſimulationem: quò etenim eſt perfectius eò conſultiùs nobiſcum agitur; dicente Chriſto: Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Hinc factum eſt, vt Sanctorum nonnulli parem reuerà exoptauerint peccato vltionem; agnóſcenteſque infinitam ſe iniuria affeciſſe Dei bonitatem, cruciatum ſuper ſe expetierint infinitum, Tartareos nempè cruciatus; non videntes quid aliud peterent ex iuſtitia. Neq; tamen hinc deſpera-

ſperauerunt; videntes ſuperno Diſcretionis in lumine, iniuria ſe denuò Deum affecturos; qui vult, vt ſi longè peiora perpetraſſet homo facinora, non ideò deſperet: ſicq́; mera ex obedientia, ſperant in ipſum; miſericordiamq́; rogant, Paradiſum, aliaq́; bona: quoniam hæc eſt eius voluntas, ita vt petamus: ex iuſtitia autem non poſſunt aliud petere. Quare cogita quem perueneris odij ad gradum: præcellentioremq́ue adnitere indipiſci; ſi vis eſſe perfectus. Tantoq́; ſi non ferueſcis igne, ſaltem repudiare incipe priuatum amorem, puroq́ue te reſigna Dei nutui; qui tuo non deerit pio deſiderio.

Inſpice inſuper, quî perturberis præteritorum recordatione peccatorum. Eouſq; etenim deuenit ſancti anima puritatis, vt iam talem ferè non ſentiat moleſtiam; cùm ſecuram Deus illam iam reddiderit; dulceq́; illud audierit conſolationis verbũ: Ceſſa iam à lacrymis: dimittũtur enim tibi peccata tua.. Vnde tanta profectò naſcitur fiducia, vt diuinam minùs expertis bonitatẽ præſumptio videatur. Si igitur tali non es immunis perturbatione, nõdum perfectio-

nem attigiſti. Perfectis ſiquidem omnia lætitiam afferunt anteacta. Et quanquam ſacri aſſerant Doctores, quotieſcunq; recordatur anima peccati, debere eam indolere: hoc ſanè eſt, quatenus in peccato habetur Dei iniuria. Verùm quatenus è peccato fit vt diuina pandatur bonitas; gaudent inde ſancti, canuntq́; lætantes cum Eccleſia: O certè neceſſarium Adæ peccatum; quod Chriſti ſanguine deletum eſt. O felix culpa; quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.

Si diceres: Ergo ſancti continuam non gerunt contritionem? Reſpondeo: quò quis eſt ſanctior, eò maiorem habet contritionem, etiam de præſenti; quoniam actu ſe videt Deo contraire: ideoq́; iugi manet in contritione: quæ eò eſt magis meritoria, quò intellectualis, & voluntaria. Verùm fit quandoq;, vt extra ſe raptus ad diuinam contemplandam bonitatem, neque peccatum recordetur, neq; contritionem: illius tamen non eſt expers meriti.

Vnde eorum potes agnoſcere imperfectionem, qui pœnæ ſemper immanent, & ſcrupulis; neq; vnquam ſibi ſatisfaciunt ip-

ſis prӕterita de Confeſsione: indiesq́; fiunt magis puſillanimes. O quàm præſtiterit vitam in melius emendare, Confeſſarioq́; credere ſacerdoti. Ego quidem ſpondeo, planeq́; recipio cuilibet, qui velit conquieſcere, in poſterumq́; cauere à peccato, redditurum me coram Deo rationem vniuſcuiusq; eius peccati: dummodò hoc intuitu ſummum non negligat perfectionis gradū.

Attende etiam, num quicquam pręſidas tuis in operibus; ſint licèt, quàm fieri poteſt, bene facta. Nūquam etenim poteris adeò bene agere, quin & ad ampliora tenearis. Iuuet igitur te ſemper bonis inſiſtere operibus: ſed in illis (vt illis) ne ſpem colloces; neq; vel ad illa reſpicias: & ſi quidem tibi ſe offerunt; agnoſce illa, quæ tibi placent opera, imperfectionis plena; pontique ſimilia rupto; cui qui ſe credit, periculo ſe obijcit. Quanquam verò incipientibus in rem ſit quandoque eorum meminiſſe bene facta; quò illis addatur animus: illi tamē, qui ſummo aſpirat perfectionis culmini, cō ſultius eſt, talia obliuiſci: agnoſcit enim verè ſe nunquam cœpiſſe; omninoq́; ſibi diffidit ipſi.

Mirabile porrò eſt hoc capere ſecretum: quomodo quis virtute ſemper increſcat; ex humilitate verò ſemper ſe videat magis imperfectum. Cui poteſt hęc aſsignari ratio. Quò etenim quis præcellentiora edit virtutis opera, eò magis ſuis ſupereminet paſſionibus, quæ verum præpediunt iudicium: ideoq; clariùs lucidiusq; contemplatur dona, & chariſmata Dei: quæ continenter recipiẽs, maiori etiam ſe agnoſcit aſtrictũ obligationi: ita vt, quò magis bona operatur, eo magis creſcat & bonorum reddenda ratio. Planeq; perſpicit, nunquam ſe potuiſſe diuinæ facere ſatis exactioni. Quare nõnunquam eouſq; inferueſcit anima, ob diuinorum multitudinem chariſmatum, propriæq; intuitum ingratitudinis; vt Deum oret, non ſibi vſqueadeò affluat, ſed huiuſmodi alijs impartiatur munera, qui ſe exhibeant gratiores: verita nimirùm propria ſe ex ingratitudine diuinis præfocatum iri beneficijs: ita vt perinde ſit, acſi nihil egiſſet boni.

Vulgaris eſt multorum error, propriam excuſantium culpam, naturamque arguentium: dicunt enim: Si ſcirem, poſſem'ue,

multa

multa bona patrarem. Hoc igitur ſi tu es è numero, quid tibi agendum ſit, volo te edocere, vt omnino ſis inexcuſabilis. Propone igitur quampiam acquirere velle virtutem: perfectam nempè humilitatem. Quoniam verò finibus non circunſcribitur virtus, quin poſsit ſemper magis increſcere; ſtude vt indiès proficias: ſiq; hodie, patienter ferendo, viciſti illatam tibi à ciue iniuriã; cras adnitere aliam tuo perferre à famulo: neq; huic vnquam parcas ſtudio, quoadusq; plenum perueneris ad tuipſius odium. Idẽ facies de charitate, cæterisq; virtutibus: hoc quod dico, nonne eſt poſsibile? Ne dicas igitur ampliùs: ſi ſcirem, vel poſſem, bene agerem: ſed totum fatere à teipſo, tuaque pendere voluntate.

Diſpice etiam, num, quæ agis bona, ex mera emanent conſuetudine, vel firma cõſideratione. Multi enim & ſacris accedunt myſterijs ſeu Miſsis, & diuinis intersũt precibus, flectũt genua, aperiunt caput, multos legũt Pſalmos & Litanias; intus verò diſtractionum ſunt pleni: cumq; intellectum addicant & voluntatis fundũ terrenis rebus, perſuaſum habent paſcere Deum cæremonijs.

monijs. Contra quos intonat Chriſtus, ſimiles eos dicens ſepulchris dealbatis, externè ſpecioſis, intus verò plenis oſsibus mortuorum. Crede mihi, aliud præterea exigitur, quàm Baptiſmi ablui aqua. Qui enim vſum habet liberi arbitrij, renuntiare tenetur Diabolo, & eius pompis: neq; verò inniti externis potiſsimùm ritibus: qui adinuenti ſunt, vt nobis repræſentent myſteria, vitãq; Chriſti; nõ verò vt his ſolis innitamur. Hodie aũt in immẽſum excreuere, in tantam habituum varietatem, & ſocietatũ, & fraternitatum, & proceſsionum: Chriſtianæ autem vitæ pauca vel nulla manſit cognitio. O Chriſte chare, Crux tua eſt quidem facilis & perſpicua ad videndum, cùm tota ſit luminoſa & pręfulgida; quî igitur adeò nos ſumus cæcitate inuoluti, vt opera non affectemur tua? Certè nequaquam ſumus Chriſtiani: ſed mortis tempore, vti cæremoniarij, ſeu Logochriſtiani, inferno adiudicabimur inferiori.

De oratione: & quî debeat eſſe interna, & non mera vocalis; magisq; in ſpiritu, quàm imagine; & atten

ta,fidelißima, & perſeuerans; externiſq́; opus non habere modis, ſeu ritibus; neq; ſectari guſtum; at ſemper diuina perſeuerare in gratiarum actione. C. VIII.

SVPEREST iam vt loquamur de interni hominis oratione: in qua rectè te diſcutias velim; ſita eſt enim hic sũma rei. Iam verò primùm num multos imitere, qui externis ſe onerant precibus: niq; totum eorum abſuluant priuatum de more Officiũ, ſcrupulum perſentiunt: nunquamq́; terendis exatiantur Pſalmis & precibus. Neq; verò hoc ad literam vident pugnare Euangelio, vbi dicitur: Orantes autem, nolite multum loqui. Phariſæosq́; prolixarum arguit orationum. Non quidem quòd nimis poßit eſſe prolixa oratio: ſed quoniam hæc non eſt oratio, ſed mera cæremonia: qua ſæpe præpediuntur charitatis opera. Volunt enim iſtiusmodi homines iuxtà eorum vigilare & ieiunare voluntatem: niq; omnia eorum obſequantur adlubeſcantq́; voluntati, proſiliunt in furiam, totamq; perturbant domum, Contra quos Eſaias: Ec-

ce vos ad lites & cōtentiones ieiunatis. Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra. Nequaquam præcipit Deus occupationes derelinquas neceſſarias huiusmodi propter ritus; ſed quidem vt puritatem acquiras cordis; ne tot oppleatur formis & imaginibus, poſsitq́; de Deo cogitare & virtute, ſicq́; in charitate increſcere. Ritus externi nō ſunt finis noſter: ſed inſtrumenta, manuductionesq́;, optimè eo, ſi ritè adhibeantnr, perducentes. Igitur vbi te præpediant, illos derelinquere debes vti immodicos; fundoq́; intendere & inuigilare interiori, vnde vita procedit.

Cogita igitur quantam adhibueris diligentiam addiſcendæ internæ orationi: ſaltēq́; nunc incipe tibijpſi adminiculari, pia quapiam lectione, & colloquijs, & cōſuetudine piorum hominum: vnde hauritur nutrimentum, quod poſtea à teipſo poteris ruminari. Neq; verò putes, ſenſualitati īdulgēdo & ſomni, & crapulę, & nugarū, sāctū hoc te aſſequuturū ſtudiū: ſed certè ſuſpirando coràm Deo; illiq; colloquendo, vti filius patri; dicendo: O mi Domine, ſi quicquam peterem patrem meū muneris,

cōcederet

cõcederet profectò : tu autem multò magis Deus meus , qui ſupra omnem me amas amorem . Itaq; illi tuas aperi indigentias . Tametſi enim omnia norit, vult tamen & teipſum idem agnoſcere ; quò habeas vnde demittaris . Et ſi ita citò non poſſes addiſcere, ne animo conſterneris: ſed perſiſte, ipſius pulſans ianuam pietatis : planè enim tibi recipio eam edoceberis, proficiesq́; .

Vide dein , orationis ſub horam quid tuæ ſe offerat menti: vtiq; omni nuda eſt imagine . Nõnulli etenim volentes de Deo cogitare, terrena ſibi in phantaſia confingunt: volentesq́; Paradiſum contemplari, fabricantur ſonos, & cantus, & ſenſuum oblectamenta : referteq; volunt puriſsimam Trinitatẽ modis phantaſticis . Satius autem foret excedentem meditari Dei bonitatem, & potentiam ; humiliterq́; illum rogare perfectam humilitatem, integram caſtitatem , conſummatam charitatem , quàm ſimilibus velle animũ accendere com mentis, & imaginibus: quibus & ſæpe nonnulli immiſcentur errores . Stude igitur vir tutem conquirere ; qua amplius cõſequêris feruoris, citraq́; deceptionis periculum.

Vbi

Vbi mentem tuam ſenſus imaginibus de purgaueris, vide vti ſtabilis ſit, internoq; intenta exercitio. Non etenim iugi poteſt ſine attentione frugifera eſſe oratio: neq; Deo percipietur, niſi tu priùs illam perceperis. Si diuinas in choro recitas preces, ad nitere attentionem obfirmare tuam cupiã petendæ virtuti: ibiq; perſiſte, non curans ſi ſingulis mentem nõ geris intentã, quę enuntias, verbis: eorumq; tutò derelinque attentionẽ, vbi te præpediat ab interna vnitione: aliàs ſemper eſſes inſtabilis.

Scito aũt, niſi oẽm ſuperes difficultatem, à continua te impedientem attentione; vt ſunt puſillanimitas, & diſtractio; nunquã te poſſe proficere. Nonnulli expaueſcunt huic perſiſtere ſtudio, ne inualetudinem incidant, fiant'ue triſtes. Qui ſanè hic ſe produnt imperfectos: cùm, ſi Deo fiderent, perſpicerent, nequaquam permiſſurum eum illos periclitari; at in omni protectum iri periculo. Nequaquam tamen mirandum, ſi initio ægrè mens manet introuerſa, multisq; immunis à phantaſmatibus, ſeu imaginibus: non etenim prauus ita facilè amouetur habitus. Si igitur talem experiris

periris difficultatem, ſaltem conare Deo te ſępe offerre, omni in loco, & tempore, & actione. Non etenim poteſt frequens hæc eleuatio externis impediri ab operibus: internæq; eſt vtiliſsima vnitioni. Ita Deo colloquendo, auxiliumq; implorando, nouum indues habitum: diuinaq; vſqueadeò oblectabere hac collocutione, vt nedum id obliuiſcaris, quod petebas; ſed & teipſum, remq; aliam omnem; transformatus nimirùm purum in intelligere, velleq; diuinum: more Pauli, qui ignorabat in corpore, an extra corpus fuerit cum Deo. Noueriſq; veram incipere orationem magna in attentione, deſinereq; attentiſsimam in obliuionem. Cui metæ quàm propè ſis, vel abſis, vide.

Oratio ſine fide emiſſa, nedum eſt infructuoſa; ſed & Deo diſplicet: eiuſq; reflectitur in iniuriam. Ita enim de eius ambigitur bonitate, acſi nollet, vel non poſſet id dare, quod petimus. Et licet noſtra aduerſarentur, obſiſterentq; merita huic petitioni; concedetur inquam illa: quoniam nos adhortatur Deus, & præcipit vt petamus. Diſpice igitur, qua orationẽ fundis cũ fide.

Si

Si verò diceres: Petij ſæpius; neq; verò me inuenio exauditum. Reſpondeo te multò minùs exauditum iri, ſi addubitas, vel ceſſas à petitione. Sed ſi Scripturas meditere; comperies pleroſq; Sanctorum, poſt multa, multa inquã annorum curricula, exauditionem promeruiſſe. Quemadmodum Abraham, qui in extrema prolem ſuſcepit ſenectute. Ita & eius filius Iſaac. Legere eſt, cùm oraret Daniel pro populi ſalute, ſtatim eius exauditam fuiſſe precem: cumq; adueniret Angelus, vt hoc illi afferret nuntium, reſtitit ei dies multos alter Angelus: quo ſemper in tempore orationi perſtitit. Iam ſi orationi ſuperſediſſet, hæſitare'ue cœpiſſet, crediderim ego retroceſſurum Angelũ, ipſumq; infrugiferè acturum. Quare hoc exemplo, fortaſſe te exaudijt Deus; tuque (ita in rem tuam diſponente Deo) id minimè vides: vel nondum capax es qui impetratum referas munus: certeq; & capax nõ eris, niſi plena ores cũ fide & perſeuerantia.

Dices; Paulum, etſi perſiſteret, minimè exauditum fuiſſe. Ego verò tibi dico; exauditum illum; & meliùs, quam peteret. Meruit enim audire verbum illud: Sufficit

tibi

tibi gratia mea . Quare omni debes tua in prece, puro te reſignare Dei nutui : neq; velle illi legem præfigere. Ita enim tua nunquamnon exaudietur oratio ; amplioraq; referes, quàm petas.

Cogita etiam, num habendæ gratia attentionis, vel guſtus, loco egeas ſecreto, ſilẽtio, genuflexionibus,eiuſmodiq; excitamentis . Argumento eſt enim te habitum nondum tenere orationis; quæ omni fundi poteſt in loco, & tempore : vti vbiq; eſt Deus. Enimuerò parum orat, qui ſolùm in cubiculo orat, vel templo. Nequaquam dico, hæc non expedire deuotionis excitamenta : ſed ampliùs illos comprobo, ꝗ talibus minimè ita egent. Noueris autẽ nos aliquando orare; opusq; tunc habere geſtibus, & modis ſimilibus : aliquando verò orat in nobis ſpiritus, interpellatq; pro nobis gemitibus inenarrabilibus : & tunc ad geſtus nos inducit faciendos,nobis id minimè cogitantibus. Quapropter Sanctorum nonnulli, ex ſpiritus abundantia, brachia adaperientes, dulcia ſibi attrahebãt Chriſti ſtigmata : nonnulli coſtringentes, Chriſtum complectebantur; ſaucioq; eius è pectore

Diuinitate exatiabantur ſua.

Vide etiam, num in oratione ſis animoſus, petendis à Deo arduis & magnis: nempè omnium ſummæ virtutum, ſanctificationi perfectæ, charitati Pauli & Moyſi. Hoc enim Deo eſt placitum: itaq; de eo ſentire nos oſtendimus, ipſum eſſe liberalem & magnanimũ. Cumq; ſummè non poſſit honorari, niſi ab his, qui grandia poſſident munera; ideò non debemus, vti paruuli, paruulis eſſe contenti: cùm patrem habeamus ita præcellentem, qui indignè fert, niſi præcelſa petatur; eò etiam magis, quò eius nõ decreſcunt impertiendo theſauri, immò & augeſcunt.

Arbitrantur nonnulli præſumptionis eſſe & ſuperbiæ, ſanctificationem petere. Et quidem certè prorſus eſt contrà: quandoquidem ſimul morari non poſſint præſumptio & ſanctificatio: immo quò quis eſt ſanctior, eò eſt humilior, magiſq; idoneus qui Deum honoret. Iſtud porrò eſt orationis genus nonnihil imperfectum: nondũ enim omne id obtinuit, quod petit. Verùm vbi perfecta eſt oratio, petitioni valedicit; gratiarumq; vacat actioni: ſciens amplius ſe

ſemper

sēper referre, quàm petat. Vti D. dicit Patriarcha noſter Dominicus, nūquā ſe quicquam petijſſe, quod non obtinuerit.

Conſidera deinde, quo permouearis fine orationi. Multi enim libenter orant, dum gratia affluit ſenſibilis, lacrymæq́; gaudij plenæ: quibus ceſſantibus, animo cadunt, & contriſtantur. Illud quidem fateor; cōtriſtari nos debere, veritos ne huiuſmodi cauſam dederimus ſubtractioni: ſed non ideò ceſſare ab oratione, alijsq́; bonis operibus. Gloriam ſiquidem quærere debemus Dei, non cōſolationem noſtram. Iſti autē Deo ſeruire non norunt, niſi mercedis gratia, & delitiosè. Deo autem non ſeruiunt, ipſius potiſsimùm gratia Dei: qui ſæpe ſe ſubducit ab anima, quò eius experiatur perſeuerantiam; numq́; omni ſua deſolatione conſoletur.

Huc igitur peruenire oportet faſtigij, vt anima pura Dei cōtenta ſit voluntate; adueniat, recedat; etſi eam ſemper vellet omni derelictam & interna & externa conſolatione: omniq́; in euentu, gratias illi referre non deſinat. Ita enim cogetur Deus illam redire ad animam: etſi eam dereliquiſſet in

inferno. Sed & fortè ita nunquam à fundo illo diſceſsit interiori: tametſi externè ſe ſubduxerit. Quanquam verò operari non poſsit homo citra delectationem aliquam, præſentem vel futuram (hoc dico, quoniã nonnulli ſola operantur deliberatione, expectantes poſteà ſuauitatem) tamen noſter non debet eſſe finis delectatio. Sed quando delectatur anima eſſe ſine delectatione, tũc operatur cum delectatione, & non ob delectationem: omnemq; in euentum gloriam dat Deo. Hac ratione teipſum ſuper oratione diſcutias oportet.

Quî Deo fiat ſatis in nobis: deq; noſtræ purificatione intentionis; nedum in agendis bonis, ſed & malis tolerandis, Chriſti exemplo Crucifixi: quamq; inhiare debeamus animarum ſaluti; dirigendæq; vnicuiq; Diſcretione in eum virtutis gradum, quò habilis eſt & idonea. C. IX.

CVM de oratione dixerimus, ſupereſt vt de pfecta videamus conformitate volũtatis

tis noſtræ cũ diuina: qua in re poteris teip ſum ita ſcrutari. Noueris itaq; Deo ita abs te fieri ſatis, quatenus & ab eo tibi. Quare ſi aliquando, vel aliqua in re tibi ab eo non ſatisfit, tunc & in eoipſo Deo per te minimè fit ſatis. Vide igitur quoties perturberis, ſeu tibi minimè fiat ſatis à bello, morte, huiuſmodi'ue caſibus: tuamq; agnoſce imp̱fectionem. Si enim diuinæ conuenires voluntati, nunquã nõ eſſe lætus: ab omnibusq; tibi fieret ſatis, præterquàm à peccato: quoniam à peccato non fit ſatis Deo; neq; illi poteſt placere, quatenus peccatum: niſi quatenus etiam ex illo ſuam educit gloriã. Qua etiam ratione perfectus quilibet; non approbando, ſed reprobando quammaximè; peccato lætatur, ob illud, quod inde conſequitur, bonum.

Si dices. Quare tot permittit Deus ęrũnas & diuexationes? Reſpondeo: non hoc facit vt illæteris, animo'ue perturberis: ſed vt comprobet num omnino eius cõſentias volũtati. Vellet enim oĩbus te gaudere in moleſtijs; vti ipſe ſemper eſt lętus & beatus; quò te ipſi redderet ſimilẽ: ita vt ſi q̃s interrogaret; quid tibi arrideret ſeu adlu-

beſceret? reſpondere poſsis: Nō niſi quod Deo eſt placitum. Hoc porrò deprehendes rationis examini ſeu iudicio: quæ ſemper in malo oblatrantem ſentit ſynteresim ſeu cōſcientiam: in bono autem perſuadetur extimulaturq; à gratia. Ita & cùm in te perſentis dubietatem, illaq; fis inconſtans; hinc deprehende Deum tibi non ineſſe, ſaltem ſuo cum lumine, quod eſt certiſsimū, ſummamq; amicis ſuis ex illo donat firmitatem. Igitur vide quî tibi Deus, tuq; Deo immaneas, per voluntatis conformitatem.

Díſpicias etiam penitius oportet, nū tuū ſemper reſpiciat deſiderium purum ac ſimplicem Dei honorem: an verò vnà cū eius honore, nonnulla tibi ſe offerat tua vtilitas & commoditas. Tametſi enim priuati memoria commodi poſsit (quod non diffitemur) cum charitate eſſe; tamen perfectus amor eſt ſolus & zelotypus; neq; admittit ſocium: animumq; præparat omnem ad laborem & iniuriam citra renitentiam, & ſine mercedis cuiuſpiam reflexo intuitu. Ideò mane intentionem tuam purifica, omnemq; tuam dirige actionem in purum Dei honorem: & ſi quicquam in die non tibi ex

voto

voto ſuccedet ; memor eius quod propoſueras, iracundiam effugies, & blaſphemias, & mærorem : Deusq; , quæ eius eſt liberalitas, virtutē tibi adaugebit patiētię.

Ita nedum in voluntarijs operibus, ſed & in neceſſarijs poteris promereri. Veluti ſi menſam accedas, honorandi cauſa Dei; nō autē appetentiæ potiſsmùm vt indulgeas: cubitum eas eadem de cauſa; non mera ex inertia & ſomniculoſitate. Quam quò ſæpius & ardentiùs ingeminabis deliberationem, eò magis præſeruabere omni à defectu tuis in actionibus: comedens fies parcus, dormiens ſobrius, negotia gerens fidelis, loquens veridicus, omniq; in re bene moderatus. Conare igitur tuum ſemper ſublime cor gerere. Hac etenim ratione ita conſtitutum eſt in corpore, vt cælum ſuſpiciat; quò & ipſa in natura pulcherrimum hoc edoceare arcanum, promerendi nempè in omnibus, vt fecere Sancti.

Nedum intentionē purificare debemus noſtram in voluntarijs operibus, & neceſſarijs; ſed & in ferendo malo. Qua ſuper re te introſpicias velim, quî habeas; numq; de iſto queriteris vel illo. Tametſi enim

condoleſcere,malumq́; ſentire,ſit naturale; non tamen eſt naturale,vt de Deo murmuremus, vel proximo: ſed culpabile id eſt. Quis enim adeò eſt amens, vt queritari debeat, Deus illum ſi velit vel tribulare, vel ſolari; velitq́; aduerſum nos hominibus vti,vel Dæmonijs? Nonne illi fas eſt ſua,vt viſum fuerit, tractare? vel tenetur Deus ſemper nos ſolari,aduerſis exercere nūquā? Si quapiam conquereris de Cruce,quòd nimis ſit grauis; iccircò fit, quoniam quid merearis non attendis; neq; quò te Deus vellet perductum, tuæ gratia ſalutis: ſed te nimis amas ipſum: & vbi Crucem commutaret; ita cauſareris ſecundam,vti priorem. Quare præpara te ferendę,quę datur, Cruci; Deoq́; ſemper gratias age.

Si ita non te coaptas, nunquam poteris hunc conſcendere ſublimiorem gradum: nempè vt nō tātùm abſq; murmure, ſed & libēter, patiare: minùs verò poſſes & ſequēti huic pertingere præcellētiori; vt in cruciamento & dolore lætitiam inuenias & ſuauitatem. Verùm ſi omnia è pientiſsimis accipias Dei manibus: cogitesq́; illum, vbi tibi videtur indignatus, multò magis propitiari,

pitiari, quàm homines vniuerſos, & Angelos', vbi tibi fauent; itaq; omnem accipis pænã, acſi tibi diceret: volo hanc feras pænam mei amore; planè tibi recipio, breui addiſces hoſce tres gradus; nempe vt feras primò patienter, ſine murmure: mox cum deſiderio: demumq; lętãter & cũ gaudio.

Hoc etiã poteris aſſequi continua Chriſti meditatione Crucifixi. Cuius velim in intuitu teipſum contemplere, videasq; quàm abſis à perfectione. Si etenim quenquam eſſet inuenire Crucis igne æſtuantẽ, cogeretur tantum erumpere in ardorem, vt diceret.

O Crux, non mihi propitiare, ſi te obliuiſcar: ſi mente te abſcedere ſinam mea, ſit medicina tua mihi corpori venenum, animæ verò manus tua clauo ſit confixa. O Chriſte, peremptoriam fulmina in me ſententiam, ſi vnquam tantæ inuoluar ingratitudini: omnes in me irruant cruciatus & calamitates, niſi meis continuè lacrymis tua abluam vulnera. O liuidum pectus. O facies deturpata. O capilli implexi. O pallẽtia labra. O Chriſte excruciate, quis mihi dabit vt ſub Cruce ruam tua? O tormenta

omnia

omnia mei Domini, in me irruite: ſum enim ego reus; innocentem derelinquite ipſum. O creaturæ omnes, de me pœnas ſumite. O Sol, ad quid tuum mihi immittere lumen; tantis enim ago in tenebris, vt à te minimè poſsim colluſtrari?

Fateor Domine; tu tua me Cruce omni dignum reddidiſti cruciatu, ſubter omnẽ qui demergar creaturam. Si vlla vnquam conquerar de re, areſcere fac mihi linguam. Te etenim extrema video in agonia, & neceſsitate vel vnius aquæ cyathi. Tu me adeò vegetaſti, roboraſti, atq; honoraſti, vt amplius mortem non timeam vel corporis vel animæ, cùm tu ſis vtriuſq; vita. Iam flocci-pendo honores ſeu contumelias: ideò qui tuam renuit Crucem, non tibi ſit charus, è tuorum'ue numero: ſi vnquam honorem vener, vel famam, fac me amplius, quàm meretrices, infamem. Valete honores omnes, voluptates, & delectationes. Quid iam me poterit præpedire, quin totus inferueſcam, & ſanctus fiam, cùm talem habeam, cor meum totum attrahentem, magnetem? quî potero eſſe negligens, te videns Dominum meum vſqueadeò prom-

ptum

ptum & ſedulum? quî locum habebit in me tædium, quando tu me ita es confortatus? experire mi Domine, talem me factis comprobabo, qualem verba pollicentur. Crux tua cordi eſt adeò mihi impreſſa, vt aboleri neutiquam poſsit. Tuum me adeò fel dulcorauit, vt omnis mihi ſuauis videatur pæna. Iam certus ſum gauiſurum me in moleſtijs: erit mihi vel maximè exoptabile perſecutionem pati: gloriabor in tribulationibus: viuere meum tibi ſemper erit agglutinatum.

O chare Domine, ſi hac vellem tua abſcedere Cruce, tunc multiplica ſuper me ſpinas tuas: tunc manum apprime tuam, & ampliùs aggraua tua humeros meos Cruce: ita vt vel amore, vel vi attractus tibi redeam. O Chriſte chare, ſi nõ ſum dignus, qui ſuper Cruce perpetiar tua; fac me perpeti ſuper mea: ſum enim ego latro; tu innocens. O ſi alium haberem latronem, qui mecum vellet occumbere. Sat mihi, latronem me eſſe à ſiniſtris, reprobatumq; (pænam loquor ſemper) adueniat alius, partemq; arripiat dexteram; audiatq; quod illi Chriſtus dicit: Hodie mecũ eris in paradiſo.

ſo. Magni mihi duxerim loco beneficij, hũc alteri locum concedere. Adeſte huc vos, qui hæc legitis: Crucemq́; arripite à dextris: proteſtor enim ego palàm IESV CHRISTO, ſat mihi eſſe, ſe modò ſaluet, vnà cum ſocio meo. Si quem piget talem ſe exhibere; ſuo id fiat periculo. Hoc in examine teipſum ſcrutare: non etenim bonus ſeu perfectus eſt Chriſtianus, qui non vult pro modulo ſuo, vt Chriſtus paſſus eſt, pati.

Ex Crucis igne oritur deſiderium ſalutis ꝓximi. Vbi te debes penitiùs introſpicere, quàm profeceris: numq́; tibi ſit quicquam reperire vſqueadeò difficile, quod non ſis promptus agere, & perpeti, lucrifaciendi gratia proximi omnis, tàm inimici, quàm amici: paratusq́; an eſſes, ſeruandi gratia illius, rem expendere familiarem, iacturam nominis facere, & ꝓpriæ etiam vitæ. Hoc dico, quoniam perſuaſum habent nõnulli, habiles ſe eſſe omnia pati: ſed tales reipsà non ſunt, quales ſeipſos comminiſcuntur. Sæpe etenim cùm poſſent animæ opem ferre proximi, ſe demittentes. ſeq́;, incuſantes ipſos, vbi eſt indignatus, vel eleemoſyna

puel-

puellam à periculo eximere pudicitiæ; minimè id conſentiunt facere: planè prodentes multò ſe minus maiora pręſtituros, cùm deficiant à minimis.

Alij ſub humilitatis ſpecie, ſolitudine oblectantur: lucrumq́; omittunt animarũ. Quod ſi feciſſent Chriſtus & Apoſtoli, væ nobis. Cauſantur autem ſe id facere, propterea quòd non ſunt perfecti; verenturq́; inanem gloriam. Parcuntq́; nobili vſqueadeò lucro, modica adeo de cauſa: ſatq́; habent ſibijpſis eſſe boni; cùm alijs minimè poſsint. At ego crediderim, vti alijs ſunt infrugiferi; ita & ſibi ſint ipſis. Nõ etenim iccircò inanem extinguunt arrogantiam: quin immò cùm viuat adhuc, ad minimam quanlibet excitatur occaſionem: quo'ue. ampliùs indormiuit, eò reſurgit fortior. Oportuerit itaq; illam à ſe abſcinderent: ita enim & ſibijpſis boni eſſent, & alijs.

Qui autem dicunt, ex humilitate ſe abſtinere; nequaquam id ita ſe habet: immò oculos ſi velint adaperire, abſtinent ex ſuperbia. Non etenim ferre poſſunt ſanctones dici, & hypocritæ: erubeſcuntq́; quempiam edere barbariſmũ: grauiterq́; ferunt

vbi

vbi eorum non habeantur in pretio verba. Quæ omnia ſunt ſuperbiæ argumenta. Hu milis ſiquidem vult haberi vilis, & qualem ſe habet, & liquidò agnoſcit. Porrò ſi vnicuiq; mandauit Deus de ꝓximo ſuo; nemo ſubtrahere ſe deberet; ſed ſatagere & factis & verbis, opportunè & importunè, vt ſalus ꝓmoueatur fratris. Neq; verò hoc tãtùm: ſed & aliquos perducere, ex aptioribus, ſummæ perfectioni; qui aliorum poſſent ꝓ mouere ſalutem; hæreditateq; conſequerentur eorum ſpiritum præceptorum: vti conſecutus eſt Eliſæi ſpiritum Elias: & ſic deinceps poſteri anteceſſorum virtutes per ſuadendo propagarent. Hinc religionum conſtituere fundatores, vt nunquam deeſſent prædicatores. Verùm cùm non hodie eorum hæreditate conſequuti ſint ſpiritum præceptorũ, infrugiferè ſibi hanc vſurpant authoritatem; cùm à Deo non ſint vocati, tanquam Aaron; alioſq; id edocere non poſsint, quod experientia ipſi minimè didicerunt.

Poſtea quàm mala omnia quis à ſe ablègauit opera, boniſq; inſiſtit: ſupereſt, vt illa tantæ prouehat perfectioni, vt nulla ibi maneat

maneat negligentiæ macula, inanis gloriæ, indignationis, aliuſue, licet modicæ, culpæ. Dedecet enim quælibet, vel leuis macula eum, qui perfectioni aſpirat.

Si igitur quis proprias peſſum iam dedit imperfectiones; conuertere ſe debet ad ꝓximum, cogitans num adnitatur ſummo illum prouehere perfectionis gradui. Multi enim ſunt ſibijpſis perfecti: hic autē deficiunt, quòd non omnem nauant operam vt perfectioni adducant eos, qui eorum ſunt concrediti curę: quod præ omnibus foret neceſſarium: quandoquidem decem vel duodecim, qui perfectione pollerent, Deo magis grati eſſent, quàm minoris multi perfectionis; cũ quòd maiori poſſent Deũ illuſtrare gloria: tum etiam quòd ad illam quam ipſi conquiſijſſent, alios complures poſſent perducere pietatem; quod nõ præſtarent, qui vulgari eſſent ornati ſanctitate, tantaq; non eſſent præditi ſummæ perfectionis experientia. Multi autem cùm nõ adſint qui eos inſtruant, imperfecti manent: licèt multa valeant ad perfectionem aptitudine. Quare infirma eſt eorum excuſatio, qui dicunt non inuenire ſe huic habiles

biles argumento homines; cùm omni in loco & tẽpore ſuos aſſeruet Deus amicos, perfectioniq; idoneos: ſed ſuamipſorum cauſentur ignauiam.

Illud planè concedo, non omnibus eadem conuenire exercitia; veluti vt mulierum curam gerant, Deum'ue contemplentur. Ideoq; operæpretium eſt, Diſcretionis virtute quenlibet perfectum dirigere ad eius exercitij ſtatum, quò eſt magis idoneus: in illiſq; inueniendo quempiam, qui virtutum habilis ſit cõſcendendo culmini, opus eſt omnem illi pandere perfectionis viam; eiuſq; propellere ad ſtudium, compendioſiori ſemita; quæ eſt, vt in omnibus noſipſos deuincamus, reſtinguamuſq; motus omnes iræ & concupiſcentiæ, omnemq; laudis appetitum & inuidiæ. Qua ſanè via nedum perducitur quis perfectioni, ſed & fit oculatus, vt eam norit alios edocere, cõſummatuſq; in actione ſimul & contemplatione: immò in vtraq; ſimul, ita vt ex actione non amittat contemplationem, ex contẽplatione'ue nõ minor fiat actio. Quare omnibus contemplare te in iſtis: videq;, num Diſcretione te iuuet vnicuiq; opem

ferre;

ferre; perfectioneq́; omniũ adducere ſummo virtutum.

Hic contemplari ſe debet anima, nũ mundo prorſus ſit mortua; diſcrimenq́; habeat inter perſonas; viuatq́; in ea, an mortua ſit virtus; humiliq́; adnitatur ex fiducia, velle omnes ſuperare Sanctos, fieriq́; ſimilis & æqualis Deo. c. x.

AIT Chriſtus in Euangelio: Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; ipſum ſolum manet. Vbi docet veram ſitam eſſe perfectionẽ perfecta in morte. Igitur examina teipſum, num mortuus ſis, aut viuus; ad vtriuſq; cõditiones. Primò qui viuit mouetur, conqueriturq́; ſi offenditur: omnem enim ſentit pũctionẽ. Mortuus autem prorſus contrà. Mundo igitur ſi es mortuus, immobili permanere debes animo ictum ad omnem cuiuſcunq; generis; iniuriamq́; non ſentire vllam, quę tibi inferatur: neq; queritari de occurrẽte tibi cruciatu vel diſpendio.

Multi ſe agnoſcunt peccatores, profitẽ-

turq́; omne ſe mereri malum: qui tamen neq; multum neq; parum conſentiũt moleſtari. At verus Chriſti ſectator omni verè ſe dignum agnoſcit cruciatu: quiq́; nedum ab omnibus derelinquatur, ſed & quẽ inſectentur omnes: cumq́; velit iuſtificari, & non manere iniuſtus, omnem expetit cõfuſionem & tormentum: ſciensq́; Deum ſe offendiſſe, cumq́; ipſo creaturas omnes, excupit omnia de ſe vindictam ſumere: & ꝑſpiciens Deum & virtutem illi nauſeã mouiſſe, vellet toti abominationi eſſe mundo, vt ita poſsit ſatis eſſe rationi diſſoluendæ, quam contraxit: tantamq́; intus perſentit cõfuſionem vt nihil vereatur omnem foris verecundiam & ignominiam: quoniamq́; eum contriſtauit, qui omni dignus eſt obſequio, omnis illi iniucunda eſt iucunditas, cõtriſtatq́; omnis illecebra: lætificat autẽ derelictio omnis & pæna: cùm hoc iure meritò videat exigere iuſtitiam. Ita dictum accipietur Apoſtoli: Mundus mihi crucifixus eſt: & ego mundo: acſi diceret: Mundus adeò mihi eſt horrori, atq; mortuus fætens cruci ſuſpenſus: itaq; ego ſum mũdo abominationi, acſi mortuus eſſem, & cruci confixus.

ſixus. Hoc,cōtemplare quis ſis,in ſpeculo.

Cōſidera dein, nū perfectā illā indeptus ſis ſpiritus libertatē, vt diſcrimē nō ponas inter hoc & illud. Nō etenim diſcrimē habebit ꝑfectus pauperes inter & diuites,laudes & vituperationes; cùm non timeat vel inanē gloriam, vel confuſionem. Contrà nonnulli minimè audent tales ſe declarare, quales reuerà ſunt: timentq; eorum confiteri peccatum: probè declarātes libertatem in ſeipſos minimè ſe habere; quando timent alijs ſe tales inſinuare, quales ſe norunt. Verus autē humilis ita libertate pollet, vt & ſeruum mancipiumq; ſe exhibeat omnium: compertum habens omnibus lōgè ſe meliùs tractari, quàm mereatur: itaq; eſt ſeruus, vt & ſummam peruenerit ad libertatem. Quò fit,vt iam non ferrè ſentiat ſcrupulū vel moleſtiā tpe Cōfeſsionis,Cōmunionis'ue: nunquāq; nō deſiderio deſiderat hæc Sacramenta; non quòd ſe cenſeat ritè præparatum: immò ſe iudicās longè impræparatiſsimum, ſeu quam maximè indignum,vniri illi appetit inhiāter,qui veram largitur vnitionem & præparationem ſimul. Neq; verò quicquam veretur illi in-

ſeſtum eſſe poſſe; quoniā omne ſe agnoſcit eſſe malum: neq; erubeſcit, reſpicit'ue perſonam quampiam: de Deoq́; loquitur, & Deum alloquitur, perinde atq; hominem quempiam: neq; vnquam eius exequenda ſe ſubtrahit à voluntate; cui ſemper ſua eſt annexa; vel morte vel cuiuſquam metu periculi: omneq; penetrat periculum ſumma cum ſecuritate. Talem ſi reperire eſſet heroem virum; omni ſupereminerct præcepto, excōmunicationi, legi, ſtatuto. Vellet enim ampliora obſeruare, quàm iubeantur: & vt præcepta obſeruaret, amplecteretur conſilia: & vt caueret ab illicitis, vitaret & fugeret etiam quæ licent. Tu ſi es talis, es felix: ſin minus, vt ſis adnitere.

Nōnunquam mortua eſt in homine virtus; cùm opere nihil quicquam ſe exerit; neq; ſignum oſtendit emendationis ſeu ꝓfectus. Quare incogitanter ſemper de his loquitur, quæ ſpiritui Dei aduerſantur: neq; illi placere intendit. Nonnunquam infirma eſt virtus & langueſcens; inſtar valetudinarij, qui ægrè tædenterq́; quicquā agit operis: ita ſpiritaliter, vbi faſtidiens quis bona facit opera, illibenterq́; paret: &, opus mo

dò

dò exequatur, non illi eſt cura, num ritè, vel minùs ſit abſolutum: & ſi cuipiam incidit defectui, tegit id tergiuerſationibus & mẽdacijs; dici poteſt huius imbecilla virtus. Viuida porrò ſimilis eſt vegeto ſtrenuoq; militi virtus: qui multum exantlat laboris, exantlandoq; oblectatur: nec frigus timet vel æſtum, pericula vel mortem, præmium reſpiciens victoriæ. Ita virtute præditus viuida & inclyta, multum elaborat, omnesq; facilè ſuperat moleſtias, præmiũ contuens: qui poſtea vbi altas iecerit in virtute radices, iam non præmij gratia, ſed nudæ operatur amore virtutis; tuncq; ferè laborem non ſentit: quemadmodum terræ aſſuefactus exercendę; cui adeò obduruerũt ſeu occalluerunt & manus & pedes, vt laborem ſentiret, ſi otioſus ſederet. Multò certè magis viuida in ueris Chriſti militibus virtus, omni ſupereminet labori: lętitiamq; ingeminat, & vires adauget, vbi maiorem experitur difficultatem. O viuida virtus, & fortis, mundò male cognita; vbi tuæ ſunt radices? Certè quidem niſi in quibusdam te agnouiſſem, qui gloriantur in perſecutionibus, certoq; confidunt non poſſe ſe in

illis deficere; crederem tuas in cęlo ſitas radices, tibiq; non eſſe in terris domicilium. Beatus qui te poſsidet: ſemper enim Chriſto increſcet Crucifixo, qui viuida eſt virtus & fortis. Contemplare te hic, quę tibi inſit virtus; ſi perfectionem deſideras.

Si perfectè quis compertũ haberet, quãtum Deo teneatur, nedum imitari adniteretur Sanctos: ſed & omnes vellet anteire: non quidem proprij cauſa commodi, ſed in Creatoris honorem ſui: immodicoq; illum impellente feruore diceret. O Patriarchæ, Apoſtoli, Confeſſores, Martyres & Virgines. ô Angeli omnes, locum mihi concedite, adſim Chriſti tribunali. Adeò enim me ſentio illi aſtrictum; tantæq; mihi illi habendæ gratiæ, vt non vos ſimul omnes poſſitis meę facere ſatis rationi, quam contraxi. Cùm igitur me ſentiam, quàm veſtrum aliquem, illi obligatiorem; partiũ eſt mearum, vt exoptẽ virture vos antecellere omnes. Quis veſtrum profundam gerit humilitatem? Intendo ego ante illum fieri; mãcipiumq; me reddere minimorum eius ſeruulorum; meq; agnoſcere omnis cauſam, quem vnquam ſuſtinuerit, cruciatus. Quis

veſtrum

veſtrum magnanimus ſibijpſi deuincendo? Volo ego vincere illum: nedumq; omne perpeti malum; ſed & illud excupere, in corpore & anima: prouocaboq; omnem aduerſus me cũ Creatore creaturam, mihi oĩa inferant mala; nihil enim quicquã horreſco. Quis veſtrum charitate affluit; non inquam imaginaria, ſed vera & perfecta? nolo illi concedere locum. Sum enim proximi in ſalutem promptus, qui corpus exponam & animam, famam & exiſtimationem: itaq; volo Deo eſſe anathema, vt nedum gloria velim priuari nondum poſſeſſa; ſed & vbi poſsiderem, expoliare meipſum volo, igneq; veſtiri Tartareo; modò Deo quod libitum eſt, faciam.

Ita ſemper optimorũ collatione, examinare ſeipſum deberet homo. Vti D. faciebat Antonius: qui è quolibet florem ſeligebat virtutum, deſiderans ſibijpſi vnus colligere, quod cæteris erat diſperſum omnibus. Neq; etenim ſatis deberet illi eſſe, Paulo æquari, Ioanni, Franciſco, vel Dominico: ſed & experiri omnes antecellere: cùm hoc non Deo ſit impoſsibile, nobis'ue vituperabile. Neq; verò putes Deum te præcel-

lentem non velle ſanctum : vel ſanctos nolle aliquem ſibijpſis anteferri : vti vſuuenire ſolet in Principum curijs . Vellēt enim Sãcti pręcellentiores ſe videre Sanctos ; qùò ampliùs honorificetur Chriſtus . Niſi igitur tale geris deſiderium , ſcito magnũ tibi ſupereſſe emetiendum itineris ſpacium : quod (niſi ſnĩam mutes) abſoluere minimè poteris . Magna etenim modico nõ acquiritur perfectio deſiderio ; immò modici non fuerit operis , ſi magno cum deſiderio perfectę acquiri poterit ſummum virtutis . Regnum etenim cęlorum rapiunt violenti ; fraudantur illo negligentes . Quare hac contuere collatione, tua quæ ſit perfectio .

Quoniam verò ſanctum ait Euangeliũ ; Dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri ; canitq́; Propheta ; Ego dixi vos Dij eſtis ; & filij excelſi omnes ; ęquum eſt, vt ſupra omnium perfectionem creaturarũ, Sanctorũq́; omnium, ęqualitati aſpiremus Dei ; neq́; à tanta degeneremus nobilitate noſtra ; cùm pręſertim illeipſe huc nos inuitet . Quod certus ſum impoſsibile viſum iri tepidis ; iudicabunt enim velle ita Deo ęquari, pręſumptionem eſſe exitialem; qualis fuit Luciferi .

ciferi. Ego autem dico; temerarium non eſſe, id velle quod vult Deus; ſed inſignis quidem eſt arrogantiæ, non velle eius ſubmitti voluntati. Quod ſanè fit à tepiditate, priuati plena amoris; q̃ tãtã minimè vellet patientiã, charitatẽq; tantã, quanta Dei decet filios. Placet.n.ſibi in mũdo & defectibus. Porrò ſi humili ex obedientia, non ꝓprijs innixus viribus, huic aſpirabis gradui; non Luciferum referes, qui præ ſuperbia deiectus fuit ad Tartara: ſed ſimilis eris Chriſto; qui quòd ſe humiliauit vsq; ad Crucis ignominiam, exaltatus eſt ſuper omnem ſublimitatem.

Ait huic propoſito quidam Ethnicus philoſophus Mercurius Trimegiſtus: Niſi ſimilem æqualem'ue ſe faciat homo Deo, nunquam poterit illũ cognoſcere. Omne etenim ſimile à ſuo agnoſcitur ſimili. Cuius ſanè cùm ſit vera ſententia, teporem confuſione obruere deberet noſtrum, cui minus eſt luminis, quàm fuerit pagano iſti. Aio igitur hominem æqualem debere Deo ſe facere in omnipotentia; vt quemadmodum omnia Deo ſunt poſsibilia, ita tu tuo omnia poſsis in microcoſmo, hoc eſt paruo

mundo,

mundo, qui es tuipſe: vbi imaginem geris ſuperſanctiſsimæ Trinitatis, Angelorum miniſterium, cælorum influxum, elementorum virtutem,& animantium. Si etenim tuijpſius eris dominus, omni imperans tuæ affectioni & cogitationi; Deo eris, iuxta modulum tuum, æqualis. Si etiam teipſum agnoſcis & Deum; fiesq; vnus, ex amore, cum illo ſpiritus, eris omniſcius, quoniam omnia in Deo ſcies intelliges'ue. Siq; Chriſtum duntaxat cordi geres Crucifixum,qui vera eſt ſapientia, eris & omniſapiens. Pari ratione ſi omnẽ peccati à corde tuo propuleris amaritudinem, Deo æquabere eius in bonitate, nihil tibi aſſeruans malitiæ: cumq; Deus ſemper ſit glorioſus & iucundus, ſi omnem à te ablegaueris ſolicitudinem & triſtitiam malam; omniq; de aduerſo Deo laudes referens collætabere; eris & illi ſimilis in gloria.

Hanc tu ſi cognoſcens præcellentiam, non ſtudes illi capeſſendæ; diuinoq; aptari nutui, qui te omnino vult ſibi ſimilem; certum habeas diſtrictè te inde iudicatum iri. Tum verò planè comperies ipſiſsima te degeneraſſe ex negligentia; noluiſſeq;

tuo

tuo ſimilem fieri patri: vt iuſtè eius hæreditate, filijq; titulo æternùm priueris.

Quomodo habere ſe debeat homo in hominũ frequentia; dandisq; cõſilijs optimis & explicitis, abſciſsis ſuperuacaneis omnibus & curioſis ſciſcitationibus. Vti etiam ſe habere in diuinis viſitationibus, & raptibus, & miris, vbi occurrant. C. XI.

SACRVM ait Euangelium: Nõ poteſt abſcondi ciuitas ſupra montem poſita: neq; accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum; vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Innuens nimirùm ſanctitatem verã eluceſcere, radiosq; ſuos diffundere longè lateq;: tametſi ipſa ſe ex humilitate velit quammaximè tectã. Vti priſcis legere eſt de eremicolis; quò multi attrahebantur eorũ odore ſanctitatis: neq; itineris parcebant difficultati, & aſperitati: quò etenim ampliùs ſeipſos celatos volebant, eò ampliùs eos manifeſtabat Deus. Indicium eſt igitur perfectionis, à

multis

multis & per epiſtolas, & coràm inuiſi: nõ quidem terrenæ magnitudine ſapientiæ, ſcientiæ'ue curioſitate, vel mirabilium nouitate; ſed ſolùm edocẽdæ gratia viæ Chriſti Cruciaffixi, in propriæ abdicatione voluntatis, radicitusq́; euellenda omni inordinata affectione.

Igitur ſi minimè ab hominibus frequentaris; modici argumento eſt luminis, cui non poſſunt alij participare. Verùm ſi frequentaris; reſpice vti ſis immobilis, tàm ad dolorem, quàm ad gaudium; numq́; te perturbet externæ priuatio quietis; delectent'ue laudes et blanditiæ. Hoc dico; quoniam difficile eſt admodum multis bonis in operibus non moleſtari ab aliqua inani gloria. Verus autem Chriſti imitator tantam, eius opitulante gratia, peruenit ad puritatem, vt priuatam omnem ſub pedibus ſibi ſubſternat complacentiam.

Oportet, ex his quæ diximus, perfectũ hominem perfecta & explicita ꝓximo ſuggerere conſilia; nõ pura ex imaginatione, vel viſione, vel ſomnijs, vel acquiſita ſcientia; ſed ex ſuperno Spiritusſancti lumine; nihil ſuumipſius reſpiciendo compendium

vel

vel diſpendium, aliorum'ue: ſed purum Dei honorem.

Multum ſanè diſtant perſectorum conſilia, & cæterorum; etſi doctrina polleant. Iſti etenim conſilia proferunt indeterminata, & hincinde argumentantur, explicitè non promentes, quid agendum: ita vt con ſulens ſuo maneat cum conſultore confuſus. At veri Chriſti famuli, quoniam non ſuiſipſorum vident oculis, immò Chriſtus eſt, qui videt, & loquitur in ipſis; conſiliũ ſuggerunt ſtabile, ita vt nihil ſuperſit audiẽti dubitationis: qui ſi non ita ritè ſit affectus illi plenè exequendo; illi commiſerentur, orantq; diuinæ capax fiat adimplendæ voluntatis. Quo teipſum cõtueri debes in ſpeculo.

Non aliàs dicere poſſumus de ea, quæ cum decet, prûdentia, qui à multis frequentatur hominibus, dandis negandis'ue, quæ conueniunt, reſponſionibus. Nonnulli etenim infructuoſa ſciſcitantur: veluti, nũ eorum defuncti locum obtineant ſalutis: num eorum filij vel amici peregrè agentes bene habeant, vel ſecus: num illi feliciter euenturum ſit in Monaſterio, vel mundo.

Alij

Alij interrogant num penuria ſeu caritas futura ſit annonæ; vel peſtis; cui'ue cedet victoria Principantium. Quibus præſtiterit ſilentio reſpondere: omnemq; curioſam abſcindere interrogationem. Hoc enim errore nedum mundana fouetur curioſitas; ſed & periculo exponuntur Dei ſerui aridę & occultæ cuiuſdā ſuperbiæ. Permittit enim Deus, vt verum diuinantes, magni fiant nominis penes curioſos homines: paulatimq; è ſeruis Chriſti, fiunt ſerui Diaboli. Planeq; ego fateor, complures me nouiſſe tales, qui facti ſunt incorrigibiles: ſibiq; adeò tribuunt ipſis, vt aliorum non poſsint demitti ſenſui, Quorum tibi ſit ruina perpetuò in exemplum, vt aliud non edoceas, quàm rationem perfectam acquirendi omnium paſsionū mortificationem, veramq; Chriſti Cruci affixi imitationem.

Aliud nō leuius cōtingit periculū ei qui ꝑfectionem appetit, circa nēpè viſiones, & apparitiones Sanctorum. Licet enim perfectæ hoc ſit indicium puritatis; vt de Virgine legimus ſuperbeatiſsima, quā viſitauit Angelus: necnō & de D. Catharina Senēſi, alijsq; compluribus; attamen quò maioris

id

id eſt muneris, eo maius ibi deliteſcit periculum. Transfigurat enim ſe Satan in Angelum lucis: multosq́; legimus ita fuiſſe deluſos.

Cui ni velis impingere laqueo, hoc tibi relinquo documenti, vt nunquam expetas, facile'ue huiuſmodi fidem adhibeas: ſed ſtude tantum talis ſis, qui ſuperna dignus eſſe poſsis viſitatione. Quemadmodum neq; etiam ambiri debet Prælatura, ſed virtutes, vnde meritò preferri alijs poſsis. Si etenim viſitationem velles Sanctorum, vel prælationem citra merita; præſumptionem incideres, deludererisq́;. Igitur ſi qua tibi occurreret apparitio; cõfeſtim teipsũ reſpice, agnoſceq́; te peccatorẽ: fidenterq́; pete; qs ſit, qui tibi comparet. Si reſpondeant ſe eſſe Angelos, vel Sanctos; obuerte illis terga: erraſtis (dicens) viam: non etenim inuiſunt Sancti flagitioſos, qualis ſum ego. Neq; verò offenſos, hinc tibi illos verearis: nam ſi verè erunt beati, non tua aufugient ex humilitate: immò ampliùs perſiſtent; & eò magis, quò firmiùs tua perſiſtes in demiſsione. At ſi maligni eſſent ſpiritus: nequaquam tuam ferre poterunt humilitatẽ.

Quæ

Quæ dicuntur de viſis, dici poſſunt & de raptu,ſeu ecſtaſi:vbi ſanè aduigilare quã maximè oportet, ſi omne volumus vitare erroris periculũ. Qm̃ verò hac de materia ſcribunt D. Vincentius, & Riccardus à S. Victore, breuibus volo ego pertranſire. Dixerim tantùm, raptum fieri nonnunquã ex infirmitate cerebri, vti in phreneticis contingit, & furioſis. Nonnunquam forti ex imaginatione: quod natura eſſe poteſt,& citra deuotionem. Nonnunquam ope fit ſpiritalium nequitiarum: hocq; ſæpe vſu venit,noſtris præſertim temporibus. Cęterùm raptus bonus fit à Deo, & ſanctis Angelis: aliudq; non eſt,quàm eleuatio ad diuina: quò anima nunquam poſſet propria pertingere virtute: quod purioris ſignum eſt vitæ. Et, vt idem teſtatur Riccardus; Niſi anima ſubleuetur à Deo tales ad exceſſus, nondum perfectam conſecuta eſt charitatem. Solet enim veris eius amicis ſua pãdere Deus ſecreta. Verùm magna horũ eſt penuria. Proinde hoc ſi tibi fit; cõſidera diligẽter,nũ qua tibi inueniat̃ imperfectio. Non enim verus manet raptus cum imperfectis, ſenſus'ue amatoribus; neq; cum illis

qui

qui comminiſcuntur ſibi imaginariam Paradiſum: ſed cum innocētibus, demiſsiſq; ad centrum uſq;: quibus verba non ſuppetunt poſteà, conceptus'ue, vnde id exprimant, quod ſunt contemplati.

Inter cætera Spiritus ſancti dona eſt virtus miraculorũ. Vbi circunſpectione opus eſt prouida; vt omnis accepta feratur hæc virtus Deo: ne'ue quicquam admiſceatur fumuli ſuperbiæ: multum enim difficile eſt hic, ita perſiſtere in humilitate, vt non quiſpiam uſurpetur fauor, vel complacentia præter cōſuetum. Quare perpendere ritè debent huiuſmodi homines, num tali ex opere fiant, quàm anteà, humiliores: an verò ægrè à ſe amoueant fumum illũ proprię exiſtimationis. Quælibet enim modica in huiuſmodi nō repercuſſa moleſtatio, indicium eſt imperfectionis: fieriq; poſſet, vt quanta eſt illorum vtilitas, quibus patratur in corpore miraculum, tantum & inferretur animæ illius, qui id operatur, diſpendium.

Vir ſanctus, ſciens & per malos Deum operari miracula, vim non hîc facit: ſed ſolùm vacat agendis inſatiabiliter Deo gra-

tijs, quod eſt Sanctorum peculiare; nõ autem virtus faciendi miracula. Multi enim Sanctorum hoc caruere dono; quò meliùs ĩ humilitate cõſeruarent. Et ſi q̃dẽ accerſit ſanctus, vt bñdicat ægrotanti; hilariter accedit, Deumq; orat incolumitatem illi impertiat, ipſi verò illudatur; vti deridebant Chriſtum, cùm Archiſynagogi accederet excitaturus filiam à ſommo mortis dormiẽtem: itaq; manet immotus, vt petitionem ſi non obtineat, lætetur, Deoq; gratias agat, non minùs atq; ſi obtinuiſſet.

Vti ſanctus ſuo ſciat tẽpore & ꝓdere & celare ſuas virtutes: victoriamq; referat triplici è Diaboli certamine: perfectamq; poſsideat humilitatem. Demũ vti cordis puritas Monachi ſit finis: vti'ue acquiri poſsit. C. XII.

TAMETSI ſtudeat vir ſanctus ſuas ceteros celare virtutes, potiusq; aperire defectus; attamen nonnunquam agit in eius fundo mentis Deus; perſpicuaq; illi reddit magna, q̃ ibi collocauit, munera: quò habeat

beat vnde amplius demittatur, agnoſcens tantas illi minimè ſe referre gratias, vti tenetur: interneq; abſq; verborum ſono, illũ alloquitur; perſpicueq; illi aperit, quid ſine eius meritis, mera ex liberalitate in ipſo fuerit operatus: vtiq; è ſuperbo, tantæ perduxerit humilitati, vt ampliùs illi arrideant opprobria, quàm antea honores; & è bilioſo rabidoq;, percupidum illũ fecerit patiendi: ſanctificaueritq;, & ſtabilierit adeò in eius gratia, vt nihil vel proſperi vel aduerſi, poſsit ab ipſo illum ſeparare; immò impedimenta omnia maiori illi cõuertantur auxilio. Qua ſanè in collocutione, oportet animam ampliùs ſe ſemper immergendo, demittendoq;, maiori increſcere feruori, diuinæq; gratiarum actioni: habilemq; ſe exhibere maiori, quàm antea, chariſmatum receptioni. Hoc volui dixiſſe; vt inſinuem, nunc celari homines ſanctorum virtutem, nunc à Deo palàm fieri. Vtraq; verò ipſi ratione illi dant gloriã: virtuteq; inaugeſcunt. Beatus ille, qui mortuus eſt omninò, Chriſtoq; transformàtus: didicit enim ille ampliùs humiliari in laudationibus, gloriariq; in ignominijs & diffama-

tionibus.

Nequaquam dici poteſt quis perfectus, niſi Diabolum ſuperauerit, omnibus cum eius verſutijs. Tribus autem potiſsimùm modis conſueuit ille nobiſcum decertare. Primùm tectè intus nos moleſtando, vel iracundiæ, vel inanis arrogantiæ, vel libidinis. Hoc porrò nititur: vt naturam cauſemur, & Deum conſequenter, qui eam plaſmauit; noſtramq; tueamur pigritiam, qui obluctari non nouimus Diabolo, ſuiq; agnoſcere hoc eſſe operis. Hac verò nos ſi non proſternit pugna; alienam induit perſonam, illorumq; vtitur lingua ad maledicendum, ſerendumq; diſcordias. Vti verò priùs attentabat iniuria Deum afficere; ita hîc vellet proximum. Hæ ſunt conſuetiores eius pugnæ, nunc internæ, nunc externæ, nunc ambæ ſimul. Vbi verò his ſe ſuperatum videt vijs, palàm ipſemet aduenit: nuncq; in formoſarum ſpecie mulierum, iuuenumq;, nunc beluarum, monſtrorũq; horribilium, nunc ſub ſpecie Sanctorum ſeſe offert, & Angelorum: vti S. factum eſt Antonio, alijſq; compluribus. Quarũ omnium fraudum, ſi oculos ſemper habebimus

mus ad Dominum, proculdubiò erimus victores. Tribus hiſce rationibus nos impetit Diabolus: ſed vt plurimùm ſuperioribus duabus, raro autem poſtrema: tametſi hæc ſola illi aſcribatur; in cęteris autem naturã arguimus, vel proximum. Vide igitur quis ſis.

Omnibus nos contemplari debemus in virtutibus: at præcipuè in humilitate, quæ omnium eſt ſpeculum virtutum. Quam ſanè demirandum eſt non omnes amplecti; quãdo eam omnes magnificè & extulerunt Sancti, & poſſederunt: cùm præſertim & ſuperbi eam in cæteris commendent; ipſi verò eam minimè volunt. Famulantes quidem vellent humiles, Præſidesq; minùs arrogantes, & pompaticos; hoc verò ab ipſis propellunt bonum: acſi bona eſſet alijs, ſibi nequaquam. Vti nonnullos audimus di centes: tantam non ego curo humilitatẽ: indolentq; alij, quòd nimis ſe deiecerint. Qui iam fieri poteſt, ſi virtus hæc, quo ma gis exuberat, eò facit meliorem, vt homines eius tantillam adeò velint portionem? Reuerà ſubdubitare me compellunt, neſcire ipſos quid ſit humilitas; ipſosq; ſemper

intumuiſſe: immò ex humilitate quæſijſſe exaltationem; è virtuteq; hauſiſſe vitium. Proprium ſanè humilitatis eſt, ad ima depreſsio. Igitur eſſe non poteſt, vt tu humilis eſſe velis, nõ deprimi: acſi depreſſus velles eſſe, & non depreſſus: humilis, & non humilis. Humilitatem igitur ſi deſideras, appete ſperni & proculcari.

Ideò probra ne fugias, ſi vis eſſe humilis: hoc enim eius eſt peculiare. Aliàs enim fortè ampliori te permittet Deus affici honore, quò magis cõfundaris, peſſumq; eas. Et quidem verè humilis, vbi proprias audit laudes, magnum perſentit dolorem, & moleſtiam: humilitate dein increſcens, æquè mouetur ad laudes, atq; vituperationes; omnesq; illi laudes fiũt maiori ſtimuli virtuti: ita vt ſi ſe bonum audiat dici, adnitatur & eſſe melior: ſanctusq; ſi dicatur, maiori permouetur ſanctitatis deſiderio.

Inuito igitur omnes, vt verè ſimus humiles. Vtq; omnem ritè poſsimus peſſum premere ſuperbiam; vniuerſas in vnũ colligamus noſtras laudes, honores, fumulos, inanes glorias, reuerentias, exiſtimationes, amplitudines; caudæq; appenſas venera-

bilis

bilis Aſini, rogitemus illum ſuo dignetur coràm nobis impenſiùs adolere thuribulo, noſtram in cõfuſionem: vt dicere poſsimus cum Paulo: Mundus mihi crucifixus eſt: & ego mundo. Quò ſanè paucifsimi perueniunt: multi enim laudes odere; ſed non amant opprobria: neq; adeò ſunt mundo crucifixi, vt dicere poſsint: Gloriabor in infirmitatibus meis; vt inhabitet in me virtus Chriſti.

Si Monaſticen profiteris, ſeu religioſum quodpiam inſtitutum; attende imprimis, quis proximus ſeu immediatus ſit finis, ob quem hoc aſſumpſiſti inſtitutum. Dices, vt vitam conſequare æternam. At, inquã ego, hic vniuerſalis eſt omnium finis fidelium: quî iam illum attinges, quem ignoras, ſcopum? Hinc profectò tanta oritur tepiditas & diſſolutio in Cænobijs; quoniam nedum iugiter (quod foret imprimis neceſſarium) fini non aſpiratur: ſed nec vel agnoſcitur. Aio igitur, deſtinationem Deo dicati eſſe, quam ponit Euangelium: Beati mũdo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Ideoq; erecta ſunt Monaſteria, vt ob longiquitatẽ à ſeculi curis, leuiori negotio adipiſci poſ-

ſimus cordis puritatem: quod non ita in mundo agentibus eſt conceſſum; qui pietatis diſtringũtur operibus, curaq́; familiari, ac terrenis negotijs: Deum tamen intendentes, ſperant & ipſi conſequi ſalutem.

Iam quid ſit puritas ſeu munditia cordis, declaro. Vbi quicquam ſit cæno oppletum, dici non poteſt mundum: at ſi omni depurgetur macula & ſorde, dicitur mundum: ſi verò & pingatur, inauretur'ue totum; nõ auſertur, immò augetur eius mũditia. Ita fundus noſter, vbi immundis oppletur cogitationibus, vel pecuniæ, vel luxuriæ, vel iracundiæ, inconſultarumq́; dijudicationum; dici poteſt immundus. At vbi dulcem in ſe pingit Chriſti paſsionem, ſanctorum'ue memoriam præteritorum, proponitq́; velle perfectam acquirere humilitatem, vel inuictam patientiã; fit pulcher, & purus, ſeu mundus: omnibusq́; ſuauiſsimam reddit odoris ſui fragrantiam: vti diuinus inquit Apoſtolus: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Breuibus comprehendam, omnis præter Deum cogitatio cor reddit impurum: Quandoquidem omnia infra Deum eius deturpãt pul-

chritu-

chritudinem. Quis iam exprimere valeat mundi pulchritudinem cordis, Deoq; pleni, in quo nedum ſibi complacent Sancti, ſed & ipſe Deus, qui dicit: Delitiæ meæ, eſſe cum filijs hominũ? Diſcute igitur teipſum ô religioſe, videq; tot ex horis diei, quot ſis cum Deo, quot ab illo diuageris: aliàs religioſus eris ſine religione, vana erit tua religio, teporemq; ingrediere, qui omni præ vitio, Deo diſplicet. Adnitere igitur omni ſtudio puritatem conquirere cordis: quod tibi nequaquam erit difficile, perfectè tria ſi obſeruaueris vota. De quibus, cùm ſint notiſsima, hic mentionem non habeo, cùm alibi ſuper illis conſcripſerim.

Quoniam verò omnia perſcribere, quæ via poſſunt occurrere in ſpiritali, non minoris eſt res difficultatis, quàm tædij; hæc ſufficiat dixiſſe: cùm non ignorem, ſi quem iuuabit hæc & legere, & operi mandare, augeſcet ille in lumime eorum agnitionis quæ ſuperſunt; Diſcretioneq; affluet, nedum in ſuijpſius regimine, ſed & cæterorum; dijudicareq; ſciet bonum inter, & melius, & optimum: & eousq; poterit hac in vita peruenire, vt gaudeat omni in mo-

leſtia,

leſtia, extremoſq; inter cruciatus internæ redundet lætitia: cõſolationemq; nõ quærens, ſemper conſolabitur: lacrymasq; non procurans, nunquamnon erit lacrymoſus: ſupernasq; non affectans viſitationes, inuiſetur iugiter; fietq; ciuium ſocius cæleſtiũ, vti iam amplius cæleſtis, quàm terrenus.

Cũq; terrã proprij excoluerit corporis multis ieiunijs, vigilijs, & orationibus; omnemq; euulſerit vitij ſpinam; vita perfectus erit in actuoſa: terramq; poſſidebit ſuã in pace: itaq; mundicordis effectus, optimam poſſidebit cum Magdalena in contemplatiua vita partẽ. Quæ multò maior eſt perfectio: illa etenim omnẽ ſuffert proximi defectum: omnemq; calcat voluptatem: viſibiliaq; ſuperat omnia: iſta autem etiam inuiſibilia ſuperat: diuinique capaces reddit influxus: diuinæq; ſedem facit ſapientiæ. At vtranq; ſupereminet & ſuperexcellit, quæ dicitur mixta: quæ agendo contemplatur, & agit in cõtẽplatione. Mirabilis ſanè admodum eſt hæc vita: videtur enim in ſe concludere pugnantia: quandoquidem actiua velit vita ſocietatẽ, opus, atq; diſtractionem: contemplatiua

autem

autem ſolitudinẽ expetat, otium, & vnitionem. Tales extitere Apoſtoli, aliję; cõplures Sanctorum: qui ex abundantia ſpiritus, potentes erant in actione, ſimul & contemplatione.

Dici põt, qui eò peruenit, sãctificatus, confirmatusq; in gratia: tum quòd iam vix poſsit letaliter ruere: tum etiam quòd cõtinẽter lumine augeſcens, de virtute in virtutem, & gratia proficiat in gratiam: vti de Chriſto legimus, qui proficiebat ſapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines. Qui benedictus ſit in omnia ſeculorum ſecula. Amen.

A. P. A.

MODVS

MODVS CONFITENDI breuiſs., his qui grauiora iam vicere peccata, hocq́; frequentiùs excolũt Sacramentũ, vtiliſs. Ex præcedenti extractus Speculo.

QVi vult interno cõfiteri cũ profectu, diſcutiat priùs oportet fundum ſuũ interiorem, Deo illum conuertendo, ſuppliciterq́; implorando, tantũ illi infundat luminis, quo poſsit propriæ contueri maculas conſcientiæ: quas ſuperno minimè poterit conſpicere ſine lumine: vti Propheta dicebat; Delicta ꝗs intelligit? ideoq́; Deum orans, ſubinferebat; Ab occultis munda me Domine; hoc eſt, ab his, quæ ignoro, peccatis. Qua in re falluntur multi, mente nunquã non præteritas retractando culpas, minimeq́; illam Deo ſubleuantes; ita vt fiant ſcrupuloſi, & inquieti, & nun-

nunquam ſe corrigant à vitijs.

Fuſa igitur magis mentaliter, quàm voce tenus oratione, dicat humiliter Confeſſario ſacerdoti; non vti homini, ſed vti Chriſto cuius vicem gerit.

1 Pater, me incuſo; permiſi etenim euagari cor otioſas in cogitationes, cum multa temporis attritione.

2 Non aufugi peccati occaſiones; ſed potius inde ſum delectatus; vti ſunt multiloquia, aſpectus, auditus, & lectio inaniū, & inutilium.

3 Non puro potiſsimùm diuini honoris intuitu bona ſum operatus; ſed vel pœnæ timore, vel amore præmij; ita vt ſemper fuerim mercenarius.

4 E præteritis non noui quicquã haurire fructus culpis; nempè fieri cautior, humilior, proximo'ue magis compatiens; ſed procidi tali ex recordatione in puſillanimitatem, animumq; deſpondi.

5 Cùm multo expectatus ſim à Deo tẽpore, non geminata compenſaui hoc beneficium pœnitentia.

6 Sæpe bona non itero propoſita, prout inſpirat Deus: & ſi quidem id facio, imbecilla

becilla ſunt, & modici feruoris.

7 Non potui à me abdicare recreationem omnem, & colloquium infrugiferũ: tametſi diſpendium perſpectum habuerim, decreuerimq; talia vitare.

8 Talis non fui in cætu, qualis in ſolitudine: ſed perſenſi animum variari meum, iuxtà locorum & hominũ varietates: quod imperfectionis eſt argumentum: perfectus enim vbiq; lucratur.

9 Vbi contigit quicquam inſoliti, putà videre ſpectaculum, vel nuntij audire quidpiam de amicis & cognatis, ſeu proſperi ſeu aduerſi; alterationem in me ſenſi: neq; etenim pia immotus fui in cogitatione: ita & vbi quicquam præſtolatus ſum, cor ſenſi inquietum.

10 Pijs non potui perſiſtere in meditationibus: neq; operam dedi vt contrarias pellerem cogitationes.

11 Patiens non fui, ſedatusq; negotijs in peragendis, ſed importunus, maturè nõ expectans & locum & tempus: ſi verò præter votum mihi contigere, pænam ſenſi & diſplicentiam.

12 Oblectatus ſum videndis pulchris,

&

& audiendis curioſis: ſolumq; non quæſiui omni in re ſpiritum.

13 Cum domeſticis fui iracundus, cum grauioribus hominibus manſuetus: quod modicæ ſignum eſt humilitatis; quæ aliò non reſpicit, quàm in Chriſtum.

14 Proprij fui capitis, & contentioſus, vel in rebus nihili, citra veritatis zelũ; ſed priuato meijpſius amore.

15 Plenus fui tædij & triſtitiæ; ſæpeq; cauſam ignoraui: ſed video immodico id eueniſſe meijpſius amore, modicaq; in Deũ fiducia.

16 Mundanos ob reſpectus multis ſuperſedi bonis peragendis; ſæpeq; veritatẽ ſubticui; conſuetudinemq; vitaui pauperũ, & humilium ac piorum hominum.

17 Nõ æquè tuli, humiliterq; ſubiectionem; ſed perſuaſum habui meliùs me ſcire regere: ſicq; proximum dijudicaui meum.

18 Immodicam ſenſi teneritudinem ſeu animi propenſionem ad aſſines, amicos, meq; ipſum: nonq;, hoc præpeditus amore naturali, odi Dei offenſam omni in homine.

19 Si læſus fui, non illam geſsi promptitu-

ptitudinem me deijciendi, illosq; ex animo diligendi, qui me offenderant, vti fecit Chriſtus Iudæ.

20 Non tuli patienter in fratre meo defectum omnem; vti infirmitatis, ſenectutis, delirationis, & huiuſmodi.

21 Non fui compaſſus voluntarijs defectibus; prout ſunt Dei offenſiones: ſed indignatione ſum correptus aduerſus peccantes.

22 Vbi quid mihi cõtigit tribulationis, non omnia ita lætanter ſuſcepi, acſi manu offerrentur Dei mei.

23 Promptus fui dijudicando proximo meo; deterioremq; interpretãdis eius operibus in partem. Suſpicatus & ſemper fui malum: ægreq; bonum credidi.

24 Cauſatus ſum meis de culpis alios, qui me prouocauerint; vel naturales meas propenſiones: acſi malè me deus condidiſſet: neq; meis hauſi è miſerijs, & grauantibus ponderibus, qui par fuerat, fructum; vt gratia vincerem naturam, Deoq; gloriã darem.

25 Dum ſanctis conuerſatus ſum homi nibus, fructum non quæſiui ſpiritus: ſed

inanem

inanem curioſitatem : oblectatusq; ſum vidiſſe, vel audiſſe, citra imitationem aliquã.

26 Non exuperaui ſeruilem omnem & infructuoſum timorem, mortis quippè, ægritudinis, iudicij extremis, gehennæ, ſimiliumq; : quod à defectu fit charitatis, omnem quæ foras mittit timorem.

27 Non conatus ſum perfectum illud pertingere ad meijpſius odium, priuatæq; omnis fractionem voluntatis.

28 Præteritas recolens culpas, mœrui timuique immodicè: neque verò ex illis perfectam vêni in Dei fiduciam; ſed tempus inſumpſi multum in ſcrupulis.

29 Bonis voluiſſem agnoſci in operibus : intusq; inde mihi complacui: iuuitq; inde laudari : nonnihilq; in illis ſum præfiſus.

30 Non mihi libuiſſet, talem me toti agnoſci mundo, qualis ſum reuerà, præ defectu humilitatis, propriaq; ex ſuperbia.

31 Nõ ſtudui ea ſcire omnia, quæ meo expediunt profectui; ſed ignorationẽ ſum cauſatus : quodq; noui, non fideliter operi mandaui.

32 Oratio mea magis fuit vocalis, quàm

mẽtalis: neq; enim in illa pefectã habui internam attentionem.

33 Orans, minimè ſum confiſus ea omnia impetrare, quæcunq; petierim: ſed animo hæſitaui.

34 Non ſupra imagines me extuli corporeas, diuinę aſpirãs vnitioni: ſed in friuolis ſum moratus.

35 Gratias Deo non retuli de omnibus quæcunq; illi viſum eſt mihi impartiri, vel negare: immò iuxtà meam voluiſſem petita voluntatem, puro ipſius me non reſignans nutui.

36 Vbi internam mihi ſubtraxit Deus dulcedinem, libenter non perſtiti orationi, animum'ue conſeruaui tranquillum, perinde atq; in ſenſibili gratia & delectatione.

37 Non æquè tuli, libenterq́;, quæcũq; in me voluit Deus: ita vt mentis ſenſerim inquietudinem.

38 Non meam purificaui intentionem omni in actione mea, & perpeſsione, vt om nia Deo dirigerem, perfectæq; Chriſti Crucifixi imitationi.

39 Zelus non me comedit lucrãdi animas Chriſto: eoq; non deſtinaui & verba,

& acta mea ſingula: ſed & bonis in operibus meipſum reſpexi; non totum me ſaluti impendens proximi.

40 Vbi impartitus ſum conſilia, lumine carui dirigendi vnumquemlibet iuxtà propriam diſpoſitionem & captum; ſed documēta dedi vniuerſalia, & frigida, minimeq́; interna prædita cognitione.

41 Non ſtudui prorſus mori mūdo, fieriq́; ferè inſenſilis ad læta omnia & infauſta: ſed ſemꝑ nōnihil priuatę mihi aſſeruaui affectionis, quæ opus in me præpedijt Spiritus ſancti, fructūq́; non permiſit afferri perfectum; vti ſcriptum eſt: Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuū fuerit, ipſum ſolum manet.

42 Perfectam illam non geſsi internam firmitudinem omni in loco, & omni cū homine: ſed me dimouerunt varij reſpectus; quorum gratia ſinceram non protuli veritatem, auſusq́; non fui cōtriſtare homines.

43 Diuinam non nutrij inſpirationem pio deſiderio, firmoq́; propoſito: ſed deferueſcere ꝑmiſi, mea ex tepiditate: ita vt ſemper fuerim ingratus: diuinamq́; fraudauerim vocationem.

44 Non animũ habui, propria ex ignobilitate, illuſtrem & excelſum, vt illas aſpirarem arduas ad perfectiones, ad quas inhiabat Paulus: ſed ſat mihi fuit modica virtute: voluiſſem enim & hoc gaudere mundo, ſimul & alio; neq; me prorſus exuere ipſum.

45 Hominum in cætu non perfectè fui humilis: eademq; nõ ſum proſecutus amoris indulgentia qui me ſpreuerunt, vti qui laudauerunt, & ſunt blanditi.

46 Sæpe reſpõſum dedi his, quibus prȩſtiſſet ſilẽtiũ ponere: ſicq; me coaptaui aliorum ſermonibus; tametſi agnoſcerem, debere me ſermonẽ inuertere ad pia & vtilia.

47 Non omni in mea actione fini intendi: immò ſæpe egi animi dubius in incertũ.

48 Defeci multifariàm in Diſcretionis virtute: primùm in Dei contuitu; non illũ immensè amans. Dehinc priuato & in cõmodo; virtutem non amans in Deo, ſed in meipſo.

49 Ita non totus fuit donatori affectus meus; ſed dono ſum oblectatus: fuiq; veluti mercenarius.

50 Diuinis non perfectè me deieci in

viſitationibus : neq; inde maius ſum indeptus meijpſius odium : ſed mihi ipſi placui : voluiſſemq́; in illis perſiſtere nonnulla propria cum delectatione.

51 Tempus non noui obſeruare celandæ prodendæ'ue, quam mihi impartitus eſt Deus, virtutis, in proximi ſalutem : ſed ſæpe meipſum celaui, ſub ſpecie humilitatis : ſæpeq́; me prodidi, ex inani gloria : ita vt vtrinq; fraudauerim proximi ſalutem.

52 Non perfectæ intendi illi meijpſius demſsioni, quam docuit Chriſtus.

53 Non fructum hauſi omni ex tentatione inimici ; neq; concupiui certamina, & contradictiones : prout fecere Sancti.

54 Non perfectæ ſtudui conquirendæ cordis puritati ; vt ſolùm de Deo cogitarẽ : omnemq́; fugerem alienarũ miſturam imaginum, perſiſteremq́; aſsidua in eius laude.

55 Poſtremò me incuſo, quòd vita mea vniuerſa defectibus redũdet, & culpis ; cũ externis, tũ etiam internis in ſenſibus ; multo verò ampliùs, quàm me norim incuſare : oĩum me incuſo ; veniãq́; peto à Deo. Am.

EXPLICIT.

FERVENTISS. VERBI DEI PRAECONIS, ac contemplatoris excellentiſs.

D. SERAPH. FIRM. CAN. REG. LATERAN.

breuis in Apocalypſin D. Ioannis Apoſtoli enarratio.

Vbi oſtenditur adueniſſe Antichriſti Præcurſorem vltimum Luterũ: longeq; nó abeſſe plagam,ab eo prędictam ſexto in ſigillo. Opus ſanè Chriſtũ ſitien tibus,interneq; illũ vſq; meditantibus,quāmaximè vtile atque neceſſarium

Illuſtriſs. D. Lucretiæ Picæ, Rangonæ, in Chriſto cumprimis colendæ.

EVERE complures Illuſtriſs. Domina, qui cupidi nouiſsimorum temporum habere notitiã (vti natura homines noua ſcire appetunt) attentauerunt prophetare

phetare de aduentu Antichriſti, iudicioq́; extremo: q ſi veritate adeò polluiſſent, ꝓut extitere curioſi; non decepiſſent vnà cum alijs, ſeipſos quoq;. Quo ex incómodo & aliud proficiſcitur periculoſius: nēpe, quòd homines iterumq́; iterumq́; falſis decepti prædictionibus, haudquaquã veritati aures præbebunt: vnde incauti, improuiſiq́; irretientur, incautæ more auis; vt ſacrum conteſtatur Euangeliũ. Qua ſanè ego à temeritate eò volo longiùs abeſſe, quò plures huic vidi comprehenſos laqueo. Non tamē temeritatis penes Illuſ. D. V. notabor, ſi tēporum noſtrorum nonnihil illi afferre conabor cognitionis. Vti enim ea demum eſt amentia, velle Dei penetrare, quæ ſibi reſeruauit, arcana: ita id non conſpicere, quod præ oculis habemus, mentis indiciũ eſt cæcę & obſtinatæ. Verumenimuerò inter omnia ſcitu digna, eſt Antichriſti aduentus: propterea quòd inde poſsimus & de conuerſione gentium, & de extremo iudicio certiſsimam habere coniecturam. Erit & tempus illud tãta redundans malitia, vt ſurgenti in eccleſia multi inde ſint perterrefacti: ideoq́; hortatur Paulus Theſſalonicen-

ſes, vnà ſecum Deo gratias agere, quòd cùm primitias recepiſſent ſpiritus in ſalutem, maligna vſqueadeò non viderent tempora. Vbi, quę noſtra ſit durities, perſpicuum eſt cernere, quando illi longinquo penitus timebant à periculo, ſecurè nos & oſcitanter agimus in præsēti: vt dicere poſsimus, pręripuiſſe illos eum, qui nobis iuremeritò deberetur, timorem.

Planè niſi fuſcarētur peccati nebula oculi noſtri, facilè id perſpicerent, quod tot iam ſeculis eſt prænuntiatū: quæ etenim priùs erant abdita, iam labentibus annis facta sūt in propatulo. Verùm timeo, timeo planè, id nobis eueniat, quod olim Hebræis: qui minimè præſentem agnouere Meſsiam, quem tot iā anteà prȩnuntiauerant ſeculis. Quis iam dubitet prope adeſſe Antichriſtū, cùm iam vidimus cōparuiſſe magnum eius ab Aquilone Præcurſorem? quî ambigemus de Gentium ad fidem vocatione, ſi in nouis Indiarum regionibus; quæ & ſitus magnitudine, & populorum frequentia, totam vincunt Europam: paſsim inſonare nō ceſſat Euuangelij tuba? quis dubitationi locus de toties prędicta Babylonis plaga, ſi iam ꝑ
parte

parte noſtris heu nimium completa eſt damnis,in ſuperioribus calamitoſis triplicis flagelli anguſtijs? iam verò horrenda è cęlo ſurſum, & è terra deorſum prodigia, obfirmationi ſociata hominum, portendũt breui & conſummandum id quod ſupereſt. Ita Deo placeat non eius incauti obruamur ruina,vti non multa hinc ſeneſcentes in tẽpora,illam planè experiemur.

Dolore itaq; tactus ĩtrinſecus, quòd atra vſqueadeò & obſcura reſeruemur in tempora,quando & diuinæ Scripturę, & diuinę conſummabuntur plagę: altiusq́; mecum ipſe diuina ſuper Ioannis reuelatione immeditans,ſilentio pręterire non volui, quid inde ſentiam. Stupeo autem mirum in modum, quomodo non videant homines, cùm iam pleraq; adimpleta ſit in parte, citò & parum id, quod ſupereſt, adimplendum. Verùm & ſecura hæc, ac ſupina prorſus hominum incogitantia cùm prędicta fuerit à B. Ioanne,in tenebroſa fumi caligine,quam quinta videt exeũtem in tuba ab abyſſo,quę noſtra reſpicit tempora; conſequitur hominum ĩcredulitarem non tollere,immò hanc confirmare prophetiam. Quandoquidem

penes

penes cętera multa huius veritatis argumenta, hoc vnum deerat pro vltima perfectione, vt, cùm ſit inſtar Solis lucidiſsima, minimè agnoſcatur.

Cæterùm nocturnis, ac lucifugis animãtibus eorum derelictis in cauernis, noſtra intereſt eò magis in lumine increſcere, quò ipſi ampliùs increſcunt in tenebris: ne minorem adhibeamus vitæ capeſſendæ diligentiam, quàm ipſi morti adeũdæ. Quare cùm breui quadam elucidatione myſticam percurrerim Ioãnis Apocalypſin, volui paruulo hoc Illuſtriſs. D. V. decorare munuſculo: ſi non meritis æquali ſuis, ſaltem viribus pari meis. Quam ſimplicem lucubratiunculam ea, qua offertur à me, animi pietate accipiendo, nedũ fruſtrà non erit: ſed & pijs afferet mentibus terrorem, ſimul & conſolationem. Videntes enim imminentia inde pericula, diuinum hinc ſubſidium, adducent oẽm vt transferant ſpem à mũdo cæco, indiesq; magis in præceps ruente, in Chriſtũ Cruci affixũ. In quo viuat ſecura.

V. Illuſtriſs. D.

Addictiſsimus Seraphinus Firmanus, C.R. & Concionator immeritus.

In

In primum Cap. Apocalypſ.

Omnes veteris teſtamenti prophetiæ finem habuere in Io. Baptiſta: in quo nouũ ſumpſit initium. Cùm autem non deberet Eccleſia inferior eſſe Synagogæ prophetico in lumine; vti alijs ſuperexcellit in ſpiritus dotibus; æquum fuit totum eius reuelari proceſſum. Quod ſanè arcanũ non alij magis decebat adaperiri, quàm Ioanni; vti magis capaci, cum ob intellectus excellẽtiam; tum ob Chriſti amoris prærogatiuàm, qua præ cæteris fuit inſignitus. Ita ſolent altiora Dei myſteria charioribus eius manifeſtari amicis.

Hoc recipit Ioannes à Deo ſecretum, Angeli miniſterio; non ſuperbis aperiendum Philoſophis, ſed Dei tantùm famulis: ideoq; obſcuris inuoluitur viſionũ ænygmatibus: quæ eodem duntaxat, quo conſcriptæ ſunt, explicari poſſunt ſpiritu. Iure autem prophanos celatur hæc veritas, aperiturq; pijs contemplatoribus: vt nonnullis occaſiõ ſit ruinæ, alijs ædificationis. Ideoq; beatos dicit illos, qui legunt, & audiũt verba prophetiæ huius, & ſeruant ea, q̃ in ea ſcripta ſunt: poſtremoq; in Capite maledicit eis, qui au-

deant vitiare, vel imminuere quicquam de libro hoc: comminaturq; eis plagas omnes, quæ in libro hoc continentur. Quò fit vt demirer admodum, quî temporibus noſtris auſi ſint nonnulli temerè aſſerere librũ hũc non eſſe authẽticum, ſeu fide dignum: neq; eſſe Ioannis Euangeliſtæ: qui ſi authoritati nequaquam verebantut contraire Eccleſię, illum Sacris approbantis in Concilijs, atteſtationiq; Dionysij illius Magni, & P. Auguſtini: quorum alter de illo meminit: affirmat alter nonnullos hac de cauſa iudicatos hæreticos: ſaltem horreſcere debuerãt, quæ contra eos hic fulminatur, maledictionem.

Tametſi ſeptem Ecclesijs ſcribat Ioannes, quæ ſunt in Aſia; attamen vniuersę deſeruit eius prophetia fidelium congregationi, vſq; ad mundi finem. Quocircà primùm ſalutat in IESV CHRISTI nomine, qui lauit nos in ſanguine ſuo: mox & ſubdit de vltimo eius ad iudicium aduentu: innuere volẽs, reuelationem hanc, ab initio Eccleſiæ, quę orta eſt in eius ſanguine, ad finem vſq;, quãdo iudicabitur, locũ habiturã: vt ipſe ſit Alpha & principiũ & finis.

Ioannes.

Ioannes in ſpiritu ſubleuatus, ad terribilem filij hominis,hoc eſt Chriſti, apparitionem,fit tanquam mortuus: non etenim ſuſtinet mortalis infirmitas diuinam maieſtatem. Neq; verò tantũ potuiſſet ferre ſplendorem,niſi ipſum confirmaſſet, qui clauem tenet mortis & inferni: quòd illius vterque pareant imperiò. Hinc verò iſtiùs poteſt agnoſci celſitudo prophetiæ, quando nobilis vſqueadeò,in illius defecit contemplatione,intellectus: planeq; nõ miror, ſi nocturni eam libenter effugiunt oculi.

Iure liber hic numero diſtinguitur ſeptenario: qui pręcęteris omnibus myſticus eſt & vniuerſalis. Nam ſeptima die cõpletus eſt mundus: totidemque pariter per ætates voluitur ab eius exordio,vſq; ad finem: ita & totidẽ regitur Eccleſia Spiritusſancti donis: eodemq; clauduntur ſacra myſteria numero: ordines ſacri: opera miſericordiæ: petitiones: remiſsiones: virtutes. Hic & videntur ſeptem candelabra: ſeptem ſtellę: Angeli ſeptem: ſignacula ſeptẽ: tubæ ſeptem: plagæ ſeptem: vt ſignificet, ſeptẽ futuras Eccleſiæ ætates.

Quãtæ porrò ſit præcellẽtiæ hæc ꝓphetia,

tia,illarum comparatione, quæ veteri reuelatæ ſunt in teſtamẽto,conijci poteſt ex magna apparitione,Ioanni facta non iam in celebrato olim ſabbatho; ſed in Dominico die,ſanctificato ob Chriſti reſurrectionem: quæ veteribus ſilentium ponit figuris.Hinc & angelico potiſsimùm non habetur hęc reuelatio miniſtetio (tametſi interueniat & Angelus) ſed per ipſummet Chriſtum,qui dicitur hominis filius. Quem ſi multi videre Sanctorum; nunquam tamen vt hîc: in medio nempè ſeptem candelabrorum; hoc eſt,Eccleſiæ: præcinctum ad mamillas zona aurea; vt inuuat,non ſatis illi eſſe operũ puritatem,niſi omni cohibeatur cor mala cogitatione.

Candor capitis eius non eſt, vt in cæteris prophetis,mutuatitius; ſed naturalis & prorius; vti lanæ, & niuis: vbi innuit eius Eccleſiam in mundi canitie, vergente quippè mundi veſpere,ab eo perſonaliter fuiſſe viſitatam.

Flammantes eius oculi vigorem inſinuãt intellectus,ardorẽq; affectus: vox inſonans oſtendit verbum eius toti inſoniturum terrarum orbi: pedes ardentes, iudicium eius tremen-

tremendum, quo bonos inter diſcernet & malos in extremo die,ſuæ igne iuſtitiæ: conuenienter autẽ gladius ex vtraq; parte acutus, ſententiam ſignat ex eius ore prodituram, in animæ perditionem & corporis, contra reprobos. Septem in eius dextera ſtellę notant ſeptiformem eius ſpiritus poteſtatẽ,per ſeptem principales adminiſtrati, qui in conſpectu throni eius aſsiſtunt, Angelos: neq; verò meliùs poterat huius exprimere claritatem reuelationis, quàm per faciem eius lucidiſsimo comparatam Soli: cuius in aſpectu mundana omnis abſorbetur capacitas.

Vti ſeptem ſunt principales Eccleſię ſtatus, ita ſeptem ſunt huius libri viſiones: in quibus iterantur prædicti ſtatus; tum ob prophetiæ certitudinem ſæpius confirmatæ: tum etiã quòd vnicuiq; ſtatui ſint ſuæ proprietates; quæ modò in vna, modò in altera deſcribũtur viſione. Primus eſt Apoſtolorum ſtatus,Martyrum ſecũdus, tertius Doctorum,quartus Monachorum,quintus Prędicatorum: cui ſuccedit ſtatus & inſtauratio Babylonis; poſtremoq; Antichriſti victoria, cæliq; apparatus.

Ita

Ita & prima eſt ſeptem viſo Eccleſiarũ, equorum ſecunda, tertia tubarum, quarta mulieris Sole amictæ, quinta ſeptem phialarũ: poſt quam deſcribitur Babylonis dãnatio; in vltimamq; deſinit felicitatem.

Primus & ſecũdus ſtatus à Stephano cæpere, eodemq; in tempore: tertius cũ quarto vnà decurrunt à Conſtãtino Eccleſiæ pacificatore: reliqui ſunt & tempore & cõditionibus omninò diſtincti.

Decuit primum citò pertranſire, inſtar fulguris; quò fidem diſſeminaret: ſecundũ diu perdurare, vt multo eã rigaret ſanguine: ſupra etenim trecentos perſtitit annos perſecutio. Doctores Monachiq; eodem fuere in tempore; modicumq; perſtitere: citò enim ob peccatum deficiunt doctrina & contẽplatio: quintus, cuius iam agimus in fine, diuturnus fuit; fortaſſe vt eius iudicium fiat acrius diuina ex longanimitate. De reliquis comperti nihil habemus.

Hac reſpõdent partitione ſtatus iſti illis, qui in veteri erant Teſtamento: vt oſtẽdatur vnum in ambobus fuiſſe Deum; rotãq; in medio rotę: id eſt, in legis decurſu adũbratum fuiſſe Euangelium. Reſpicit Apo-

ſtolorum

ſtolorum ſtatus Abraham cum Patriarchis: reſpondent Martyres diuturnæ ſub Pharaonum tyrannide ſeruituti: ſignati fuere Doctores in Iudicibus: in Regum Monachi regimine, ob regalem omnis culpæ victoriam: qui auſpicati ſunt quintum Prædicatores, Machabæos referunt, ſtrenuos fidei propugnatores; qui in Antiocho deſiere prophano: vti & præſens ſtatus in prophano Aquilonis Hæreſiarcha, cum Eccleſiæ magna adeò vaſtatione, ſuum terminat curſum. Ortus eſt in ſexto Chriſtus; vti & ſperamus renaſciturũ illum in Eccleſia ſua. Vti verò Synagogę ſeptimus extitit ſub alienigenis; ita Eccleſiæ ſeptimus in Antichriſti perſecutione, tametſi in gloriam, terminabitur.

In Cap. II.

PER Eccleſiã Epheſi; quæ vertitur Cõſiliũ eius; non aliud eſt accipiendum quàm Apoſtolicus, qui fuit Chriſti Concilium, ſenatus. Meritoq; iſti laboris commendantur & patientiæ: fuere etenim primi bellatores: minimeq; potuerũt ferre malos: vti

in Iuda cernere fuit, ſolo inter eos malo, nonnullisq; Pſeudoapoſtolis, quos apertè nominat, cùm ait: Qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe: & non ſunt. Quoniam verò citò deſijt feruor, eos arguit, adhortaturq; ad pænitẽtiam: aliàs moturum ſe minatur de loco ſuo candelabrum: vti de Iudæa Apoſtoli tranſlati fuere ad gentes. Ne verò dubitari poſsit, quos ſignificet, apertè arguit facta Nicolaitarum: quorum ſurrexit hæreſis inter ſeptem Diaconos Apoſtolorum tempore. Quoniam verò Apoſtoli deguſtarunt Chriſti præſentiam, qui lignum fuit vitæ; ideò hoc illis pręmium filius hominis pollicetur.

Secundæ Eccleſię, quę dicitur Smyrna, hoc eſt, amaritudo, Martyrum aptatę ſtatui, prædicit tribulationẽ dierum decem. Decem etenim fuere, qui perſequutionem inſtaurauere, Imperatores, Nero, Domitianus, Traianus, Antoninus, Seuerus, Maximinus, Decius, Valerianus, Aurelianus, & Diocletianus nouiſsimus, omniumq; immaniſsimus. Hanc non arguit, ſed ſolatur diabolicũ ne timeat aduerſus ſe cõcitatum furorẽ, pollicens perſeuerãti vſq; ad mortẽ

coronam vitę: & ita moriens Martyr perpetua coronatur vita.

Pergamus ſonat deſiccator vallium: cõuenitq; Doctoribus, quorum eſt ſtudium contemplando valles exiccare ſenſuum, ne diffluant in peccata. Hęc arguitur Eccleſia prauę atq; ſcandaloſæ doctrinę; prout fuit doctrina Balaam & Nicolaitarum: eo etenim in tempore pullularunt hęreſes; Ariuſq; ingentem mouit ſeditionem, alijs cũ pluribus: ideoq; ad pęnitentiam adhortatur: pugnaturumq; minatur ſe cum illis gladio oris ſui; hoc eſt, ſententia eos feriturum excommunicationis, ęterniq; anathematis: vti factũ eſt. Qui autẽ fuerit fideles & victores, manna illis promittit abſconditum; peculiare contemplantium præmiũ: quod nemo ſcit, niſi qui accipit: oẽs enim latet carnales internę ſuauitas cõtẽplationis.

Thyatira ſacrificiũ vertitur laboris: Monachiſq; conuenit: ideoq; fidelis laudatur miniſterij, & patientiæ, in defendenda oratione Eccleſia. Arguitur autem quòd permittat Iezabel laſciuam prophetare, ſeducereq; gentes: quod cùm iuxtà literam intelligi nequeat, aliud non ſignificat, quàm im-

pudicam Mahometis ſectam, quæ quarta in Eccleſia falſis legibus & vaticinijs turbam ſeduxit. His porrò Deus minatur mortem, retributionemq; iuxtà opera eorum: fideli autem victori ſtella promittitur matutina; quę Monachorum eſt propria. Quis porrò futurus ſit huius exitus ſectæ declarat, vbi vẽturum ſe ait, & daturum poteſtatem ſuper gentes, & tanquam vas figuli confractuurum eas: quod propediẽm expectamus factum iri.

In Cap. III.

QVINTA, cuius iã in fine agimus, Eccleſia, dicit Sardis: hoc eſt, pulchritudo principatus: quoniam Prædicatorum ornata fuit multitudine copioſa. Huic dicit; quia nomen habes quòd viuas, & mortua es: innuẽs, plenã illã externis ritibus, ſed ĩterni vacuam vigoris. Ideò arguitur quòd opera ſua non ſint plena coràm Deo, ſed imperfecta: ad vigilantiamq; adhortatur, niſi velit diuinam improuisò ſentire vltionem. Hoc porrò meliùs nos experiẽtia cõprobamus; videntes diuinum nobis ſuperimminere iudicium

dicium; neq; tamen tantum habentes luminis, vt velimus præcauere, peccato exopiti. Paucis tamen illis qui innocentiam cõſeruabunt, prẹmium promittit; quia ſecum ambulabunt in albis. Ipſe enim Scribas inter & Phariſæos ſuam non cõtaminauit innocentiam. Promittit etiam ſe confeſſurũ nomen eorum coràm Patre & Angelis eius. Quod ſanè non diceret, niſi grauiſsimæ forent hac in Eccleſia tentationes ſuper electos; cum ob peccatorum grauitatem, quę ſupra omnem exuberant modum: tum ob frigeſcentem in ſacerdotali ſtatu ſpiritum: tum verò ob myſtici tentationem Antichriſti: de quo quinto latiùs agemus in ſigillo.

Sexta Eccleſia, quę dicitur Philadelphia, quod interp̃tatur, quę hereditatem ſaluat; citò incipiet: in eaq; adimplebitur gẽtium plenitudo: poſt quam omnis Iſrael ad fidẽ conuertetur: in hacq; ſalua fiet, quę fuerat in prẹcedẽti deperdita, hereditas: vnde ait. Ecce dedi coràm te oſtium apertũ: nempè Euangelici verbi: cuius adaperietur virtus vt mundi fiat conuerſio: vti meliùs ſexta declarat in tuba. Quæ ſanè aperitio haudquaquam poterit impediri. Et hoc (ſubdit)

quia licet modicam habeas virtutem: nempè miracula faciendi, prout in primitiua Ecclesia: nihilominus tanta erit vis Verbi, vt (quemadmodum ſubdit) vel illi, qui ſunt de Synagoga Satanæ, cogentur venire, & adorare ante pedes tuos nomen ſanctum meũ. Quoniam verò hac in ætate dira erit Antichriſti perſecutio, ideò non hæc arguitur Eccleſia, ſed conſolatur, dulcibusq́; delinitur verbis. Et quoniam tentationis immanitas, ſuperno abſq; auxilio, erit intolerabilis, ideò pollicetur eam ſe præſeruaturum, citoq́; venturum; ſcilicet ad iudicium: victoremq́; muneraturum; vt & illum colũnam faciat in templo ſuo: hoc eſt nouæ ſulcimentum Eccleſiæ; quę tunc deſcendet de cœlo: & foras non egrediatur ampliùs: ob felicem quippè perſeuerantiam, æternumq́; præmium.

Laodicea, quę eſt, expectata natiuitas; erit vltima mundi decrepitas; in qua natiuitas tantummodò expectabitur immortalitatis. Rectè autem illi conuenit quod ſubijcit: tepidam illam fore: neq; frigidam, neq; calidam; aptam quæ nauſeam prouocet. Erit enim vſqueadeò feruoris vacua, vt

ſe

ſe non agnoſcat miſeram & miſerabilem: ideoq; dupliciter erit miſerabilis. Obſerua porrò, tepiditatem hîc nõ ſignificare temperamentum quoddam calorem inter & frigus: ſed apparentem quandam iuſtitiam, duplo iniuſtam; frigiditatemq́; non agnitã, & minimè ſanabilem: quę Deo longè magis eſt abominabilis, quàm manifeſtum peccatum: ideoq; ſuadet illi, emerę aurũ ignitum: charitatẽ nempè verã: collyrioq́; inũgere pęnitentiæ oculos mentis, vt videat. Victori autem pollicetur dirę vſquęadeò tẽtationis, aſſeſſurum illum in throno ſuo ſecum. Tunc etenim ad oſtium ſtabit, mundũ iudicaturus: ſuiq; ſedebit in ſede iudicij.

In Cap. IIII.

VISIO D. Ioãnis hoc in Capite aliud nõ ſignat, quàm huius veritatem prophetię ab ipſo perceptam fuiſſe, non humano lumine, ſed in ſpiritu, cùm eſſet ſubleuatus diuinum ad conſpectum; quò nemo poteſt conſcẽdere, niſi à Deo inuitatus. Cuius repræſentatur Maieſtas throno in pretioſiſsimo & ſublimi, eiusq́; in dignitatę aſsiſtentium, cu-

riæq; totius: quantum pōt ſenſibili deſcribi exēplo, magnitudo atq; celſitudo ſupra oēm ſenſum incomprehenſibilis. Eius à throno oīs ad nos deſcendit veritas: quod deſignāt fulgura, & voces, & tonitrua, quæ de throno procedebant; & ſeptem lampades ardentes ante thronum, quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Quę ſanè veritas præcellentiùs in Euāgeliſtas deſcendit, deſignatos per quatuor animalia, plena oculis antè & retrò. Euangelium etenim ita omnē amplectitur priſcę legis veritatem, vt clarior in poſterum ſcriptura non expectetur. Vtriq; autem, nempè & veteris Patres Teſtamenti, per vigintiquatuor ſignati ſeniores; & noui, per quatuor animalia; adorant ſedentē in throno, & mittunt coronas ſuas ad pedes eius, dantes illi gloriā vniuerſam. Chriſto enim, vti Deo, ſeruit & lex & Euangelium: cùm Verbum ſit, in quo & condita ſunt, & conſeruantur omnia.

In Cap. v.

In dextera eius videt Ioannes librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem.

tem. Et cùm prædicaret Angelus, neminem tamen erat inuenire in terra, neq; in cœlo, qui dignus eſſet aperire librũ. Quare cùm fleret Ioannes multùm, cõfortatus eſt eum vnus de ſenioribus, dicens: Ecce vicit Leo de tribu Iuda, aperire librum, & ſoluere eius ſignacula. Vbi oſtẽditur, verũ Scriptnrarum ſenſum adapertum minimè verè fuiſſe, niſi à Chriſto: & hoc, per eius ſanguinem. Vnde quemadmodum deſcribitur priùs vti Leo, ob eius Diuinitatem: ita & mox cernitur tanquam Agnus occiſus, ob veram carnem, verè Cruci ſuffixam. Cui ſeptem aſcribũtur cornua, & oculi ſeptem: hoc eſt, ſui ſeptem dona Spiritus: quibus percutit obſtinatos: illuminat verò humiles & fideles.

Quoniam verò omnes adimpletæ ſunt eius in paſsione Scripturę, ideò ſubdit accepiſſe Agnum librum: cumq; aperuiſſet eum, procidiſſe coram eo tàm veteris, quàm noui Patres teſtamenti: qui dicebant: Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es: & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo. Vbi duo latent myſteria; primùm ſola Chriſti

morte

morte perficiendam fuiſſe omnium redemptionem; cùm de eo ſolo dici poſsit; Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Alterum verò, eius explicita fuiſſe in morte quæcunq; priùs erant abdita; quandoquidem omnis hac ratione declarata eſt Scriptura. Neq; etenim aliud ſignificatur in ꝓductione mulieris è coſta viri, quàm è latere Chriſti proditura Eccleſia; veriorem autẽ non poteſt Scriptura illa ampliùs recipere ſenſum. Ita & lignum vitæ in medio Paradiſi, deſignat Crucem in mundi medio donaturam animæ vitam perennem. Neq; aliud innuebat arca, vbi ſaluatus eſt mundus: neque aliud Patriarchæ ſacrificium Abrahami: idem adumbrabat vniuerſa filiorum Iſrael peregrinatio, tranſitus maris rubri, terraq; promiſsionis. Ita & niſi Crucis ſenſu tot enodarentur explicarenturq; veteris ſacrificia teſtamẽti; pręter id quòd multam afferebant ſeruitutem, modicũq; fructus; erant & maioris occaſio indignationis; quemadmodum Diuus atteſtatur Apoſtolus, legem nedum ad perfectũ nihil adducere; ſed & iram operari; niſi ad mediatorem referatur Chriſtum.

Neq;

Neq; verò abre ſeptem ſunt ſigilla, quæ virtute Agni, hoc eſt, Chriſti paſsi, ſunt adaperta; quoniam ſeptem ſunt in eius paſsione myſteria, prorſus mundano pugnantia ſenſui; quorum ignoratione ſacri tegitur ſcientia libri; ſumma nempe in omnipotẽte impotentia; ſumma in impaſsibili pœna & excruciatio; ſumma in ſapiẽtiſsimo ſtultitia; ſumma in diuitiarum Deo inopia; ſumma in glorioſo ignominia; ſumma Patrem inter & filium inimicitia; vbi infinita eſt vnitio; demumq; ſumma Dei in eius vnigenitum crudelitas; vbi infinitus ſemper regnat amor. Hęc quæ videntur impoſsibilia, in Chriſti Cruce veriſsima extitere: ideoq; ſolus ipſe dignus fuit, cui homines vniuerſi, & copioſi Angelorum exercitus acclament, quę hic ſubijciuntur: Dignus eſt Agnus accipere virtutem, & honorem, & gloriam &c. cuiq; dicat creatura omnis: Et patri; & Agno, ſit omnis poteſtas, & benedictio in ſecula ſeculorum.

In Cap. vj.

CVM exultaret lętitia cœlum, quòd repertus eſſet, qui dignus foret aperire librũ;

vidit

vidit Ioannes aperiri ab Agno vnum ex ſigillis; & cùm inuitaſſet eum vnum de quatuor animalibus, tanquam vox tonitrui, vt veniret, & videret; Ecce apparuit equus albus; & qui ſedebat ſuper eum, habebat arcũ; & data eſt ei corona; & exiuit vincẽs; id eſt, animo certiſsimè vincẽdi, ita vt & vinceret. Candidum hoc fuit collegium Apoſtolicum; cui inſidendo, Chriſtus verbi ſagitta ſui Diabolum transfixit idololatrię; victricemq́; de illo retulit coronam. Credereq́; licet, hoc fuiſſe animal Euangeliſtam Marcum; qui huius expreſsè meminit rei; cùm Seruatorem refert diſcipulis iniungentem, vt eũtes in mundum vniuerſum, omni p̃dicarent Euangeliũ rationali creaturę; & dehinc abijt in cœlum.

Cùm aperiretur ſigillum ſecundum, apparuit ecce equus rufus; cuius data eſt ſeſſori poteſtas ſumere pacem de terra, multa cum ſanguinis effuſione. Iſte fuit Martyrũ equus; ſuper quem triumphans Chriſtus, ſuorum morte pugnatorum tranſuerberauit inimicum; permittensq́; poteſtatem rabidę Tyrannorum immanitati, quæ per gladium hic ſignatur magnum; fecit vt victoriam

riam referret de occiſore occiſus; vti à ſecundo animali, Luca nempè, de eo fuit dictum; Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium.

Cùm aperuiſſet deinde ſigillum tertium, ecce videt Ioannes equum nigrum; cuius ſeſſor habebat ſtateram in manu. Quemadmodum equo in albo puritas ſignatur doctrinę; ita & in nigro veritatis offuſcatio; prout in Hęreticis manifeſtum eſt, qui tunc ſurrexere. Conuenienter autem gerunt ſtateram iu manu; quoniam audēt proprio ex capite ſcripturas trutinare, quę per triticum & hordeum ſignātur. Vti Arius fecit; qui metiri præſumens ſacram Trinitatem, aſſeruit filium eſſe Patre minorem. In eoq; fuit adimpletū, quód ait Dominus in Matthęo; Loquor illis in parabolis; vt videntes non videant; & audientes non intelligant: diuino ita ob hominum temeritatem exigente iudicio. Vinum tamen nequaquam lęſere, & oleum; quoniam contriti & manſueti in fide perſtitere.

Quarta orta eſt in ætate hęreſis ſiue ſecta Mahometica; ideoq; quarto in ſigillo apparet equus pallidus; hoc eſt, populus Sar-

racenus, vigoris expers fidei. Et qui ſedebat ſuper eum dicitur Mors: hoc eſt, Mahometes; qui morte perimebat corporis qui illi non adherebant; & qui adherebant, in animā iugulabat: vt verè dici mereat̃ Mors; poſt quem ſequitur infernus; vti notum eſt. Aperteq; nimis illi cõgruit data ſuper quatuor partes terrę poteſtas; quando per has omnes (vt noſtris experimur damnis) dilatata eſt eius ſecta regiones.

Per infernum etiam, qui Mortem ſubſequitur, aperiri poteſt aliud ſecretum; ſectā nempè Mahometicam Antichriſti coniunctum iri ſectę; qui ob teterrimam erroris ſui obſcuritatem, dicitur infernus: vti enim miſeriam inuenire non eſt inferno maiorẽ; ita omnis in illo adunabit̃ nequitia. Quare nonnulli ſenſere, ex vtriuſq; ſimilitudine, Mahometem fuiſſe verum Antichriſtum; quodq; ſexto adimplebitur in ſignaculo, accipiebant ipſi in quarto. Sed certè vltimus expectatur Antichriſtus, omnium caput nequiſsimorum: cui vti Sarracenica quarto in tempore ſedem præparauit ſecta; ita oportet quinto, quo agimus, in tempore alium eſſe, qui peſsimis errorum adinuentionibus

oſtendat

oſtendat Antichriſti non procul abeſſe aduentum.

Quinto in ſignaculo quanta errorum futura eſſet enormitas,horribiliumq; flagitiorum,non poterat meliùs inſinuari, quàm p Ioanni factam viſionem. Vidit enim poſt eius aperitionem, animas ſanctorum Martyrum clamantes à Deo vindictam,indolentesq; tantam eius patientiam: acſi ſui oblitus eſſet iudicij. Tametſi etenim retroactis temporibus multi extiterint errores: nunc tamen vſqueadeò ſunt omnes in vnum collecti,vt nedum homines,ſed & Sancti demirentur, & Angeli tantam Dei longanimitatem & patientiam.

Aduerte porrò conſolari Deum Sanctos ſuos, vt expectent adhuc tempus modicũ, donec compleatur numerus conſeruorum & fratrum eorum, qui interficiendi ſunt,ſicut & illi. Vbi innuit,citò inſtaurãdam denuò Martyrum perſequutionem: vti iam Luterano cernere incipimus in ſchiſmate: meliùs autem apparebit in proxima Antichriſti perſecutione, qui apertè deſcribitur, vbi ſubdit.

Poſt recluſionem ſexti ſigilli, ecce tærræ motus

motus magnus factus eſt: hoc eſt, populorum commotio nouas ob hæreſes. Vnde Sol fidei factus eſt niger, tanquam ſaccus cilicinus: quoniam ab immundis fuſcabitur tota animalibus. Lunaq́;, hoc eſt Eccleſia, ob multam hominum occiſionem tota erit ſanguinea: & ob immanitatem tentationis Stellæ, hoc eſt, Doctores, & Monachi à cęlo cadent catholicę fidei: quemadmodum ab arbore cadunt immatura poma, cùm à vento magno mouentur: & cœlum, hoc eſt, ſacra ſcriptura erit tanquam liber inuolutus, in varias nempè pugnantesq́ue intricationes. Quo in tempore tantæ exurgent vndiq́; tribulationum procellæ, vt oẽs homines, cuiuſcunq; demum ſint illi cõditionis, & ſtatus, ſe abſcondant in ſpeluncis, & mortem quærant ob imminentis terrorem iudicij.

In Cap. VII.

NEQVAQVAM tantum permitteret Deus in Eccleſia ſua exitium, niſi vellet maius inde haurire bonum. Ita antiquæ permiſit deſtructionem Synagogæ, vt nouam plantaret Eccleſiam, illa præcellentiorem.

tanta

tanta enim eſt eius vis bonitatis, vt & perverſam peſsimorum hominum malitiam, & Dæmonũ, deſeruire faciat gloriæ ſuæ: quóue illam magis præpedire adnituntur, eò magis ſuis illam admoliuntur confirmãtq; damnis: prout in ſequenti declaratur viſione.

Poſt hæc igitur vidit quatuor Angelos, ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos ne flarent ſuper terram. Per hos intelliguntur homines maligni, ſequaces Antichriſti; qui veram præpedient Euangelij doctrinam, ne ſpiret inter fideles, deſignatos per terram; neq; inter infideles, per mare; neq; ſpirituales, per arbores. Deus autem eorum infrænabit rabiẽ. Vnde alterum ecce Angelum, aſcendentem ab ortu ſolis, turmam nempè angelicam & luminoſam (hic enim per Angelos ſemper viri intelliguntur angelici & illuſtres) inſigne habentem Dei viui: quæ voce intonans veritatis, furorem frænauit eorum, qui nomen Chriſti penitus extinguere moliebantur.

Tunc verò vigeſcet Euangelium: populuſq;, ad fidem conuertetur, Hebræorum:

vti hic palàm duodecim ſignantur tribus Iſrael, nomine vnaquæq; ſuo: quæ vti regius vaticinatus eſt Propheta, ad veſperam cōuertētur mundi: & famem patientur vt canes: & circumibunt ciuitatem; Eccleſiam nempè ſanctam: diuturnamq;, quam ſuſtinuere, duplici moram compenſabunt igne feruoris. Tunc longè mundi pars maxima ad fidei reducentur vnitatem: ideóq; Ioanni turba oſtenditur innumerabilis, varijs ex linguis & nationibus: qui albís circumamicti ſtolís, palmasq; gerentes in manibus, ſtabant in conſpectu Agni: tantiq; beneficij, qualis eſt peccati victoria, Deum collaudabant, gratias agentes illi, & Agno eius Chriſto: cui pares triumpho laudes nec ipſi poſſunt Angeli Deo perſoluere.

Hic planum fit, non alia permiſſuram de cauſa Dei prouidentiam Antichriſti impietatem, quàm vt Martyrum adaugeatur numerus; vnde ſubiungitur, dixiſſe vnum de Senioribus: Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & vnde venerunt? obſtupeſcentem nimirùm venire eos de mūdo, qui paulo antè tanto conſpiciebatur peccatorum in exitio. Et reſpondet ipſemet: Hi ſunt qui

vene-

venerũt de tribulatione magna; nẽpè Antichriſtiana; & lauerunt ſtolas ſuas,& dealbauerunt eas in ſanguine Agni: hoc eſt, per coronam martyrij Chriſtum ſunt imitati; ideoque omni abſoluti pœna, ſecum in perpetuum regnabunt.

In Cap. VIII.

IAM videamus quantum eliciet Deus bonum è perſecutione Antichriſti. Poſt cuius mortem quieta erit Eccleſia, & tranquilla: ſed inuidia Diaboli malorum citò (vt inferiùs dicemus) colliget reliquias: pacemq́; turbabit. Vnde videt Ioannes, in cœlo,id eſt Eccleſia, ſilentiũ fieri quaſi media hora: quod nonnulli dimidium interpretantur anni: inde nouiſsimi ſuccedent conflictus.

Et quoniam ſeptem Eccleſiæ ſtatus varias habent proprietates: non poterat vnuſquilibet vna tantùm deſcribi viſione: ſed multis opus fuit: vt quod in vna tacetur, exprimatur in alia. veluti in ſtatu Apoſtolico fuit innocentia ſimul & patientia: hæ deſcribuntur in prima ſeptem Eccleſiarum

viſione; fuit & verbi aduerſus idololatriam victoria; & hæc primo habetur in ſignaculo; fuit & populi deſtructio Hebrei: hęc in prima conſpicitur tuba. Ita & poſſent reliqui ſinguli percurri ſtatus: niſi vererer noſtræ tranſcendere modum breuitatis. Quoniam verò poſitus fuit Chriſtus in ruinam multorum,& reſurrectionē; doctrina eius dira inuexit in eos flagella, qui eam oppugnarunt: quod ſanè fit à iuſto Dei iudicio; non autē ab alio (vti fingebant Manichei) principio. Ideò videt Ioannes Angelū offerentem Deo orationes ſanctorum: vbi videre eſt,nedum orationes ſanctorum Deo gratas eſſe: ſed & per illas illuminare eum Eccleſiam, cœcitateq; ferire obfirmatos. Hoc autem vult, cùm ait Angelum accepiſſe poſt oblationem orationum, ignem de altari,miſiſſeq; illum in terram: vnde magno cum terræ motu,facta ſunt tonitrua, & voces,& fulgura. Quæ tunc adimpleta fuit viſio,cùm accipiens Deus diuturnas ſanctorū Patriarcharum & Prophetarum preces, & vota,miſit in terram ignem Diuinitatis ſuę, in Verbo ſuo, noſtra ſuccenſo in humanitate; è quo vti pax eſt orta & ſalus pijs; ita &

multa

multa exorta eſt impijs ruina; quod declarat, dicens.

Et primus Angelus tuba cecinit; & facta eſt grando,& ignis,miſta in ſanguine. Impletum fuit hoc, vbi Euangelicæ ſonus tubæ, per ſanctos effuſus Apoſtolos,populo nequaquam fuit acceptus Hæbræo; qui derelictus ob pertinaciam, prędę datus fuit Romanorum; ſanguineq; & igne ita fuere, inſtar grandinis,percuſsi, vt vel ſola per terrefaciat memoria. Bene autem ſubdit, tertiam partem fuiſſe percuſſam: quoniam pars vna Apoſtolis adhęrens, fuit præſeruata: altera in præſentem vſq; perſeuerat diē, cum in diuinæ exemplū iuſtitiæ, tum vt demum conuertantur; reliqua fuit per Titum exterminata & Veſpaſianum.

Ad ſecundæ cantum tubæ, conſpicitur mons magnus, igne ardens, mitti in mare. Mons ardens fuere Martyres; fundati in fide; alti per contemplationem; duri per patientiam; charitate ardentes; qui in mare miſsi fuere gētium Paganarum. Quorum cùm pars ad fidem conuerterentur, permanerēt alij in perſequutione, diriſsima in eos immiſit Dominus flagella; vt his patet,qui

legerint hiſtorias; ita vt dici poſsit tertia pars fuiſſe ſanguinis; & Romanorum admodum infirmatum eſt imperium, deſciſcẽtibus ab eo prouintijs compluribus.

Ad tertiæ cantum tubæ, cecidit ecce de cœlo Stella magna, ardens tanquam facula. Vbi aliud intelligi non poteſt, quàm excellens Doctor, à celſitudine delapſus fidei. Hic porrò fuit Arrius; qui bene dicitur Ab ſynthium, ob amaritudinem veneni, quod inuexit in Eccleſiam. Cuius cùm pars in fide manerent catholica, cæteri diuiſi ſunt; multiq́; ex tribulationum periere amaritudine; quoniam tunc temporis & Goti, & Vandali, & Longobardi multis in Eccleſiã cum ſtragibus inundantes irruerunt.

Quartæ ad cantum tubæ, tertia pars obſcuratur Solis, & Lunæ, & Stellarum: quẽadmodum perſpicimus & Orientem, & Meridiem, partemque Septentrionis fuiſſe Mahometico ab errore percuſſam & obſcuratam; manente tamen ſemper parte quadam, ſub eius imperio, fideli. Tertiaque, hoc eſt Eccleſia Latina, quãquam moleſtijs affecta, non tamen percutietur, obſcurabitur'ue à Diabolo in totum; vt tantùm illi

pars

pars cedat tertia. Aquila verò per medium volans cœlum,ipſe eſt Ioãnes,qui ter inclamat voce magna; Væ væ væ; quoniã tria præcipua videt flagella tribus, quę ſequuntur,in temporibus: vt ipſe inquit.

In Cap. IX.

QVINTVM diximus ſtatum ad noſtra ſpectare tempora: cuius perſpicuè fuit videre initium Diuis in Dominico & Franciſco. Quantę porrò tempus hoc ſit malignitatis, Ioannes primò oſtendit quinto in ſigillo: nunc verò quinta in tuba,quis futurus ſit eius exitus, deſignat,cùm videt Stellam è cælo cadentem, aperientemq́; puteũ abyſsi. Quod interpretantur omnes,futurum quempiam magnum Doctorem, qui à cælo apoſtatando Eccleſię catholicę, puteũ adaperiet ſepultorum iam in inferno errorum. Nos autem minimè elaborabimus in diuinatione futuri huius,cùm iam pręsẽs id videamus, quod à lõgè cæteri prędicebant, nouam nempè Luteranam hęreſim,quę omnes reſurgere fecit ex abyſſo infernali errores: in ipſa inquam perſpicimus præſentem

totam adimpleri viſionem.

Vnde ſubdit, è puteo aperto aſcendiſſe ſumum magnum, inſtar fornacis: cuius è ca ligine obſcuratus eſt & Sol & aer. Hoc planè nos nunc cernimus adimpletū: quādo, ſi quælibet pręteritarum hæreſum claritatem fuſcauit fidei; pejùs hęc cęteris ſimul omnibus eſt operata. Dicere enim licet, abſciſſa omnino Eccleſię authoritate, cui noſtra innititur religio, rediuiua reſurgere omnia errorum, morti iam addicta, monſtra.

Hoc exiere à fumo locuſtæ monſtroſę: hoc eſt, multi huius ſectatores hęreſeos, ſimiles locuſtis, quas ſolet Deus in flagellum mittere: vti fecit in Aegyptum. Qui etenim horum attendat mores, planè comperiet omne ſibi attraxiſſe peſtiferę genus gētis: doctos nempè & idiotas: nobiles & plebeios: vti infrà dicemus.

Non tamē habent poteſtatem lædere herbam viridem, vel arbores: ſed eos duntaxat, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis: quoniam vbi fides eſt viua, bonis ſociata operum fructibus, non potuit ſuo pertingere veneno: ſed eos tantùm infecit, qui priùs aliquo erant corrupti peccato. Vnde

ait

ait datum fuiſſe illis, non vt occiderent, ſed cruciarent menſibus quinq; : hoc eſt, eos q. à carnalibus priùs erant diſſoluti ſenſuum oblectamentis. Neq; verò abrè cruciatus eorũ crutiatui aſsimilatur ſcorpij : qm̃ ſeſe offert hic error cũ Euangelio, ſacriſq; Scripturis: legitimũ dein illarum intorquẽdo ſenſum, peſtifera animam percutit hæreſi.

Et quærent (inquit viſio) in diebus illis homines mortẽ : & fugiet ab eis. Quod hodie ſanè locum habet : quandoquidem tantam fidei inuerſionem videmus: totq; errorum inuolucra ; vt iam ſerò ignoremus cui credamus: deſiderabiliusq; foret mori, quàm vitam agere inter continuos errorũ anfractus tanta animarum cum perditione.

Vt verò ambigi nihil poſsit hac de interpretatione (tametſi ita multis iam annorũ ſeculis hunc interpretati ſint locum ſancti Dei homines) clariùs & hoc perſpicitur in locuſtarum deſcriptione: quæ, vt ait, ſimiles erant equis paratis in prælium. Hoc etenim probè fuit adimpletum, cum ex multa ſanguinis effuſione, quam ipſi patrauere in Germania; vbi violenter tot deſtruxere templa & Monaſteria : tum etiam ex

prom

promptitudine, quam gerunt, ſanæ contradicendi doctrinæ, ſemperq; fallacibus depugandi argumentationibus: acſi ſpiritum Iannis & Mambrę hęreditate eſſent conſecuti: quo'ue meliùs poſsint cõtentionibus deſeruire, multa vtuntur eloquentia; quæ per coronas earum in capitibus, deſignatur: quę quidem coronæ rectè dicuntur ſimiles auro; quandoquidem loqui ſe fingũt zelo charitatis: ſed reuerà malo ſemper intendunt fini. Vnde & ſubdit facies earum, tanquam facies fuiſſe hominum; & capillos ſicut mulierũ; quoniam ſub humanæ quodam prętextu ſapientię, vitæ corrumpunt vigorem Chriſtianæ; vitamq; inducunt effeminatã & laſciuam; auferentes pænitentiã, obedientiam, votum, quodlibet'ue aliud frę num, quo cohiberi poſsit anima à peccati pręcipitio. Quorum & velocem curſum nõ poterat meliùs Ioannes deſcribere, quàm addendo concito, ac furioſo earum curſui alas quoq;: vt innuat nedum effrænes, ſed & ſumma cũ velocitate eos perditioni aduolare.

Per loricas ferreas, pertinax intelligitur durities; per dentes Leonum, crudeliſsima

alienæ

alienæ famæ dilaceratio. Cui bene rei fidele afferet teſtimonium, qui Luteranam legerit doctrinam: quoniã vti obſtinatione ferrum vincit: ita & detractione vſqueadeò exuberat; vt vix crediderim ibi inueniri periodum, vbi non alieno detrahatur nomini. Cui vſqueadeò ſunt inſatiabiles vitio; vt nõ contenti hominũm famam diſcerpere, auſi ſint & os ponere in cœlo; eosq; qui tot iam ſeculis Diuorum affecti ſunt honore, vituperabiliter expoliare & templis & imaginibus; ſacraque eorum vel oſſa omni prorſus priuare reuerentia.

Dehinc ſubdit, datam illis poteſtatẽ nocere menſibus quinque: quod iuxtà literam minimè poteſt intelligi, cùm multos iam inualeſcat annos; adhucq; fortaſſe nonnullo tempore acriùs irruet in Eccleſiam. Et eſt ſanè timendum, ne quemadmodum percuſſit Ieroboam tribum Iuda, ita & ab hac ſeparatione furor irrũpat diuinus noſtra in peccata. Verùm non de hoc ampliùs; quando, vti D. ait Ioannes, locuſtæ habebant ſuper ſe Regem Angelum abyſsi; cui nomen Exterminans; vt commoneat, non aliunde hoc permiſiſſe Deum monſtri, niſi vt populum

lum penitus exterminet pſeudochriſtianũ. Hoc primum eſt flagellum, quod Aquila vo lans minitando annuntiat; quod noſtra reſpicit tempora.

Iam verò & hic obtenebrauit fumus Solem ipſum; quò poſsit flagello viam præparare. Multi etenim Principes, & nobiles, & Deo dicati huic fauent obnixè errori, diuino excæcati iudicio, vt peſtilentius amplectantur venenum, quod inueniri poſſit in Rebuspub. & Principatibus: quando legum immutatio nunquamnõ poſt ſe trahit & Principatuum immutationem. Ita factum eſt vt regnum diuideretur Iſrael, quoniam nouas machinatus eſt Ieroboam leges: magnaq; Machabæorum tẽpore ruina à paternarum initium ſumpſit mutatione cæremoniarum: cumq; paganorum ſubintraſſet ritus, fuere & à paganis crudeliter afflicti. Non ſecus vſus eſt & Mahometes: qui primùm inuertit leges, mox & regimina: proũt videmus magnam illum obruiſſe mundi partem. Vandalorum ſtrages horrenda, qui vniuerſam deſtruxere Aphricã, partemq; Italiæ, ſchiſmate cæpit ab Ariano: quod præceſsit vti præludium flagellorum.

rum. Multiſq; alijs prætermiſsis exemplis, aio, ſi vnquam fuit ſchiſma idoneum Principatuum deſtructioni; hoc eſt vel maximè: quandam etenim prædicat libertatem, populis longè gratiſsimam: diſponitq; rebellioni. Quod minimè vident exitiũ Principes nonnulli: quòd ab huius fumo fornacis ſint vſqueadeò fuſcati, vt ſerpentem foueant in ſinu: à quo nimirũ ſuo percutientur tempore.

Silentio præterire nõ poſſum magnum, quod hic latet, arcanum: nunquam verò ita clarè perceptum, vti nunc: adeò enim obſcurè & inuolutè ſuam ſcripſit Ioannes prophetiam, vt ſuccedentibus tantummodò temporibus potuerit intelligi, cùm pleraq; iam pro parte eſt adimpleta: ita & de venturo prophetiæ Meſsia tunc tãtũmodò clarè fuere ꝑſpectæ, cùm ſunt adimpletæ.

Duos comperio fuiſſe præcipuos prioris Chriſti aduentus Præcurſores, Zachariam, & Ioannem Baptiſtam: ita & erunt duo poſterioris: hoc eſt (iuxtà receptiorem ſententiam) Enoc & Elias. Quoniam verò Antichriſtus Chriſto erit contrarius: conijcere poſſumus quæ futuræ ſint eius conditiones

tiones, Chriſti comparatione: quemadmodum contraria ſe inuicem declarant modo oppoſito. Cùm itaq; Chriſtus conceptus fuerit de Spirituſancto: verè fuerit Deus & homo: vera patrarit miracula: poſtq; mortem rediuiuus aſcenderit ad cælos: ita & dicamus naſciturũ Antichriſtum ex nefario ſacrilegoq; coitu, ope Diaboli: verè hominem peccati, & filiũ perditionis; ita enim illum nuncupat Paulus; quoniam & hominum malitiæ & Dæmonum in eo coaceruabuntur: ita vt & falſa edat miracula, in cælumq; attentet conſcendere: vbi à Deo percutietur inſtar Luciferi. Porrò ſi & cæteras percurras Chriſti conditiones; poteris & de illo ampliorem conſequi notitiam.

Ita ſanè decebat vt tranſiturus ab vno ad aliud horum extremorum mundus; cùm Chriſtiana iam imbutus eſſet apprimè ſapientia; Diabolicæ debito diſponeretur medio. Ideò dicunt Patres oportere magnos duos Antichriſtum præcedere Præcurſores: eorumq; parare viam Domino, ac Capiti. Alter eorum fuit Mahometes: qui elapſis ab aduentu Domini annis ſexcẽtum & eo amplius, mundo apparuit. Du-

bium porrò non eſt eius ſectam mundum diſpoſuiſſe præparaſſeq́; Antichriſto: quin immò fuere & qui crediderint Mahometen Antichriſtum fuiſſe: tametſi allucinentur, vti inferius dicemus.

Alterum ſcribunt Præcurſorem Baptiſtæ reſponſurum. Hunc verò affirmo ego fuiſſe Luterum; qui in fine apparuit quinti ſignaculi: vti apparuit Mahometes in quarto: vt continuari poſsit Antichriſti præparatio, qui aduenturus eſt in ſexto. Planeq́; ſi omnes colligas errores, qui poſt huius lapſum Stellæ è puteo prodiere infernali: nēpe ab Oecolampadio, Zuinglio, Caroloſtadio, Melancthone, alijsq́; quamplurimis, qui dicuntur Anabaptiſtæ: recedere inuenies eam magis à Chriſto, quàm Mahometicam impietatem: quæ ſaltem nonnulla recipit Euangelia: nonnulloſq́; honore proſequitur Sanctos: iſtorū autem nonnulli & Scripturas, & Sanctos ſimul eradicauere omnes.

Non aliàs poterat ſe habere Antichriſti Præcurſor, niſi vt pugnanter omnino ijs faceret, quæ fecit Ioannes Baptiſta: qui vix natus Deo fuit dicatus: in deſertisq́; erat, prædicans

prædicans & opere & verbo pænitentiam. Cui ſanè conditioni probè reſpondet Luterus: qui cùm eſſet Deo multos iam cõſecratus annos, & voto ſolenni religionis, & ſacerdotio; nedum votum ſpreuit, habitũq; pænitentiæ: ſed & infinitam Deo dicatorũ, & virorum, & mulierum turbam, ſuo fecit deſciſcere à Deo exẽplo; proq; omnimoda perfectione, librum conſcripſit, vbi omnẽ penitus deſtruit Eccleſiaſticam pænitẽtiam. Et quemadmodum fuit Baptiſta omnium primus, qui fundamenta præiaceret Chriſtianorum Sacramentorum, baptizans, & prædicans baptiſmum pænitentiæ in remiſſionem peccatorum; ita vt egredientes cõfiterentur illi peccata ſua; vti D. recitat Marcus: ita ab iſtis ſectatoribus omne vel in dubium reuocatur Sacramentum, vel palàm infringitur. Ioannes omnem Chriſto dat gloriam, & authoritatem: iſte omnẽ Chriſti Vicario adimit honorem & poteſtatem. Caſtiſsimus erat Ioannes: odit iſte vſqueadeò caſtitatem, vt vel Monachis, Deoq; dicatis omnibus vxores paſsim concedat. Herodem Ioannes arguit adulterij: iſte Principibus applaudit aduerſus Eccleſiam.

Quoniã verò longum foret proſequi quicquid ad hoc propoſitum dici poſſet; hoc vnum dico, deſignatum fuiſſe hunc in Euangelio; cùm ait Chriſtus, Ioannem non eſſe arundinem vento agitatam: neq; hominem mollibus veſtitum: ſed prophetam, & plus quàm prophetam; innuere nimirùm volẽs fore Antichriſti Præcurſorem vento plenũ doctrinaq; inſtabilem; prout in iſto vidimus: mollibusq; veſtitum: vti cœnobium ĩmutauit in palatiũ; nedumq; pſeudoprophetam, ſed & plus quàm pſeudoprophetam. Vti enim omni finem poſuit Ioannes legali ſeruituti: ita & verum iſte (quãtum in ſe eſt) terminauit Euãgelij ſenſum; iamq; ipſum digito nobis oſtendit Antichriſtũ.

Neque verò mirandum, ſi copioſa hominum multitudo hunc conſectata eſt errorẽ: locuſtæ enim citò affluunt: vti cateruatim eas videmus aduolantes. Si etenim conſideras vti apoſtatas matrimonio illexit & libertate, voraces ieiunij ſublatione, auaros expluendo à votis, & teſtantiũ relictis: Principes illis dando prædæ Eccleſias; otioſos & deſides aſſerendo nequaquam neceſſaria opera; lucri amatores dierum tollendo ob-

ſeruationes feſtorum: raptores, & concubinarios abſoluendo à Confeſsionis vinculo: pertinaces ab anathematis eximendo timore; planè fatebere peſtifera iſtum adunaſſe omnia animalia, quales ſunt locuſtæ. Ne'ue quempiam à ſuo excludat rete perditum hominem, beneuolum ſe etiam facit Turcis, affirmans nequaquā fas eſſe contra eos capi arma: ſed & Iudæis; dogmatizans poſſe adhuc vniuerſum vetus obſeruari teſtamentum; paulò minus & Chriſtū aſtruere volebat nondum adueniſſe; multiq́ue id planè confirmant huius ſectatores.

Nollem hanc mei cenſeri capitis hoc in loco interpretationem; ideoq́ue minus illi fidem adhiberi. Verùm legantur quæ hac in parte conſcripſere Ioachim, & Hubertinus,alijq́; complures; planeq́; perſpicuum fiet totum. Quicquid enim ipſi præteritis prophetauere temporibus, iam nos conſpicimus adimpletum; præq́; cæteris D. dicit Vincentius, citò aduenturū Antichriſti Præcurſorem: non verò aliunde quàm è Germania.

Poſtquàm Angelus ſextus tuba cecinit, audit vocem Ioānes vnam ex quatuor cor-

nibus altaris, quod eſt in conſpectu Dei, iniungentem Angelo præfato, vt ſoluat quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate, paratos tempore ſuo vt occidant tertiam partem hominum. Hic patet nō habere Dæmones poteſtatem Eccleſiæ nocendi, niſi Deus illis permittat. Ideò dixit Pilato Chriſtus; Nō haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datũ eſſet deſuper.

Animaduerte inſuper, oportuiſſe priùs huius exiccari aquas fluminis magna pro parte; hoc eſt, potentiam deficere Eccleſiaſticam; vt Dæmonia poſſent Antichriſtiana quatuor à mundi partibus innumerabilẽ congregare exercitum, qui hic deſcribitur. Ita dixit Apoſtolus; quoniam niſi venerit diſceſsio primùm: hoc eſt, multorum ab Eccleſia ſeparatio; non reuelabitur filius perditionis; id eſt, Antichriſtus. Nunc autem cùm ob Luteranam conſpeximus hæreſim longè maximam Eccleſiarum partem à Romani defeciſſe obedientia Pōtificis, dubitationi non eſt iam locus citò appariturũ Antichriſtum; qui tertiam occidet fideliũ partem: pars etenim vna à Deo protegetur;

peruertetur ab eo alia; tertia ab eius trucidabitur furore.

Quales verò futuri ſint Antichriſti milites; dicit viſio fuiſſe eqnites loricis tectos igneis, & hyacintinis, & ſulphureis. Erũt enim crudelitate inſatiabiles, vt ignis: laſciuia putidi, inſtar ſulphuris ſuccenſi: & duritia, vti petræ, obſtinatiſsimi: capitaq; gerent Leonum, ob ſuperbiam: & ab ore eorum procedet fumus mundanæ ſeu Diabolicæ ſapientiæ; ſulphurq; diriſsimorum cruciatuũ: tribusq; hiſce rationibus maximam edent ſtragem.

Eorum poteſtatẽ dicit eſſe tãquam equorum: hoc eſt infrænem & beluinam. Caudę eorum ſimiles Serpentibus, habentes capita: & in his nocent: quoniam vti ante ſe perterrefacient immanitate & truculentia; ita & poſt ſe innumeros trahent pſeudo prophetas, qui ſinuoſis inuolutisq; argumentationibus peſtiferè animas percutient.

Diriſsima erit hæc plaga; & tamen tanta inſederit hominum animis caligo, vt adhuc minimè acturi ſint pęnitentiam: neq; adorare ceſſabũt idôla ſua peccata: ſolitisq; nõ parcẽt eorum laſciuijs & fornicationibus,

In Cap. x.

S I ex his, quæ diximus, animus perterreſit noſter, argumento eſt, nos nequaquam membra eſſe Antichriſti. Verùm quoniam Dominus Deus ſemper amarum attemperat dulci: ſuosq; in tribulatione non derelinquit, ſed ſolatur electos; quemadmodũ hęc Antichriſti perſecutio, eiusq; Pręcurſoris, alias ſuperexcedunt omnes: ita & fortius illis prępárauit auxilium: vt immanitatem prętéritę viſionis huius poſsimus attemperare lętitia.

Videt nunc Ioannes alterum Angelum: non vt pręcedẽtes, malignum; ſed fortem, de cælo deſcendentem: per quem intelligitur magnus quidam Dei ſeruus, qui tenebroſo eo in tempore mundo apparebit: è cęloq; contemplationis ad ſalutem deſcendet proximorum: doctrinaq; cęleſti, tanquam nube, erit amictus: poſsidens illius legitimum ſpiritalemq; ſenſum, qui per iridem in capite eius deſignatur: cuius facies, ob claritatem vitę, atq; ſapiẽtiæ, Soli aſsimilatur: cuius pedes ſunt tanquam columnæ ignis:

quoniã ſua prędicatione, puro directa Dei honori, corda ſuccendet audientiũ; librũq; habebat in manu ſua apertũ. Hic eſt liber ille, qui ab initio viſus fuit ſeptem clauſus ſigillis; nunc verò conſpicitur reſignatus & apertus; ita diſponente Deo, propter gentium conuerſionem, vnde ſubdit. Et poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare; principalis enim eius intentio feretur ad conuertendas Chriſto infidelium nationes; ad quos multos ex ſuis deſtinabit diſcipulis. Quoniam verò eccleſiam ipſe non deſeret Latinam & antiquam; ideò ſiniſtrum ponet ſuper terram; nempe fidelium; virtutem in eis inſtaurando Euangelij. Et vox erit eius, tanquam Leonis rugiẽtis; cum quòd, famelici more Leonis, prædæ accurret animarum; tum etiam quòd ob excedentia ad ſummũ peccata, obſtinatis magno intonabit cum terrore.

Cùm clamaſſet iſte, locuta ſunt ſeptẽ tonitrua voces ſuas. Quas cùm vellet Ioannes ſcribere, prohibitus fuit. Ad huius etenim prædicationẽ vniuerſa pandentur Spiritusſancti chariſmata; ſecretaque aperientur cæleſtia his, qui erunt capaces; non per

mitten

mittentur autem in ſcriptis redigi; ne ab hominibus conculcentur prophanenturque carnalibus; vel, ex eorum profunditate nõ poterunt vel intellectu percipi, vel lingua explanari, ſeu ſcriptura. Et quanquam nõ nullorũ ſit opinio fore hunc Enoc,vel Eliã; arbitror ego alium fore,qui pauloantè illos præcedet; vt poſteà dicemus.

Angelus iſte manum leuans ad cœlum, iurat per viuẽtem in ſęcula ſeculorum, cùm ſeptimus Angelus tuba inſonuerit, tempus non fore ampliùs; ſed conſummandũ tunc Dei myſterium: vbi oſtendit ſeptimo in cantu ceſſaturum cœli motum; complendumq;, prophetæ quod cecinere,myſteriũ, per extremum vniuerſale iudicium.

Accipit dehinc Ioannes librum de manu Angeli; cumq; illum deuoraſſet,fuit in ore eius tanquam mel dulce; ſed amaricari fecit ventrem. Vbi ſignificatur,verbum Dei illo in tempore multa auditum iri cum ſuaui tate: at qui voluerit eam concoquere doctrinam, operiq; mancipare, multam perſentiet amaritudinem, ob perſecutorum im pugnationem. Subdit deinde; Oportet te iterum prophetare,ſiue annuntiare, genti-

bus,& populis,& linguis,& Regib' multis.
Hæc porrò prædicatio non poteſt eſſe Apoſtolorum; cum quòd illa primo fuit in ſigillo; tum quòd iterum dicendo, ſupponit iam alteram præceſsiſſe. Erit igitur tẽpore Antichriſti; tunc enim adimplebitur quod ait Paulus; cùm plenitudo gentium intrauerit,tũc omnis Iſrael ſaluus fiet: ſicq; qui primi fuerant Hebræi,erunt nouiſsimi. Vt verò palàm fiat hoc prope adeſſe tempus,permiſit Deus paucis abhinc annis nouum reperiri orbem; qui iuxta fidelẽ multorum ſcribentium relationem, nõ inferior eſt Europæ vniuerſæ, tàm ſitus magnitudine, quàm & incolarum multitudine; quò adnauigant quotannis ex Hiſpaniæ partibus; iamq; ibi annuntiatur Euangelium, vbi nunquam fuit alicuius cognitio legis; multiq; iam fidem amplectuntur; vt, quẽadmodum Hebræorum fuit cœcitas noſtrę occaſio ſalutis; ita & noſtra cogat cæcitas aliò Chriſtum diuertere; in præſentiq; verificetur quod de Apoſtolis fuit prędictum, eorumq; ſucceſſoribus: In omnem terram exiuit ſonus eorum. Et in fines orbis terrę verba eorum. Cùm etenim ſæpius in Scri-
ptura

ptura nominentur quatuor plagæ, ſiue partes terræ; iamq́; penetrauerit Euangelium & Aſiam & Africam & Europam; ſupererat tantùm vt & quartæ nouiter repertæ, quam dixere Americam, transferretur.

In Cap. XI.

Ne mireris, ſi eodem in tempore vna ex parte fidei præparat̃ renouatio: ex alia diſpoſitio ad Antichriſti aduentum: nuncq́; (ut diximus) euidentia vtriuſq; apparuere indicia. Contraria etenim iuxtà ſe poſita magis eluceſcunt. Ita Iudæorum perfidia fidem promouit Apoſtolorum: Tyrannorumq́; ſæuitia conſtantiam roborauit Martyrum: hæreticorumq́; impugnatio meliùs elucidauit Scripturas. Multò verò nunc magis, cùm vltimi appropinquant conflictus bonos inter & malos, vnuſquiſq; ſua pro conditione prælio accingitur.

Ideò Ioanni, hoc eſt, Euangelico datur ordini calamus ſimilis virgæ, ſignans poteſtatẽ regendi in iuſtitia & rectitudine: diciturq́; illi, vt metiatur templum Dei, & altare, & adorantes in eo: hoc eſt, verè fideles:

les: ſed ne metiatur atrium; quoniã datum eſt gentibus. Per quod licet multi Eccleſiã intelligant Orientalem, quæ iamdiu à gentibus conculcatꝰ; attamen crediderim velle hoc in tẽpore intelligere omnes quicunque relaxatè ac diſſolutè viuunt, neq; Chriſto vniti ſunt, quod eſt verum altare, per fidem formatam: ſed ſolùm externis paſcuntur ritibus; omnes inquam illos prædæ expoſitũ iri Antichriſti, eiusq; ſequacium: cuius hic deſcribitur perſecutio, ꝑ menſes quadraginta duos: hoc eſt, annos tres cum dimidio: vt communis eſt ſententia.

Quo in tempore haudquaquam derelinquetur Eccleſia; ſed duo Dei teſtes per totidem ꝓphetabunt menſes, qui deſcribuntur per dies mille ducentos ſexaginta. Hi porrò tantæ erunt præcellentiæ, vt, præ copia ſpiritus, eos aſsimilet Ioannes duabus oliuis, & duobus candelabris in conſpectu Domini ſtantibus: propterea quòd Deus ſemper ſuccenſum in eis cõſeruabit ſpiritus ignem: ipſiq; ſemper miniſtrabunt fidei oleum. Vnde dicit, poteſtatem eſſe illis ſuper cælũ, & elementa: terramq; percutere quotieſcunq; voluerint: vnde erunt

reprobis

reprobis oppidoquàm infenſi;quòd ab ipſis ſe ſentient percuſſos & verbis & operibus.

Finito autẽ eorum tempore prophetiæ, ſiue prædicationis, vt Chriſto reſpõdeant, occidentur à beſtia, hoc eſt beſtiali Antichriſto, in ciuitate magna, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus: hoc eſt, in peſsimorum collegio: inter quos fuit & Dominus eorum crucifixus: denuoq; eius iteratur ſpiritualiter crucifixio. Dici enim verè poteſt, Simoniaca labe aſperſos locum obtinere traditoris mercantis Iudæ, & Phariſæorum: blaſphematores illum alapis cædere & phlegmatibus: ſuperſtitioſos ligare: hæreticos clauis cõfodere: malos verò ſententiam ferre Principes. Hoc planè ego nõ dubito noſtris completum tẽporibus. Ideò citò videbimus peſsimum hinc Antichriſtum, inde duos, de quibus hic habetur mẽtio, teſtes: iuxtaq; receptiorem ſententiã, erunt Enoc & Elias.

Et gaudebunt (inquit) iucundabuntq; admodum occiſores Antichriſtiani ſup eorum morte. At poſt dies tres & dimidium mirabiliter reſurgẽt: ſtabuntq; ſuper pedes ſuos: ita vt timor magnus irruat ſup aduerſantes

ſantes eorum. Quorum in cõſpectu in cælum aſſumentur: decimaq; ciuitatis pars, qui de illorum gaudebant morte, diuinitus percutientur: reliqui omnes in timorē verſi, gloriam dabunt Deo cæli, eius ſacram fidem amplectentes. Vbi animaduerte, duos hoſce Chriſtum relaturos, tàm in doctrina, quàm in poteſtate magna; tàm in morte, quàm in reſurrectione: & vti aſcendens ille in cælum populum percuſsit Hebræum, mundumq; conuertit, decies induplicando ampliùs fideliũ numerũ, quàm antea: ita & iſti facient. Ideò ſcribunt Patres, ſexto in tempore ſecundum fore Chriſti aduentum: non quidem in carne, ſed ſpiritu & veritate, ob mundi cõuerſionem. Tertius autem erit ad iudicium. Hoc ſecũdum erit væ, quod ab Antichriſto expectamus: prout in parte vidimus primum per eius Præcurſorem, citoq; quod ſupereſt experiemur.

Septima in tuba aliud nõ cernitur, quàm multæ gratiarum actiones & laudes Deo, ob relatam de Antichriſtiana ſecta victoriã. Erit enim admirabilis, diuinaq; tantùm patrabitur virtute: præparatioq; tãtummodò

videbitur

videbitur iudicij vniuerſalis, ac mortuorũ reſurrectio: in Eccleſiaq; conſpicietur arca teſtamenti de cælo deſcendens: hoc eſt, diuinorum reuelatio arcanorum, quæ tunc inter fideles exuberabunt. Sed remanebunt fulgura, & terræ motus, ob vltimam Antichriſti, vt inferiùs dicemus, caudam.

In Cap. XII.

HIC Ioannes, mea quidem ſententia, Mahometicæ deſcribit cõuerſionem ſectæ: quæ non perfectè adimplebitur, niſi poſt Antichriſti mortem. Ideò videt mulierem anictam Sole: hoc eſt, Eccleſiam Chriſto præfulgentẽ: & duodecim coronatam Stellis: ſapientia nempe ornatam Apoſtolica: ſub cuius pedibus erat Luna: hoc eſt, Turcarũ ſecta, quæ Lunam gerit inſigne. Qualis autem futura ſit hæc conuerſio, ſubdit: & in vtero habens: & clamat parturiens, & cruciatur vt pariat. Eccleſia etenim in multis, quas nunc ſuſtinet, tribulationibus, paritura eſt populum ſanctum, ſingulariq; à Deo prædilectum priuilegio.

Et quoniã erit ille qui è mundo euellet idolo-

idololatriam : inq; virga ferrea, hoc eſt, in inuiolabili diuinorum obſeruatione mādatorum, recturus eſt gentes omnes: ideò Satanas more ſuo oēm adhibebit conatum, quò tantum præpediat bonum. Vnde ſubdit quòd Draco habens capita ſeptem, & cornua decem, ſtetit ante mulierem, vt cùm peperiſſet, filium deuoraret. Cùm etenim impedire haudquaquā potuerit ortum eius, attentabit vt fructum præpediat. At filius diuina protegetur prouidentia: perq; tribulationum coronam ad thronum rapiet Dei: cogeturq; Eccleſia, durante Antichriſti perſecutione, abſcondi in ſolitudinem gentium: vbi à Deo paſcetur. Hinc conficitur, magnam fore conflictationem Chriſtianam inter & Mahometicam legem: tēporeq; Antichriſti auſugiet Eccleſia in ſolitudinem, diebus illis quibus ipſe mundo regnabit. Sed tandem dabit illi Deus Lunā, hoc eſt Orientale ſub pedibus imperium. Hoc autem non niſi mortuo adimplebitur Antichriſto: tametſi priùs inchoabit. Magnū etenim, vt ſubdit, fieri oportebit prælium; Michaële & Angelis eius vna ex parte, & Dracone cum ſuis ex alterà in cælo depu-

depugnantibus Eccleſiæ; altero Chriſti defendente Crucem; altero Sarracenicæ perfidiam impietatis. Sed tandèm cedet Chriſti victoria parti: vti in huius initio libri data fuit palma omnis Leoni de tribu Iuda. Ideò hoc in prælio conſpiciuntur Draco & Angeli eius proiecti in terram: auditurq; vox lætitiæ magna in Eeclesia, ſanctisq; eius Martyribus: vti clarè eſt videre ĩ textu.

Hac porrò ex victoria maiorem cõcipiet Diabolus furorẽ aduerſus Eccleſiam. Vnde ait. Væ terræ, & mari, quia Diabolus deſcendit ad vos habens iram magnam, ſciens quòd modicũ tempus habet. Videns etenim ab Oriente, vbi nidum locauerat ſuum, ſe eſſe deiectum, aduerſus Eccleſiã conuertetur Latinam: cui aliud nõ erit refugium, quàm in deſertum volare pæniten tiæ, Aquilæ ſubnixam alis: hoc eſt ſpe diuini à dextris auxilij, timoreq; vindictę à ſiniſtris: vbi tuta erit durante perſecutione; hoc eſt, per tẽpus & tempora & dimidium temporis: quod nonnulli intelligunt, per an num & annos duos: acſi diceret, per annos tres cum dimidio.

Aqua, quam mittit Serpens ex ore ſuo, tan-

tanquam flumen, vt abſorberet mulierem: exercitum ſignat peſsimarum nationum, q. ex eius malignitate Diabolo aſsimilabitur. Verùm diuino protegente auxilio, minimè lædetur: abſorbebit enim terra, dictum flumē malignorum hominum, antequàm opus ſuum perficiat. Hoc autem erit violenta aliqua mirabili morte: quemadmodum qui Moyſi rebellauerunt, viſibiliter fuere à terra deglutiti. Haudquaquam tamē ceſſabit Diaboli rabies: ſed ſtans ſuper arenam maris, hoc eſt ad gentes rediens idôlis deditas, noua mouebit aduerſum fideles prælia: vti in ſequenti preſpicitur Capite.

In Cap. XIII.

HIC Ioanni oſtenditur per viſum Antichriſtus cū eius fautoribus. Et primùm ob eius beſtialem ſectam, videtur tanquam beſtia: quæ, quoniam ex infidelium adueniet regionibus; nonnulliq; opinantur ex Babylone; conſpicitur aſcendere de mari, quod ſemper notat infideles. Et quoniā ſeptem incutiet Eccleſiæ plagas, quæ inferiùs dicētur: ideò ſeptem habebit capita: quoniāq;

decem ſauebunt ei Principes, decem habebit cornua. Aſsimilatur & Pardo, ob variam & multiformem eius doctrinam: ob rapacitatem autem & truculentiam, pedes eius pedes erunt Vrſi, & os Leonis. Cui Draco Diabolus, Deo permittente, dabit virtutem, & poteſtatem ſuam magnam. Et vnum de capitibus eius erit quaſi occiſum: quoniam primo in congreſſu nonnihil habebit obſiſtentiæ: vti ſemper inuicem obluctari conſueuere contraria: citò autem tantas reſumet vires, vt (quemadmodum dicit) maximam mundi partem poſt ſe trahendo, adorari ſe faciat, cum Principe ſuo Dracone, dicantq; homines. Quis ſimilis beſtiæ? & qs poterit pugnare cum ea?

Quoniam verò terrena erit plenus ſapientia, datum ei dicit os loquens magna: ideòq; illum ſequentur vniuerſi mundi ſapientes. Cui & ſapientiæ multam adiunget armorũ vim & militum; erit enim ferè mũdi Monarcha: tametſi modicum durabit: mẽſes nempe quadraginta duos: quoniam niſi breuiarentur dies illi propter electos, ſacro atteſtante Euangelio, ſalua non fieret omnis caro.

Singillatim deinde ſuã deſcribit doctrinã, dicens aperuiſſe os ſuum, ad blaſphemandũ Dei nomen, & tabernaculum eius: hoc eſt, Chriſti humanitatem: datumq́; eſt illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos: vbi oſtendit per eum & templa & Sanctorum venerationes deſtructum iri. Quod cùm multis hodie in locis patrauerit Luterana hęreſis, iam non eſt ambigendum quin vltimus ſit iſte Pręcurſor: poſt quem non niſi ipſe expectatur Antichriſtus, qui adueniens præparata nimirùm ſibi inueniet tabernacula. Et quoniam gens illi Hebræa, cũ multis alijs adhærebunt nationibus: ideò datã illi ait poteſtatem in omnem tribum: hoc eſt, in Hebræos: & populum, & linguam, & gentẽ: hoc eſt, in cæteras nationes: quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni. Hic & patientia (vt ait) & fides cõ probabitur Sanctorum; pauciſsimi ſiquidẽ in fide permanebunt.

Videt inſuper Ioannes aliam beſtiam aſcendentem de terra: per quam intelligitur, vbi apparuerit à mari Antichriſtus infideliũ, exituram beſtialem aliã ſectam è terra Chriſtianorum: & habebit cornua duo ſimilia

milia Agni; quoniam ſicuti Chriſtus vetã habuit ſapientiam, & miracula patrandi virtutem: ita & hæc Pſeudoprophetarum ſecta, agente Diabolo, vtrunq; obtinebit. Hi adhærebunt Antichriſto: eiuſq; confirmantes doctrinã multis ſignis mendacibus, & præſtigijs, facient eum à mundo adorari: dabuntq; ſpiritum imagini prioris beſtiæ: Antichriſto etenim penitiſsimè adhærentes, erunt eius anima: & ſapientia, & armis, & falſis prodigijs cogent cuiuscunq; conditionis homines, ferre characterem & nomen beſtiæ Antichriſti in dextera, & in frontibus: hoc eſt, in opere, & doctrina: & ſiquis recuſauerit adorare illum, occidetur: neq; licitum erit emere, aut vendere; hoc eſt, audire, vel prædicare niſi peſtilentem eius doctrinam.

Vt autem caueant electi, prædicit nomẽ eius Ioannes. Numerus enim nominis eius (ait) ſexcenti ſexaginta ſex; hoc eſt, conficient literę nominis eius hanc ſummam. Apud etenim Græcos literę ſiue elementa numeros notant hunc in modũ. Ad decimã vſq; ita ſignicant, vt quælibet litera pręcedentem ſuperet vnitate. A decima autem

denario altera alteram ſuperexcedit numero ; vſq; ad numerum centenarium ; quo peracto, per centenaria reliquæ increſcũt. Qui beſtię numerus cùm per tria conficiatur ſenaria, nõnullis videbitur diuinus ; ſed penes fidelem, quoniam ſex diebus creatus fuit orbis vniuerſus, numerus eſt creaturæ, non autem Dei. Fortaſſeq; hanc aptando ſupputationem Latino Alphabeto, Pręcurſor qui apparuit Antichriſti, dempta ſolùm vnitate, in eundem concurrit numerum ; vt & nomine conformetur, quemadmotum & doctrina concordat. Si etenim rectè computes nominis huius elementa, Martin Luter, ꝑdicta rõne ; cõficere inuenies ſexcẽtos ſexaginta quinq; ; vt cognoſcas nullum penitiùs illo Antichriſto adhæſurum; quin immò vltimus ipſe eſt Præcurſor, nuntiusque eius aduentus. Et ſi vnum aliud in eo affuiſſet, nempe miraculorum operatio, planè verus fuiſſet Antichriſtus : ad eiuſque conſcendiſſet perfectum nominis numerum.

Hinc poſſumus euidenter coniectare, nõ poſſe Antichriſti aduentũ iam morari; quoniam vti inter Ioannem Baptiſtam & Chriſtum modicum interceſsit tempus : ita & hi haud

haud procul aberunt : quanquam diuina prona ſit pietas malo procraſtinando, prout & bono prompta eſt accelerando. Abbas igitur Ioachim interuallum tantummodò ponit annorum triginta; Ioannesq́; Pariſienſis omnifarijs concludit rationibus, tempus Antichriſti haudquaquam poſſe triginta annos excedere à tempore in quo nunc agimus. Longè autem meliùs conijcere id nos poſſumus; niſi ab eius fuſcaremur caligine; quoniam hoc in tempore palàm conſpiciuntur inter fideles omnia nequiſsimi Antichriſti membra. Adſunt ſiquidem blaſphematores Dei horribiles, Chriſti venditores manifeſti, hęretici incredibiliter pertinaces, ſuperſtitioſi & venefici innumeri, hypocritæ ſupra modum, ſpiritales à Diabolo illuſi longè, quàm vnquam anteà, plures. Quis iam dubitet, cùm vniuerſa eius apparuerint membra, citò prodíturum & caput? fortaſſeq́; iam apparuit mundo editus; prout inſolita videntur ſignificare in cœlo, & in terra, prodigia, & portenta.

In Cap. XIIII.

PROFVNDISSIMA hac inuenies ſę-

per in prophetia poſt magnam Eccleſiæ tẽtationem noua ſuccedere auxilia; omnesq́; eius aduerſantes iuſtę addici vltioni; ita vt locum habeat, quod ait propheta; Vniuerſę vię Domini, miſericordia & veritas. Mala vidimus in prętcedenti Capite; iam illius amaritudinem iſtius attemperabimus dulcedine.

Agnum ſupra montem Sion, & cum eo eius habẽtes nomen, crediderim populi eſſe conuerſionem Hebręi; quę ſexto expectatur in tempore, pręcipuè poſt Antichriſti mortem, à quo ſe videbũt illuſos. Voces & harmoniæ noui Cantici, tripudium erit & exultatio, quæ tunc ſiet in Eccleſia. Ideoq́; ſextum ſemper celebratur tempus, tãquam noui initium ſeculi. Si etenim in conuerſione gentium nuptiæ factę ſunt donis & chariſmatibus affluentes Deificis; non minorem ſanè tempus illud exigit lętitiã; quãdo iam prædilectus populus, per quem & Patriarchas habemus & prophetas, cuius è ſanguine Deus ipſemet carnem aſſumpſit, ad fidẽ quaſi poſtliminio reducetur. Ideoq́; optabat ipſemet anathema eſſe Paulus à Chriſto, hoc eſt ab eius gloria, vt ſalutẽ conſeque-

ſequeretur populus ille. Erunt hi præ cęteris omnib⁹ fidelisſimi, caſtiſsimi, ſingulariq; prædotati priuilegio: vt quemadmodũ eo elegit Deus ex ſanguine ſuæ fundamentum Eccleſię, ita & ex eodem coronidem illi imponat, ſtructuramq; perficiat. Hoc vnum eſt ex antidotis, ad eos, quos afferet Antichriſtus, dolores.

Alia erit conſolatio tribus ab Angelis, trifariàm euangelizantibus. Hi porrò tres erunt Angelici prædicatorum ordines, miſſi ad Eccleſiæ inſtaurationem. Primus conſpicitur à Ioanne volans, Euangelium habẽs æternum: hoc eſt omni prætermiſſa curioſa doctrina, fallaciq; interpretatione, euangelizare omnibus gẽtibus, Dominum timeãt, plenoq; illum adorent corde: quoniam venit hora iudicij eius. Hinc ſignificatur ſanctum hoc collegium (quodcunq; illud futurum ſit) inducturum homines ad verum Dei cultum, amore ſimul & timore.

Sequens Angelus lætanter admodũ annuntiat caſum Babylonis: hoc eſt, reproborum: qui cum ob excedentia peccata, tum propterea quòd bonos opprimunt, qui ſub eorum prauis captiui detinẽtur exemplis;

aptè dicuntur Babylon, quod ſonat cõfuſio: quę vti lux debebat eſſe mundi; ita inebriauit vino ſuę fornicationis gentes omnes. Sed quoniam quę ſit iſta Babylon, heu nimis experimur: non eſt quòd verbis inde loquamur. Hoc vnum dico, extremum eius caſum inſtaurationem fore Eccleſię: ideoq́; dicit Angelus. Cecidit cecidit Babylon illa magna. Vbi obſerua, loqui eum in præterito, ob luminis certitudinnem prophetici: tàmetſi completa eius ruina non erit, niſi mortuo Antichriſto. Replicat autem, cecidit cecidit; vt innuat hic percutiendam, & in futuro ſeculo.

Succedit tertia ſocietas Angelica, qui aduerſus impium Antichriſtũ prædicantes, annuntiant minitantes iram Dei, ſi quis adorauerit imaginem beſtiæ, & acceperit characterẽ eius: horroreq; concutient Chriſti inimicos, annuntiantes eis inferni cruciatus in ſecula ſeculorum. Audit deinde Ioannes vocem hortantem electos ad patiẽtiam, dicentem: Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Hic vide diuinam ſuper Eccleſia ſua prouidentiam, bonum aduerſus malum induplicãtem; dum duas

contra

cõtrà beſtias, tres mittit Angelos, prorſus contrà prædicantes: lætitiamq́; reproborũ pœnam conuertit in temporalem, ſimul & æternam: mæroremq́; fidelium in gaudiũ conuertit perfectum, tum ex Hebræorum conuerſione, tum ex Babylonis plaga: quę qualis futura ſit, in ſequenti aperit viſione.

Videt enim ſuper nubem ſedentem, ſimilem filio hominis, falcem habentem in manu acutam. Hic eſt Chriſtus ſuper Eccleſiam, qui malos vult exterminare. Angelus autem qui è templo clamat ad filium hominis, vt mittat falcem, & metat, quoniam aruit iam meſsis terræ: iuſtitiam ſignat, quæ aduerſum immodica, & permatura populi peccata Chriſtiani vindictam expoſtulat. Quòd miſit falcem; uniuerſale notat flagellum, quod per areſcentem deſcribit demeſſam ſegetem: quia magis erit per famem et peſtem, quàm per ſanguinẽ.

Per duos alios Angelos ad filium inclamantes hominis, intelligendũ eſt, priore in flagello haudquaquam futuram morum correctionem: vnde induplicabitur vindictæ præparatio. Per eum qui exiuit de altari, habens poteſtatem ſupra ignem, ſe-

cunda in plaga illis interminatur, qui de altari viuunt, ignemq́; diſpenſant Spiritusſancti, quorum ematuruerint peccata, inſtar vineæ, cultrum exigentis ob nimiam maturitatem. Dicit deinde, miſſam fuiſſe vindemiam in lacum iræ Dei magnum: modica enim non ſufficeret vindicta tot extirpandis flagitiorum cumulis. Et quoniam id adimplebitur, quod dixit Chriſtus ad Phariſæos; Auferetur à vobis regnũ Dei: videt Ioannes extra ciuitatem calcari lacũ, vnde exiuit ſanguis vſq; ad frænos equorũ: vbi duo innuit; primò hanc fore plagam ſanguinis: dein & haud alia poſitum iri ratione frænum tot adulterijs, ſacrilegijs, Sodomijs, Simonijs, alijsq́; ſceleribus, quàm per viam ſanguinis.

Quid autem ſignificet quod ait, exiſſe ſanguinem per ſtadia mille ſexcenta, non auſim interpretari; niſi fortè hoc innuat fore in tempore, quando poſt elapſos mille & quingentos à ſalute annos, ad ſexcenteſimum properamus. Hic autem ſaniori locus ſit ſententiæ.

Pro huius complemento viſionis obſerua, quemadmodum ſexto in tempore veteris

ris Eccleſiæ gemina fuit plaga, Nabuchodonoſor nēpè, & Aſſueri; ita dico & duas fore ſexto in tempore; quod nunc ingredimur: quæ à Ioanne deſcribuntur ſub figura primùm demeſſæ ſegetis, mox & vindemiādę terræ. Fortaſſeq; fuit prior, quam ſuperioribus annis ſuſtinuimus: altera non procul oſtenditur abeſſe, ob inſolita, quæ vndiq; audiuntur, prodigia.

In Cap. xv.

IN tribus his ſequētibus Capitibus oſtenditur Ioanni omnimoda Babylonis percuſſio: per quam accipio ego omnium cōgregationem malorum. Pręcedens etenim viſio reſpicit fideles duntaxat: hæc autē tàm infideles, quàm fideles; illos præſertim qui Antichriſtum fuerint ſecuti, eiusq; Præcurſorem; necnon & Sarracenæ impietatis ſectatores: ideò nouiſsimę dicuntur plagæ, quoniam in his (vt ait) conſummabitur ira Dei.

Vidit igitur Ioannes eos, qui vicerant beſtiam, & imaginem eius, hoc eſt Antichriſtum, & eius complices; ſtantes ſuper

mare

mare vitreum, miſtum igne; hoc eſt, ſup ſacrum Baptiſma, gratia informatum Spiritusſancti; cantantes canticũ Moyſi & Agni. Laudabunt etenim Deum de miribili eius ſapientia, ipſis manifeſtata per eius prouidentiam gubernationis, ita in veteri prout in nouo Teſtamento. Vbi ſanè & intellectum aperit ad hanc prophetiam; quoniã eodem temporum ordine, licet diuerſimodè, ſibi reſpondent Synagoga & Eccleſia. Quo in cantico mentio fit iuſtitiæ, ſimul & pietatis: quoniam vniuerſa Dei opera ad alterũ ex his duobus rediguntur caput: vna verò nunquam eſt ſine altera.

Poſt hæc videt aperiri templum tabernaculi teſtimonij in cælo. Horũ etenim haud quaquam poſſet haberi cognitio ſecretorũ, niſi Deus adaperiret tabernaculum Scripturarum, mentemq; Prophetarum, quæ ex ampla claritate cælo æquiparatur. Per ſeptem Angelos ſeptem habentes plagas, ſeptem Angelici intelliguntur viri, qui iram Dei annuntiabunt, poteſtatemq; habebunt illam immittendi. Bene autem veſtitos eos ait lapide mundo & candido; quoniã erunt charitatis vnitione Chriſto transformati,

qui

qui dicitur lapis viuus: cinctiq; erant ad pectora zonis aureis; amore etenim Chriſti, cor gerent ab omni vana cogitatione præcinctum & liberum. Vnumq; de quatuor animalibus dat illis ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei. Fortaſſe hic eſt ipſemet Ioannes, cui præ cæteris reuelatum fuit hoc myſteriũ Euangeliſtis. Neq; verò myſterio vacat, quòd vaſa iracundiæ ſint aurea: vt oſtendat Deum ita punire peccata, vt & in ſe ſemper maneat purus & tranquillus. Dehinc ſubijcit, à maieſtate Dei, quæ totum inumbrauerat templum, neminem potuiſſe in illud introire, donec conſummarentur ſeptem plagæ. Vbi ſignificat huius claritatem myſterij noſtris abſcōditum iri oculis, donec conteratur, cum ſeptem eius capitibus, Antichriſtus.

In Cap. XVI.

QVAE ſint ſeptem Draconis capita, variæ ſunt Patrum ſententiæ: & quælibet earum vera poteſt eſſe. Ego autem hunc accipienda crediderim in modum. Antichriſtum imprimis dici Draconem, quoniam

vniuerſa vis Diaboli in eo adunabitur: omniq; perditiſsimorum hominum de genere vnionẽ faciet: inter quæ ſeptem erunt principalia. Prima erit Hebræorum natio: qui eò illi arctiùs adhærebunt, quo diutiùs Meſſiam ſunt præſtolati: vt verificetur quod illis prædixit Dominus. Ego veni in nomine Patris mei: & non accepiſtis me. Si alius venerit in nomine ſuo, illũ accipietis. Hoc erit primum Antichriſti caput. Secundum erunt multi idòla colentes, qui ad eius conuertentur doctrinam & miracula. Tertium erunt homines ſcientifici & curioſi, qui in iſto perfectionem inuenient omnis eorum vani & infrugiferi deſiderij. Quarti erũnt multi Prælati illuſtres, & Principes. Eorũ etenim faciet ſatis Antichriſtus cupiditatibus, dilargiendo quas amant diuitias, honores, & laſciuias. Quintum cõficient caput qui eius ſecuti fuerant Præcurſorem: ob cuius doctrinã ita citò Antichriſtum recipiẽt, quemadmodũ lignum aridum citò arripit flammam ignis. Sexta erit gens Mahometana, quorum vita omnino conſonat Antichriſtianæ. Poſtremò aderunt beſtiæ pſeudoſpiritales. Hoc porrò malitia cætera excedit

cedit capita: vti ſuo dicemus loco. Eius cauda erunt nationes Gog & Magog, poſt quas ſtatim aderit Chriſtus ad iudicium.

Ideò diuina oſtendit prouidentia Ioanni ſeptem phialas iracundiæ in ſeptem hæc capita. Primus (ait) effudit Angelus phialã ſuam in terram; hoc eſt, Hebręorum populum, qui dicitur terra grauis & dura ſua in obfirmatione. Et factum eſt vulnus ſęuũ & peſsimum in homines qui habebant characterem beſtię, hoc eſt, Antichriſti; qui nunc dicitur beſtia, nunc Draco. Sęuum hoc vulnus, vehemens erit admodum plaga, quam Deus in illos immittet: vnde cęteri, eorum conuertentur territi exemplo. Secundus Angelus, hoc eſt angelicus prędicantium ordo, diuinę intonando vas effundet iracundię ſup mare idololatrantiũ: & fiet ob multas ſtrages, tanquam ſanguis mortui; ita vt deficiat in illis omnis anima viuens; eorum ſcilicet qui cum Antichriſto conſpirauerant.

Tertius effundit Angelus iram ſuper flumina, & ſuper fontes aquarum: hoc eſt, in eos qui nunquamnon excurrunt de curioſa ſcientia in aliam, magniq; pendunt, ac vim

faciunt

ſaciunt in Ariſtotelis ſecta, & Commentatoris impij, ita vt ſpiritum occidant Scripturarum: & quoniam in dubium reuocant animę immortalitatem, vnde fides noſtra pendet vniuerſa, ideò à Deo ſanguine ferientur, vti ſanguineis oblectati ſunt doctrinis. Quarta effunditur in Solem phiala, hoc eſt in Prelatos & Principes viros, quos par foret eſſe vti Solem, nimirùm vt lucem & vita afferrent, & doctrina. Dicit autem datum illis fuiſſe vt ęſtu homines affligerēt & igni. Vti enim planè experimur, mundo ſunt offendiculo vniuerſo: viceq; ſunt Dei flagelli in populum, qui eorum pereunt de cauſa. Non etenim penes ſe pios conſentiunt habere homines: ſed morionibns oblectantur, ſuperſtitioſis, veneficis, hariolis, alijsq; notorijs doctrinis & artibus. Blaſphemauerunt autem, bene ait, Deum cęli, & non egerunt pęnitentiam: prout comprobat experientia. Quorum erit conformis plaga peccato: quoniamq; ſunt Pharaoni conſimiles Regi Aegypti, ideò in ipſo rectè ſe contemplentur.

Quinta iam cępit plaga ſuper ſedem beſtię, hoc eſt Luteri ſectatores, qui ſedem

pręparauit

prçparauit Antichriſto. Factumq́; eſt eius, inquit, regnum tenebroſum: vti planè videmus tantam confuſionis nebulam inter eos obortam, vt iam quid illis credendum ſit, ignorent: iamq́; ſexcentas edidere articulorum, dogmatumq́; in peius ſemper immutationes. Quorum erit plaga, vt Antichriſtum recipiant, cōmanducentq́; prę dolore linguas: iuſtoq́; Dei iudicio tot inter calamitates non merebuntur agere pœnitentiam, quando eam penitus peſſum dedere & doctrina & operibus.

Sexta effunditur phiala in flumen magnum Euphrâtem; qui quoniam Babylonē interfluit in Mahometanorum regionibus, illam ſignat ſectam. Bene autem ait, flumē illud magnum: quoniam ſuis occupauit aſſiduis bellorum inundationibus longè maximam mundi partem. Diſpenſante autem diuino iudicio, oportet dicti aquas fluminis exiccari, hoc eſt populos imminui; vt præparetur via Regibus ab ortu Solis; hoc eſt veræ Chriſtiani regiminis luci. Nō etenim graui abſq; plaga fidei cōuertentur Chriſti.

Hęc porrò haud fiet conuerſio magna abſq; Diaboli repugnantia; qui nullum nō

 mouebit

mouebit lapidem, nullamnon adhibebit induſtriam & conatum, ne à ſua propellatur ſede veteri. Videt igitur Ioannes exire de ore Draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ, tres ſpiritus immundos; hoc eſt ex Antichriſti ſecta; cui (vt diximus) duæ fauebunt beſtiæ, quarum erit ſecunda pſeudoprophetarum congregatio ſeu colluuies: & facient ſigna magna & prodigia in virtute Diaboli, & procedent ad Reges totius terræ, congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotẽtis Dei, hoc eſt, ad pugnandum contra Chriſtum, in locum q. vocatur Hebraicè Armageddon, quod interpretatur mons obſcurus, ob tenebras peccati. At vincet Leo de tribu Iuda, partim ex pietate conuertendo, partim ex iuſtitię vltione terrorem incutiendo.

Septimus affligit Angelus aerem: quos ego intelligo pſeudoſpiritales, membra Draconis. Neq; verò auſus fuiſſem ego ſpiritales annumerare inter capita Antichriſti, niſi D. ſcriberet Vincentius, hac in tempeſtate magnam ſpiritalium, ſeu potius à ſpiritibus malignis illuſorum turbam, oblectari ſomnijs, viſis, prophetijs, & miraculis: qui (vt

ipſe

ipſe affirmat) ſedem parant Antichriſto, qui huiuſcemodi plenus adueniet mirabilibus. Ideoq; audit Ioannes vocem de throno, dicentem: Factum eſt. Quoniam vbi ſpiritalium arx facta erit Antichriſti ſedes, non iam erit ſpes ſalutis, niſi per plagam & vindictam. Vnde ſuccedunt fulgura, & voces, & tonitura, & terræ motus, qualis nunquam fuit ex quo homines ſúnt ſuper terrã: & ciuitas magna, hoc eſt Babylon fit in tres partes, vnam altera peiorem, conformiter ad tres ſpiritus immundos, exeuntes vt diximus. Tnnc vſqueadeò excreuerint ad ſũmum peccata, vt & omnis inſula fugiat, neq; montes inueniãtur: hoc eſt, vera nõ erit fides, neq; in Clericis, neq; in Monachis: tãtaq; effundetur diuinæ grando iræ, vt homines prę deſperatione blaſphematuri ſint Deum. Quæ autem futura ſit monſtroſæ huius Babylonis plaga vniuerſalis, ſequenti deſcribit in Capite.

In Cap. XVII.

HIC oſtenditur Ioãni Babylonis damnatio. Quam ego intelligo omnium congrega-

gregationem reproborum, tàm fidelium, quàm infidelium: diciturq́; meretrix quæ ſedet ſuper aquas multas; quoniam à Deo fornicata eſt diuertendo, cui tenetur omnis creatura: ſuoq́; multos peruertit exemplo populos: vnde ait; cum qua fornicati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitabant terram, de vino proſtitutionis eius. Videturq́; in deſerto; quòd non exculta ſit virtutibus, ſed ſterilis, & ſpinis obſita: ſedetq́; ſuper beſtiã coccineam, hoc eſt, cruentum multo effuſo ſanguine Antichriſtum: omnes enim perditi homines membra dici poſſunt Antichriſti, prout & boni membra ſunt Chriſti. Bene autem plenam eam dicit nominibus blaſphemiæ; quoniam non erit, quam non ſit in eo reperire, blaſphemiam ſeu impietatem.

Purpureum porrò veſtimentum, & lapides pretioſi, pompam notant & laſciuiam: vnde & poculum habens aureum in manu ſua, abominabili plenum immunditia, omnes inuitat ad bibendũ eius ſequaces. Neq; verò abrè ſcriptum in fronte gerit nomen ſuum: quoniam non oculte, vt alij, ſed palàm nomen impugnabit Chriſti: nimiamq́;

ob eius crudelitatem, ebria conſpicitur ſã-guine Martyrum, quorum magnam cœlo tranſmittet multitudinem.

Admiratur Ioannes beſtiam hanc monſtroſam admiratione magna. Magni etenim eſt res ſtuporis, poſt agnitam Euangelij veritatem, eouſq; deſcendere mũdum ſummi vitiorum: & dicit; Beſtia quam vidiſti, fuit, & non eſt, & aſſenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit. Hoc ait, quoniam Antichriſti vis erit à Diabolo, qui primùm cauſa extitit ſeditionis in cælo, lapſuſq; terreſtri in Paradiſo: ſed poſtea fuit per Agnum occiſum concluſus in inferno; denuoq; violẽtiùs exibit in omnis ſummo peccati, vti in prȩſenti eſt videre beſtia.

Quod poſtea ſubijcit de ſeptem capitibus, & ſeptem montibus, ipſemet declarat, Reges eſſe ſeptem, quorum quinq; ceciderunt, vnus eſt, & alius nõdum venit: & cùm venerit, oportet illum breue tempus manere. Et beſtia quæ erat, & non eſt: & ipſa octaua eſt, & de ſeptem eſt, & in interitum vadit. Hoc ſanè captu eſt difficillimũ. Spiritus etenim ꝓpheticus nunc deſcribit futurũ, vti futurũ; nũc vti p̃teritũ; nũc vti prȩ-

ſens: quoniam, qui loquitur in propheta, Deus, omne ſuperexcedit tempus: ideoq; ab vno ſæpe in aliud tẽpus eodemmet tranſilit in textu: prout hic, cùm ait: beſtia quæ fuit, & non eſt: loquitur Ioannes de tempore in quo agebat ipſe, cùm ligatus erat Satan: vbi autem loquitur de ſeptem capitibus, quorum quinq; venerunt: crediderim beſtiam ſignificare, quæ eminentiori futura ſit in eius celſitudinis culmine, tunc nempe cum iam præterlapſis quinq; capitibus in quinq; peſsimorum hominum ſtatibus, ipſa perſonaliter aderit in ſexto: Breueq; oportet eam tempus manere: acſi diceret, eius ſummum fore culmen annorum ſpatio triũ cum dimidio: tametſi eius & reliquiæ ſeptima durent in ætate; in octauaq;, adueniẽte nempè Chriſto, omnino it in interitum. Vbi & id comprobatur quod ſuperiùs dicebamus, appropinquare quippè eius aduẽtum, quãdo iam tranſijt quintus mons, ſiue caput eius.

Melius porrò hæc verificatur interpretatio, cùm Ioannes ipſemet decem cornua beſtiæ, decem interpretatur Reges, qui poſt eam poteſtatem tanquam Reges vna hora

acci-

accipient, vnumq́; habebunt conſilium vt illam inſtaurent. Vbi oſtendit loqui ſe de tempore beſtiæ. Hęcq́; cornua crediderim vltimum eſſe Antichriſti conatum in gente Gog & Magog. Qui duo efficient; primùm extripabunt multo cum ſanguine fornicariam: hoc eſt, eorum congregationem qui denuò à Deo diſceſſerint: dehinc & cũ Agno pugnantes, volenteſq́; eius fidem extinguere, ab eo ſuperabuntur per vltimũ eius aduentum.

In Cap. XVIII.

PER Angelum de cælo deſcendentem cum poteſtate magna & claritate, magnus quiſpiam accipitur prædicator, qui proximum annuntians Babylonis caſum, ab illa diuidet electos, ne ſimul pereant; quemadmodum diuiſit Chriſtus ab infelici Synagoga eius gregem, illam dans in exterminiũ. Loquitur autem hic Angelus in tempore præterito, cum ob ruinæ certitudinem, tum ob imminentis præſentiam plagæ. Iamq́; hæc pateſcit veritas, cùm multi nunc adaperiant oculos, eiuſq́; à conſuetudine rece-

dant.

Quare ait. Exite de illa popule meus, quoniam peruenerunt peccata eius vſq; ad cœlum: quã ego crediderim paulò minus noſtris verificatam temporibus ſententiam.

Oſtendit proinde magnam fore nimis hanc plagam, cùm ait. Reddite illi &c. duplicate diplicia ſecũdum opera eius &c. acſi diceret, induplicate illi vindictã, prout diutius ſuæ eſt immorata obſtinationi: quãtò magis intumuit ſedens Regina, & in delicijs, eo acrius illi incutite tormentum & luctum. Oſtendit & repentè hoc futurum excidium, cùm ait, vna die venturum eius iudiciũ. Stupori & forè oſtendit exemploq; mundo: cùm ait, qui cum ea fornicati ſunt, videntes fumum incendij eius, longè ſtaturos propter timorem tormentorum eius, & dicturos, plangẽtes delicias aniſſas &c. oſtẽdit & fore calum irreparabilem, cùm Angelus fortis tollens lapidem quaſi molarem magnum, & mittens in mare, dicit: Hoc impetu mittetur Babylon in mare, nempè exterarum gentium; & ampliùs non inuenietur.

Et quoniã tali ex deſolatione Babylonis

electi

electi libertatem recipient ſpiritus, quemadmonum ab eius diuturna fuerant malitiæ ſeruitute oppreſsi, ideò inuitat Ioannes & cęlum & Sanctos, vt exultent, quoniam nedum percuſſa eſt illa, ſed & æternùm erit eius deſolatio, vt nunquam poſsit ampliùs bellum facere aduerſus Deum.

Quanquam verò Babylon accipienda ſit vniuerſa reproborum cõgregatio, attamen illos potiſsimùm reſpicit, qui cùm nomine ſint Chriſtiani, re tamen membra ſunt Antichriſti. Ideoq; de Babylone ſuperiùs loquens, in qua (inquit) Dominus fuit crucifixus. Crux etenim eius ſpiritualiter renouatĕ in blaſphematoribus, & ſimoniacis, & hæreticis. Crediderimq; ſanè eorum haud poſſe ampliùs morari plagam. Adaperiant igitur oculos qui tanto volunt præ ſeruari ab incendio, fugiantq; à peccato; niſi velint incauti (vti filijs euênit S. Iob) ab eius opprimi cadentis ruina.

In Cap. XIX.

POST horribilem Babylonis caſum audit Ioannes in cœlo, hoc eſt in Eccleſia vo-

cem exultationis, & lætitiæ magnam & admirabilem. Quæ quidem duabus erit de cauſis: primùm diuini ob intuitum honoris, impleta ex iuſtitia: deinde ob nouellas, quæ ſurgent in horto fideliũ, plantationes, tunc cùm fuerit à tribulis purgatus & ſpinis. Ita adumbratum fuit in repudio Reginæ Vaſthi, cùm obſequi renuit eius coniugi Aſſuero: vnde ſucceſſerunt felices Eſther Reginæ nuptiæ, cum totius ſalute populi Hebræorum. Quod & meliùs fuit adimpletum, cùm Hebręus populus à Deo vti rebellis fuit reiectus, eiusq; ſucceſſere in locum gentes: cùm Spirituſſanctus largiflué fuit in nouæ gratiam electæ ſponſę effuſus. Sed & meliùs nouiſsimis adimplebitur his in tẽporibus, iam à Ioanne præuiſis, cùm profligata & ſubruta penitus adultera Babylone, Eccleſiaq; inſtaurata, omnes inuitabuntur populi & gentes ad diuina percipienda chariſmata, quæ à Deo in electos profundentur. Hic autem triumphus perfectè non adimplebitur, niſi mortuo Antichriſto: at cito incipiet. Et iam fortaſſe cæpit in noua prędicatione ad nouã regionẽ, & inſulas, tum ad Occidentalem plagam, tum

tum & ad Meridionalem, noſtris agnitã té-poribus. Quod ſanè prę cęteris argumenũ eſt valdè prędictam innuens plagam.

Nequaquam mirum ſi adeò iubilant Sã-cti: quoniam nunquam tanta viſa eſt Dei gloria in terris, quanta tunc conſpicietur. Quare beatos dicit eos, qui ad cęnam nup tiarum Agni vocati ſunt: poſt illam etenim non aliud expectatur conuiuium, niſi cùm in cęlum aſſumpta erit electorum Eccleſia. Porrò ob huius certitudinem prophetię di-cit: Hęc verba Dei vera ſunt. Cùm autem vellet Ioannes adorare Angelum, qui illi hęc reuelabat myſteria, fuit ab illo vetitus. Chriſtus etenim nedum Angelis nos reddi-dit ęquales, ſed & ſuperextulit, ob naturã noſtram eius copulatam Diuinitati.

Ideoq; nunc videtur inſidens equo albo, hoc eſt ſuper mũdiſsimam carnem: habens diademata multa, ob deuictos multos ſu-biugatosq; illi populos: cuius nomen ipſi ſoli eſt notum; quoniam ſolus Deus perfe-ctè ſeipſum comprehendit. Verbumq; eſt Dei, non ab ipſo diuiſum, ſed nobis cõiun ctum. Qui & veſte amictus erat ſanguine aſperſa, ob eius paſsionẽ: gladiusq; exibat

de

de ore eius ex vtraq; parte acutus, ob ſeren dam aduerſus obfirmatos ſententiam. Sequebantur autem eum exercitus candidi & mundi: hoc eſt, qui per veram & immaculatam fidem erunt Deo conuerſi: quemadmodum in die legimus Palmarum, & qui præcedebant, & qui ſequebantur omnes gaudentes, & Deum collaudãtes acclamaſſe illi: Hoſanna filio Dauid: benedictus &c. ſignificantes conuertendas primùm gẽtes: ſub ſequuturum demum & Hebræorum populum.

Angelus, qui ſtans in Sole, inuitat aues cęli, vt venientes manducent carnes Regum, & Tribunorum, & cuiuſcunq; conditionis hominum: aliud nõ eſt, quàm clarum Dei Verbum, quod lucem afferens ſimul & calorem, contemplatores illius inuitabit temporis ad conuertendos nobiles & ignobiles, eosq́; abſtrahendum ab affectibus carnalibus, incorporandumq́; Chriſto in ſpiritus vnitate; quemadmodũ traijcitᷣ, transformaturq́; cibus in corpus.

Non tamen extinctæ erunt plantę Antichriſti vniuerſę. Vnde videt Ioannes beſtiã congregare exercitum contrà; at diuina be
ſtiam

ſtiam virtute, vnà cũ pſeudopropheta mitti in ſtagnum ignis, & cęteros eius exterminari ſequaces.

In Cap. xx.

QVEMADMODVM quinto conſpeximus in ſigillo aperiri puteũ abyſsi; hoc eſt, exolui Diaboli rabiem, vt poſsit adaperire viam omnibus hęreſibus, per ſtellam illam cęlo delapſam, hoc eſt Antichriſti Pręcurſorem: ita nunc videt Ioannes Angelum deſcendentem de cęlo, alligantemq́; Satanam & claudentem eum ſub abyſſo: ſignificans nimirùm quòd quemadmodum quinto in tempore proditurae erant omnes errorum tenebrae, ita & ſublato Antichriſto, omnes ſepelientur. Vbi nota, diuinam nunc cohibere prouidentiam Diabolum, nunc laxare illi fręnum, vt agnoſcamus quantae ſit ille malignitatis, quantumq́; eualeat eius gratia temperando illius furori; ita vt & exerceat electos, & caecitate percutiat obfirmatos.

Tempus huius carcerationis fore ait mille annos. Quod D. intelligit pater Auguſtinus

nus pro parte ſextæ chiliadis, ſeu ſexti millenarij; quod extremum fore opinatur: vt quemadmodum ſex diebus perfectus fuit mundus; ita per ſeptem voluendo annorũ millia, in ſeptimo ſit millenario æternę ſabbatiſmus requiei. Vñ ſi annos ſupputando cõditi orbis, ab Adam ad Chriſtũ non niſi quater mille interfluxere anni, iuxtà Hebręorum calculum; ſupereſſent adhuc circiter quingenti anni ad orbis exitũ. Quo in tempore cùm facienda ſit omnium conuerſio gentium, ligabitur Diabolus. Neq; verò aſpernanda eſt hæc expoſitio, quoniã Scriptura ſæpe vſurpat partem pro toto tẽpore: prout tempus quo iacuit Dominus in ſepulchro, dicuntur tres dies, & tres noctes; & tamen quadraginta duntaxat fuere horæ. Hicq; ſeptimus erit Eccleſiæ ſtatus: qui à morte incipiens Antichriſti, ſuum & ipſe habebit circuitum: gradatimq; euoluetur, quoaduſq; deficiẽte fide denuò exoluetur Satan.

Vnde ait. Et cùm conſummati fuerint mille anni, ſoluetur de carcere ſuo: & exibit, & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog, & Magog. Quo

ſanè

ſanè in loco haudquaquam acceperis particularem aliquam natioñe, prout nonnulli arbitrantur ,cùm nulla queat eſſe gens ſup quatuor angulos terræ: ſed exercitus erit variarum gentium, à Diabolo congregatus contra Chriſtifideles ; quorum nonnulli occultè, alij palàm impugnabũt: hoc enim ſonat vox iſta, Gog, & Magog. Vltimæ erunt iſtæ Antichriſti reliquię: in eisq; extremum ſuum adhibebit quammaximè Diabolus conatum. Aiuntq; Sancti Doctores perſequutionem hanc fore cæterarum omnium acerrimam: at diuina minimè patiet̃ clementia eam diu perſiſtere: ſed (vt ait) igne è cęlo deuorabuntur, adiudicabunt̃q; æternis cruciatibus. Vnde ſtatim videt Ioã nes mortuorum reſurrectionem, hosq; impios, cum cæteris ſimul omnibus, qui non ſunt inuenti in libro vitæ præcipitari in ſecundam mortem.

In Cap. xxI.

QVAE futura ſit in terris eccleſię pulchritudo, quæ'ue in cœlo, Ioannes videt poſtremis in his Capitibus. Primùm nouã il-

lam

Iam dicit Ieruſalē; quoniā noua inſtaurabit pacis viſione: dehinc eam dicit ſponſam vxorem Agni, quoniam vbi peſtiferis erit expurgata germinibus, omnigenis exornabitur ſpiritus donis & gratijs. Quo in tempore habitabit, inquit, Deus cum hominibus; ob ſummam nimirùm tunc temporis internorum perfectionem hominū. Bene autem è cœlo deſcendit; quoniam (vt ſcribunt nonnulli) ob largifluè effuſa chariſmata, Paradiſus videbitur in terris. Quapropter ceſſabunt lacrymæ: timidiq; omnes, & increduli, & venefici, & fornicatores à conſortio excludentur ſanctorum, perpetuiſq; addicentur in inferno cruciatibus. Iam ceſſabunt Mahometanorum veneficia, iam Luteranorum hæreſes, iam Simoniæ, & ſacrilegia, & adulteria, hodie ſibi dominatum vendicantia. Summa, omnia extinguentur peſsimi membra Antichriſti.

Ideò Angelus illi oſtendit è monte excelſo Ieruſalem, totam effulgentem claritate luminis, muroq; circundatam magno & alto, habentem portas duodecim, quatuor reſpondentes mundi plagis. Quam ego viſionem minimè acceperim de cæleſti patria,

tria,

tria, quade in ſequenti loquitur capite; ſed de inſtaurata in terris Eccleſia: quę penes multifarias nationes, & duodecim habebit tribus Iſrael, prout hic clarè exprimuntur. Bene autem tres habebit portas à latere vnoquoq; muri illius validiſsimi; quoniam haud amplius poterit à Diabolo expugnari; portæq; nunquam antea patuere Occidentales: quin immò alia non credebatur eſſe regio nunc: verò paſsim murus ille portis fidei ſanctiſsimæ Trinitatis fabricatur. Hæc porrò dicitur in quadro poſita ciuitas; quonium & partes mundi ab infidelibus oppreſſæ, & quas tenent fideles, ad normam inuiolabilis conquadrabuntur veritatis. Et quoniam non amplius locum habebit Diabolus, ideò haud claudentur amplius eius portæ: noxq; non erit vltra; quoniam diuini præſentia luminis omnem fugauerit prorſus peccati vmbram.

Quale erit hoc conuiuium nouæ iſtius ſponſæ, quando erit è numero Elias cõuiuãtium: cùm tot & tàm varia idiomatum genera vnam & eandem vnientur in viuam & veram fidei profeſsionem: cùm populus Iſraeliticus poſt tot plagas nedum ſanabitur,

ſed & toti mundo mirabile præbebit diuini ſeruoris exemplũ? Verè beati illi qui huiuſmodi merebuntur intereſſe nuptijs; quoniam ab illis ad æternas transferentur nuptias: vnde ſtatim ſubijcit.

In Cap. XXII.

ET oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedẽtem de ſede Dei & Agni. Hic eſt fons ille viuus, quem pollicitus eſt Chriſtus his, qui in eũ crediderint, cuius aquæ perfectè ideò exatiant, quoniam in vitam ſaliunt æternã; dumq; ardentiorem iugiter excitant ſitim, copioſiora & ſpargunt felicitatis flumina. Et ex vtraq; parte fluminis lignum vitæ, afferens &c. hoc eſt, tàm corpus, quàm & animam conſeruat immortalia. Tunc peccatum omne non erit ampliùs: Dei etenim ſemper faciem uidebunt. Ibi non erit opus lumine Solis vel Lunæ; quoniam Dominus Deus ſua eos illuminabit præſentia, ꝑpetuum faciens ſine noctis interpellatione diem. Qua de re ne dubitari poſsit: Hæc verba (ait) fideliſsima ſunt & vera.

Neq; verò beatus abrè dicitur, qui cuſtò dit verba prophetiæ huius: quoniam (vti percurrimus) continet in ſe omnium perfe ctionem vniuerſam ſtatuum: docetq; uiam cœlorum tribulationum eſſe plenam: virtu tēq; patientiæ ſemper eſſe victricē: Deūq; ſuis permittere electis ærumnas multas, quò habeant vnde in fide increſcant, pioq; iugiter occupentur orationis ſtudio. Inſup hîc decurſus vniuerſus notabilis ab initio ad finem uſq; Eccleſiæ reuelatur; ita autē vt lateat oculos ſuperborum, humilibus autem detur occaſio, varijs ſub imaginum ænigmatibus, ad veritatem pertingendi.

Vt autem oſtendat reproborum malitiā nequaquā poſſe diuinæ ordinem inuertere prouidentiæ, ait: Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. Quæ quidem verba iniuſtis dicuntur, vt agnoſcāt voluntariè ſe peccare; tametſi id præui deat Deus & permittat: iuſtis autem, quò in melius ſemper proficiant, ob proximum Chriſti aduentū. Vnde infertur, & improbos hanc poſſe audiendo prophetiam ope-

riq; mancipando quæ in ea ſcripta ſunt, ꝓbos fieri: & rurſum probos, ni ſatagant in melius ſemper proficere, poſſe fieri malos; cùm Deus non ſit acceptor perſonarum: cumq; omnes pariter adhortetur, ab omnibus poteſt & illi pareri. Et ne cuiquam det̃ locus tergiuerſandi, ait: Qui ſitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.

Demum Ioannes ait: Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri ꝓphetię huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta. &c. Quæ terribilis conteſtatio ne cuiquam eueniat fidelium. Amen.

Explicit breuis elucidatio in Apocalypſin, collecta per D. Seraphinũ à Firmo, Can. Reg. & Prædicatorem immeritum.

Spiritualibus perſonis expoſito libro, delectabili quidem ac curioſo, rogatus addat

vel

vel diminuat, ꝓut videtur, Frater Melchior Theologorum minimus: prout exponitur, ita & impreſsioni is admittitur, pro catholico, & verè Chriſtiano.

Idem F. Melchior, Theologiæ profeſſor, atq; hęreticę prauitatis Inquiſitor.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	20	30	40	50
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o

60	70	80	90	100	200	300	400	500
p	q	r	ſ	t	u	x	y	z

M	30
a	1
r	80
t	100
i	9
n	40
L	20
u	200
t	100
e	5
r	80
	665

Computatio literarum nominis Præcurſoris vltimi Antichriſti, Martini Luteri: de qua ſuperius per auctorem Cap. XIII. Apoc. Quæ licet per ſe ſit clariſsima, nos tamē voluimus & hic eam adijcere, ob oculosq́; ſupputare, vt vel vnicuiq; ſtatim ſit obuia & aperta.

Martin Luter

665

Errata, necnon & quædam poſt impreſsionē immutata, ſic corrigito.

Pag. 7. lin. 7. Gaſpar: 9.4. mancipare: 13.17. q ea delectantur: 16.22. tum verò: 18.21. optime: 20.8. feruentiſsimæ: 23.19. & imo ex: 25.12. meipſum: 30.10. ſit: 34.13. mi optime, atq; in: 36.9. ſita ſit: 38.18. ſpirit. Nupt. lib. 1. 42.14. Vvigman: 20. Vvigman: 43.4. Idem: 46.9. triſtitiā: 52.7. Cœleſyriæ: 58.17. Titelmanus: 33. 11. proloquitur: 81.26. quin: 84.25. breuem huiuſce meæ tibi afferēs: 103.8. queritantur: 106.11. omnem: 113. initio paginæ hæc sūt omiſſa. Mortis meditatio. Cap. VIII. Cōuerſionis initio, præ omni alia cogita- 125.22. contemplati? 129.25. quanta ſit: 130.6. iaculatoriæ: 151.8. fouent: 163.2. ex amore: 180.18. illud te: 187. 10. Vincentiæ: 187.189.191. inſcriptionē dele, & repone; Probl. 206.22. fit: 239. 14. ornat: 240.10. cognoſcimus, per: 261. 4. perbreuis: 291.1. beneficum: 300.1. recedēs: 306.24. Euāgelij, obſurdui: 330. 7. deferebant: 350. diuexari ſcrupulorum tentationibus, vt illis uice ſint Purgatorij in

hoc

hoc mundo : quibus : 373.11. accurrunt: 377.23. reparauit: 380.12.ſibi: 444.22. iram placare : indieſq;: 454.10. facit : ru-muſculorumq; relatorem:485.21.ſit: 527. 6. ira: 572.25. demittentes, ſeq; incuſan-tes : 579.18. ferè : 618.8. ipſa: 9. ipſa: 620.26. Alpha & Omega : 624.1. uiſio: 637.2.animali Luca,de: 658.19.& 20.ipſi hęc prophetauere in tẽpora: 675.25. ſignifi cãt: 679.16. euangelizans: 696.20.caſũ:

INDEX IN CAPITA VNIVERSA TOTIVS VOLVMINIS.

IN TRACT. DE INT. ORA.

DEFECTVM ductorum ad viam ſpiritalẽ ſupplebit libellus iſte. Cap. I. 85

Omnia ſpiritalis vię media ad internã redigumtur continuam orationem: quæ quomodo poſsit eſſe continua explicatur. C. II. 88

Theſaurus ſpiritualium præceptionum, in quo cæteræ omnes includuntur, mentalis eſt oratio. Cuius laudes & fructus enarrantur. C. III. 93

Difficultatum recitantur rationes in acquirenda oratione. Contra quas ꝑtinaci obnitendum propoſito, laboriq; non cedendum. C. IIII. 96

Ratio ſuperandi difficultates, per ſimilitudinem conſcenſus montis excelſi. C. V. 100

Iacto ſolido ac ſincero propoſito, mẽtem opus eſt meditatione frænare, lectioneq; librorum paucorũ, ſed vtilium;

lium; prout hic nominantur. C. VI. 104

Modus meditandi, difficultaſq;: cuius aſsigantur ratio: ſed in Dei ſperandum auxilio. C. VII. 110

Mortis meditatio. C. VIII. 113

Meditatio extremi iudicij, cruciatuumq; gehennalium. C. IX. 117

Meditatio Paradiſi. C. X. 122

Alij meditandi modi: deq; iaculatorijs orationibus: deq; perſeuerando, etiam in ariditate. C. XI. 126

Meditatio Chriſti hominis, eiuſq; myſteriorum; vſq; ad deſerti ingreſſum. C. XII. 131

Meditatio ab ingreſſu deſerti vſq; ad paſsionem. C. XIII. 137

Meditatio cruciatuum Chriſti cum externorũ, tum internorum: fructuſq; admirandi inde naſcentes. C. XIIII. 145

Si uis hic proficere, ne quæras guſtum; ſed aſsimilare Crucifixo, internè externeq; derelicto: hinc etenim vniuerſas diſces vritutes. C. XV. 150

Nedum praxin, ſed & ſpeculationẽ docet Crucifixus. C. XVI. 157

Quatuor ad perfectam transforma-
tionem

tionem gradus; nempe lectio &c. in Cruce optimè reperiuntur. C. XVII. 161

Frænata imagine, affectibusq; purgata obliquis, tum Spiritus verba ſuggeret orationi aptiſsima, tum & Scriptura omnis, & præcipuè Pſalmorum liber. C. XVIII. 164

Methodus exercendi in Dominica oratione. C. XIX. 167

Ratio diſcernendi charitatem à naturali amore: deq; vera oratione, eiusq; profectu. C. XX. 175

Gemina in oratione pericula, deſperatio & præſumptio, cum vtriuſq; antidoto. Recitantur & perfectiſsimorum exempla Oratorum, tum veterũ, tum recentiorum. C. XXI. 179

IN TRACT. DE VE. CONVER.

De diuina vocatione. C. I. 265
Quî vincatur deſperatio. C. II. 266
De ſpiritu fornicationis. C. III. 273
Nonnulla huic remedia vitio. C. IIII. 280

De

De frugifera pænitentia. C.v. 287
De compunctione. C.vi. 293
De Chriſti paſsione. C.vii. 300
De infinita peccati grauitate. C. viii. 314
Exemplum peccatricis. C. ix. 321

IN TRAC. DE AVR. ET. REG. DISCRET.

De Diſcretione,& quî mater ſit omniũ virtutum. C.i. 329
Quæ ſint Diſcretionis proprietates. C.ii. 333
Quàm ſit arduum hanc poſsidere virtutem. C.iii. 337
De Spe & Timore. C.iiii. 345
De Fide. C.v. 352
De vero & falſo feruore. C.vi. 360
De lingua coercenda. C.vii. 365
De vſu Sacramentorum. C.viii. 372
De ꝓuenientibus ex indiſcretione incommodis. C.ix. 376
De Diaboli tentamentis. C.x. 384
Vti Diſcretio tollit tepiditatem. C.xi. 391

De

De diuina & humana Diſcretione. C. XII. 398
Quî vera acquiri poſſit Diſcretio. C. XIII. 405
Exemplum Chriſti. C. XIIII. 410

DE SVIIP. COGN. ATQ. VICT.

De ſuijpſius victoria. C. I. 421
De Gula. C. II. 426
De Luxuria. C. III. 430
De Auaritia. C. IIII. 437
De Ira. C. V. 441
De Triſtitia. C. VI. 447
De Acedia. C. VII. 452
De Superbia. C. VIII. 457
De vniuerſali paſſionum omnium victoria. C. IX. 471
Remedium omni vitio vniuerſale. C. X. 476

IN SPEC. INT.

DOCETVR cauſa negligentiæ, & tēporis; quareq; inuentũ ſit diſcrimen inter

inter præcepta & conſilia: quæq; ſit celſitudo atq; perfectio legis Chriſti. C. I. 492

Multæ adducuntur rationes aduerſum illos, qui ſummæ aſpirare nolunt perfectioni, omninoq; ſeipſos deuincere: quantaq; hinc eueniant animę incommoda. C. II. 504

Contra eos qui mero operantur ex timore: deq; gemino peccantium genere, cum vtriusq; curatione: quantum'ue proſit bonum & ſincerum propoſitum indiès renouatum. C. III. 515

Docemur extirpare diſtractionem, otium, laxamenta, & mentis poſsidere ſtabilitatem, fugereq; periculũ alios regendi, operaq; faciendi pia ſub ſpecie boni; omnemq; ſuppeditare immodicam curioſitatem. C. IIII. 521

Doceris examinare teipſum, num ſis capitoſus, plenus'ue tædij irrationalis:anq; mortuæ in te ſint paſsiones, vel dormiãt: naturaliſq; tuijpſius, vel affinium amor, aut mundani reſpectus te remorentur à profectu; omnemq; proximi defectum aptus ſis patienter ferre

ferre & commiſeranter. C. v. 529

Docemur omnem Dei amore ferre tribulationem, abſcindereq́; à nobis nedum inconſulta iudicia, ſed & omnem mali ſuſpicionem: ne'ue ſimus puſillanimes ob vitioſas propenſiones: varios'ue quæritemus viæ ſpiritalis ductores. Summa; omnem à nobis expellere pænalem timorem, qui è penuria naſcitur charitatis. C. VI. 538

Hic contemplari ſe poteſt anima, nũ perfectum indepta ſit ſuijpſius odium: perturbetq́; eã præteritorum memoria erratuum: confidat'ue nõnihil ſuis bonis in operibus. Vbi & arguuntur, qui ſe excuſant non ſcire, aut nõ poſſe bona agere; qui'ue externè ſunt ornati, internè verò ſimiles ſepulchris; quales erant Phariſæi. C. VII. 548

De oratione, & quî debeat eſſe interna, & non mera vocalis, magisq́; in ſpiritu quàm imagine, & attenta, fideliſsima, & perſeuerans, externisq́; opus non habere modis ſeu ritibus, neque ſectari guſtum, at ſemper diuina perſeuerare in gratiarum actione.

ne. C. VIII. 555
Quî Deo fiat ſatis in nobis: deq; noſtræ purificatione intentionis, nedum in agendis bonis,ſed & malis tolerãdis, Chriſti exemplo Crucifixi: quamq; inhiare debeamus animarum ſaluti, dirigendæq; vnicuiq; Diſcretione in eũ virtutis gradum, quò habilis eſt & idonea. C. IX. 564
Hic contemplari ſe debet anima, num mundo prorſus ſit mortua,diſcrimenq; habeat inter pſonas; viuatq; in ea,an mortua ſit virtus;humiliq; adnitatur ex fiducia velle omnes exuperare ſanctos, fieriq; ſimilis & æqualis Deo. C. X. 577
Quomodo habere ſe debeat homo in hominũ frequẽtia, dandiſq; conſilijs optimis & explicitis,abſciſsis ſuperuacaneis omnibus & curioſis ſciſcitationibus. Vti etiam ſe habere in diuinis viſitationibus, & raptibus, & miris, vbi occurrant. C. XI. 587
Vti ſanctus ſuo ſciat tempore & ꝓdere & celare ſuas virtutes: victoriãq; referat triplici è Diaboli certamine: ꝓfectamq;

ſectamq; poſsideat humilitatem. Demum vti cordis puritas Monachi ſit finis; vti'ue acquiri poſsit. C. XII. 594

Problemata, Modus Confitendi, & Elucidatio in Apocalypſin comprehẽſiùs colligi non poſſunt.

PIO LECTORI INTERPRES S.

COGITARAM quidẽ Lector mi optime, & in Chriſti viſceribus deſideratiſsime, non alium apponere hiſce Opuſculis indicem: propterea quòd breui adeò cõſcripta ſint ſtylo, ac veluti Breuiaria quędam in Enchiridij modum ab ipſo auctore compoſita, vt ferè ſtritiùs colligi non poſsint. Diſtinctè prętere a adeò atq; ordinatè ſua quęq; in Capita diſpoſita, quorum Indicem ſuperius in fine collegimus, vt perfacile ſit vnicuiq; ſuo quidq;, prout libuerit, loco inuenire.

Nihilominus cùm iam ferè hęc pręlo cõmiſiſſem, nihil vnquam animo retractare omittens, quod tibi in rem eſſe poſsit, vnde

maximam

maximam queas & perfacillimè ex horum lectione referre vtilitatem ; Indicem ſtatui attexere copioſiſsimũ atq; diligentiſsimũ, non quidem materiarum , cùm materię hic fuſiùs non tractentur ; illcq; ad id planè ſufficiat; ſed vel ſententiarum ferè, ac, vt ita dicam, verborum omnium , quotquot hic efficaciùs, atq; ardentiùs , ſuaq; cum energia, ab hoc auctore dicta reperiuntur . Ita vt poſsis, vel ſuper dicto quopiã, ſeu & verbo ardenter prolato (habent enim plerunq; , vel & ſemper , ſuos aculeos, & ſuum ignem latentem) ſeraphici huius ſpiritus volens exerceri ; vel ad manus habere locum , vbi res pertractetur , qua tunc vel impugnaberis, vel ipſe tibimet pro tunc bellum indixeris ſuper ea re deuincẽdo atq; expugnãdo : vel & plura eiusdem autoris varijs in locis eadem de re , elucidandæ rei gratia (quod plurimum prodeſt) loca conferre, in ijſq; te ſubinde contemplari : poſsis inquã hiſce in omnibus vnumquidq; ſuo ſtatim loco , prout opus erit, inuenire: poſsis ex hac igni ta diuini amoris pharetra ſagittas exprome re acutas, quibus & transfigantur tibi interiores animi medullæ, & cor tranſuerbere-

tur inimici Regis Diaboli, & membrorum eius: poſsis ex hac candenti fornace carbones accipere uaſtatorios, quibus & deſtruatur & ſuccendatur & conſumatur omnis durities, rubigo, & impuritas, & totus colliquefias in diuini igne amoris.

Accipe igitur, accipe mi Lector, ea qua offertur hic labor, animi intentione. Certo enim certius, quanquam & indignus quanquam & inutilis, tamen, cùm non poſsit non ſtare promiſsis fidelis Dominus, vbi ait; Vbi duo vel tres fuerint in nomine meo congregati, ibi in medio eorum ſum: tibi ꝓmitto, planeq́; recipio, ſi ardenti tu tuo, concurreris noſtro qualicunq; deſiderio, fieri non poterit, quin & tu maximum referas ex hac lectione fructum: & ego quoq; tui non ero omnino in Domino non particeps fructus. Vale in ipſo.

Alius

ALIVS INDEX, OMNIA FERE OMNINO,

quæcunq; hîc habentur, compendioſiſsimè ſubindicans, ac diligentiſsimè.

Acedia qꝫ nimis animo ſimus ꝑproperi. 453
Aduerſarij noſtri verè amici. 380
Aduerſitas ſumma ducitur miſeria. 129
Adulationis dulce venenũ quàm hodie dominetur. 370
Affectiones carnales animã, vt puluis oculum, præpediunt. 237
Affectiones inordinatæ proceloſi turbines. 107. 165
Affectus cellulæ. &c. 519
Agatha ad mortem, vti ad epulas inuitata. &c. 114
Agnes ad locum turpitudinis perducta, Angelorum. &c. 437
Alę duæ animæ neceſſariæ. 345
Amicitias ita iniri oportet, vt & vale dici poſsit. 524
Amor naturalis & diuinus cõformes. 175
Amor Dei ſuſpectiſsimus. 361

Amor excedens, vt vnum exprimat, vocabula aſſumit oppoſita. 254. 405

Angeli proprio in lumine diſcordantes. 216. 560

Angelus quare non redemptus. 472

Angeli perfectorum oblectantur cõſuetudine. &c. 475

Anima ob quamlibet in Deum motionem vitam promeretur æternam. 99

Anima magis indiget aſsiduo interiori cibo, quàm corpus. 110. 130. 203

Anima prauis fuſcata imaginibus, nondum plenè eſt purgata. 525

Anima immortalis. 158

Anima humilis, vti lignum aridum igni admotum. &c. 247

Anima Deo vnita non deſinit eſſe creatura. 259

Anima Deo non occupata, confuſis oppletur imaginibus. 397

Animæ calamitas peior quàm corporis. 139

Annuntiatio. 132

Antichriſti nomen. 675

Antichriſtus ſuos præmittit præcurſores. 201. 700

Anti-

Antichriſti membra hodie inter Chriſtianos, 677

Antichriſtus primo in congreſſu nonnihil habebit obſiſtentiæ. 673

Antichriſtum ſectabuntur terreni ſapientes. 673. 686

Antichriſtus quando futurus, nonnullorũ coniectura. 677

Antidotus è veneno preſumptionis. 182

Antonius cùm diuerſorum varias contemplaretur virtutes &c. 511. 583

Anxietas inutilis. 526

Anxietas immoderata. 539

Anxietate minus idonei efficimur. &c. 540

Apocalypſin Io. Euangeliſtæ minimè eſſe hodie nonnulli &c. 620

Apocalypſis hæc explicatio cuius vtilitatis. 618

Apoſtoli ex exceſſu ebrij habiti. 252

Apoſtatæ fiunt peiores. 391

Apoſtata voluntarius. 455

Apparitionibus occurrentibus quid agendum. 591

Appetentia hodie ad carnem & ſanguinem. 231

Arbor cadit vltimo ictu, in virtute ta-

men &c. 206
Ardores cordis. 243
Aridus ſæpe Deo magis placet quàm deuotus. &c. 387
Arius ſtateram habet in manu. 637
Arius abſynthium. 646
Ariſtotelem eiusq; Commentatorē qui magnipendunt, in dubiumq; reuocant animæ immortalitatem, ſanguinea percutientur plaga. 688
Armari intempeſtiuè ſiue præmaturè. 378
Auaritia ſpiritualis. 141
Auaritiæ adhortant̄ parentes filios, velutiq; faciunt idololatras auri & argenti. 438
Auarus prodigo deterior. 340
Audaces fiunt puſillanimes. 341
Auguſtinus aduerſum Diaboli tentamenta præſentius non inueniebat remedium, quàm Chriſti &c. 275
Auſteri indiſcreti fiunt poſtea nimis remiſſi. 344

B

Bombarda pila vacua. 190
Bona bonorum propria. 507
Bona æterna non multi penduntur, quia nō cogno-

cognoſcuntur. 123

C

Cabal a animis reuelabatur. 399
Cœna vltima. 140
Caligo dicitur diuina lux ſuperlucentiſſima. 402
Capitoſi. 530
Caro fugiendo, tribulationes amplectendo vincuntur. 381
Caſsiani Opuſcula qũo apocrypha. 22.
Caſtus laſciua intuens maiori ſuccendetur caſtitatis deſiderio. 437
Cerimoniarij non Chriſtiani. 501. 554
Cerimoniæ nõ finis, ſed manuductio. 556
Charitas ex aliena diteſcit inopia. 129
Charitas Chriſti vltimum adhibuit conatũ in eius perpeſsione. 140. 153
Charitas ſtat vnà cum proprij intuitu commodi: Perfecta tamen eſt zelotypa & ſola. 408. 566
Charitas impaſsibilem reddit quo ad inferiorem partem. 538
Chriſtus cõpaſſus turbis abſq; paſtore. 87
Chriſti verba in Cruce. 148
Chriſti ad iudicium aſpectus. 119

Chriſti vulnera, vti ſpiracula flammas. &c. 148
Chriſti ſepultura. 149
Chriſtus homo, breuis liber, in quo omnia. &c. 132
Chriſtus Virgini ſubtractus. 135
Chriſtus in deſerto. 137
Chriſtus à duodecimo ad triceſimum vſq; annum. 136
Chriſtus baptizatus. 137
Chriſtus Apoſtolos eligit. 138
Chriſtus matri ualedicit. 140. 303
Chriſtus ſanguinem ſudat. 142. 305
Chriſtus capitur. 143. 305
Chriſtus crucem gerens. 144. 309
Chriſtus ſingillatim pro vnoquoq; eſt perpeſſus. 146. 315. 469. 482
Chriſtus amplius, quàm omnes ſimul potuiſſent creaturæ, internè eſt perpeſſus. 146. 315
Chriſtus in Cruce, veluti fornax ſuccenſa. 148
Chriſtus rediuiuus. 149
Chriſtus non, vti cæteri Martyres, internè conſolatus. 152
Chriſtus in Cruce omnes ſimul adhibuit

virtutes. 153
Chriſtus in Cruce dilaceratus, vt occulta propalarentur. &c. 156
Chriſtus vbi rogauit; vt tranſiret calix; quomodo poſsit intelligi. 235
Chriſtus excedenter dum prædicaret, in furorem verſus exiſtimatus eſt, & volebant ſui eum tenere. 257
Chriſtus ſpeculum ſine macula. 499
Circuncíſio. 134
Cogitationes reuelare, optimum remedium. 285
Cogitationes in ſchedulas quidam redigebant. 285
Cognitio in humanis, in diuinis præcedit affectio. 191
Commeatus & propugnacula oportet ſubripi. 274
Communicare ſemel in anno, aiunt, ſufficit. &c. 494
Communicantium indignè fructus. 141. 373
Compunctio à Deo, à natura. &c. 294
Confitentes aliqui confunduntur. 534
Conſilia perfectorum explicita. 588
Conſilia indiſcretorum è formula. 336

Con-

Contemplantium variatur caro iuxta ſpiritum. 250
Cōtēplatores è diuina conſuetudine quandam contrahunt innocentiæ ſimplicitatem. 251
Contemplatio ad Crucem æſtuantiſsima. 302. 569
Contemplatores celeberrimi. 183
Contemplatio non niſi poſt plenam ſuijpſius victoriam. 163. 244. 402
Contentum eſſe modico, vnde fiat. 268
Conuertitæ quàm Deo teneantur. 264
Conuerſio Mahometicæ gentis. 659
Conuiuia abundant detractionibus. 427
Cor Chriſti vulnerum memoria obſignandum. 275
Cor quare in cœlum erectum 567
Cor principaliter cuſtodiendum. 275. 423. 503
Cornicula induit pennas Pauonis. 327
Corrigere tempore. 536
Corrigere ritè nequit, qui priùs ſeipſum nō correxit. 369
Correctio hodie reputatur malitia. 368
Correctio tempus opperiatur &c. vti Natan & Baptiſta. 368

Corro-

Corrollæ diſcolores, ſignacula. &c. 522
Creaturæ conditæ, vt in ijs conditorem cõtemplemur. 131
Crux in aere ad iudicium. 120
Crux Chriſti ſuccendere nos debet, ad omnem etiam ſine fine. &c. 147
Crux Chriſti renouatur in blaſphematoribus, Simoniacis. &c. 697
Curioſitas modica. 514
Curioſitas pernitioſa. 529

D

Damnatis minus intolerabilis eſſet gehenna, quàm à Chriſto audire perpetuo ſe anathemate. &c. 120
Derelictione gaudet uerus Chriſti imitator. 239. 578
Derelictus, qui Deo gratias agit perfectus. 563
Deſperabunda ſpes Magdalenæ. 323
Deſperatio vti vincatur. 180
Deſperatione quàm Deus offendatur. 267. 271
Deus fortis & potens in bello. 208
Deus hõ factus, vt per ipſum mens noſtra.

ſtra. &c. 150. 240. 258
Deus participari non poteſt, niſi medijs creaturis. 221
Deus indignatur aduerſus reſpicientes po-t'us ad eorum merita. &c. 266
Deus non ita ſubtiliter rimatur. &c. 345
Deus etſi omnia norit, vult tamen orari, vt. &c. 557
Deus vbi videtur iratus, eò magis eſt propitius. &c. 568
Deus omni in loco & tempore familiares habet. &c. 576
Deús nõnunquam internè abſq; verborum ſono alloquitur. &c. 595
Deus nunquam malum permitteret, niſi maius bonum. &c. 640
Deus ſemp amarũ dulci attemperat. 661
Dei beneficia. 316. 509. 539
Deo non eſt gratus, qui cognitum non amat. 191
Deo gratũ, obſiſtentem inuenire. 209. 508
Deo ſoli notum quid ſufficiat, &c. 512
Deo hactenus abs te ſit ſatis, quatenus ab illo tibi. 565
Deũ nõ honorare, ẽ iiuria'afficer. 468. 507
Diabolus Dei Simia. 201. 240
Diaboli

Diaboli decipulæ innumeræ. 391
Diabolo magis impugnantur, qui magis illi ſe accingunt. &c. 273
Diabolus à debiliori impugnat. 273
Diabolo dormientium membra commouentur. 273
Diabolus offert verbulum ſub prætextu recreationis, dehinc. &c. 274
Diabolus hodie ſolutus. 356
Diabolus ſatagit nos educere extra Diſcretionis præſidium. 384
Diabolus poſt peccatum Deum oſtendit terribilem. 385
Diabolus in Angelũ lucis. 386. 591. 596
Diabolus, orationis ſub horam, abducit mentem diſtractam pro libitu. 521
Diabolus trifariàm impugnat. 596
Diabolus aliorum vtitur lingua ad detrahendum, & quare, 596
Diabolus in forma iuuenum & puellarum. 596
Diffidendum ſibijpſi, vt pſecta acquiratur oratio. 180
Dina ob modicam curioſitatem. &c. 277. 514
Dionyſius præcipit Timotheo, ne pandat.

dat. &c. 399
Diſcreti hodie contempti. 405
Diſcretorum explicita conſilia. 336. 588
Diſcretio hodie ſepulta; & diſcretus reputatur indiſcretus. 327
Diſcretio omnium catena & nodus virtutum. 329.338
Diſcretio oculus corpori virtutum. 331
Diſcretio oculus intellectus. 333
Diſcretio è malo bonum elicit. 334
Diſcretio læua perinde ac dextera vtitur. 335
Diſcretio incomprehenſibilis. 334
Diſcretio inſatiabilis. 335
Diſcretio affectata. 336
Diſcretio medium tenet. 337
Diſcretio ſtatera, qua charitas. 364
Diſcretio in abſtinentia. 342. 377
Diſcretio linea, qua emetimur. 383
Diſcretio aduerſus extrema libramentum. 391
Diſponi oportet iuxta petitionē. 198. 435
Diſtrahentes fabulationes, tranſigendi gratia temporis. 521
Doctior eſt qui ſuã melius agnoſcit ignorantiam. 353

Doctrina

Doctrina non eſt dicenda, vbi adeſt ſuperbia. 189
Doctrina non penetrat acquiſita 196
Doctrina contemnitur humilis & vtilis; & per arborum cacumina, &c. 420
Dolores Chriſti. 145. 314
Dolor indiſcretus peccatorum fit è ſuperbia. 351
Dominicus & Franciſcus quintum cæpere tempus. 647
Dominicus nihil rogauit, quod nō obtinuerit. 563
Dona naturæ abſq; labore & ediuersò. 381
Dubitatio in mente ſignum. &c. 566
Ducem offendere periculoſius, quàm Deum. 284
Duces hodie in cauſa, quo minus perfectioni. &c. 86. 284
Dux bonus quis. 284. 457
Dux bonus non erit, qui humilitatem. &c. 412. 457
Dux bonus felix cui contigit. 284

E

Ebrius nō ita facilè fit, q aſſueuit. &c. 241

Eccleſia quare petit; A ſpiritu fornic. 276
Eccleſię renouatæ lætitia. 698. 704
Ele cti è caſu cautiores. 517
Eleemoſynam mendicantes ſe reddunt miſerabiles. &c. 127
Enchiridion, quod quotidie præ manibus. &c. 419
Enoch & Elias aduerſus Antichriſtum. 667
Eſcæ non ſufficiunt trifariæ. 428
Eſſe noſtrum uerè in Deo. 220
Exceſſus veri in quibus. 242. 593
Exceſſus trifariàm. 240. 592.
Exceſſus verus in pauciſſimis. 244
Excedens amor, vt vnum exprimat, vocabula aſſumit oppoſita. 254. 405.
Exemplũ aduerſo nauigantiũ amne. 98
Exẽpla p̃cellentiora quare proponẽda. 485.
Exercitia non omnibus eadem conueniunt. 434. 576.
Experiẽtia meliꝰ deſcribũtur paſsiones. 503
Extrema ſemper contendunt. 411.
Extremum non repentè inciditur. 199. 206. 474.

F

Familiaritas cum Deo cõtemplantiũ. 250.
Fercula

Fercula non ſufficiunt .&c. 428.
Feruor cum diſcretione quomodo ſtare poſſit. 363.
Fides cum operibus. 648.
Fides & oratio vnius alteri prodeſt. 213.
Fides Principium ſubditis impetrat, vti & peccatum. &c. 214.
Figura Hebræorum in deſerto proſtratorũ, hodie. 85.
Finis mundi adhuc dimidia chiliade abeſſet. 702.
Finis religioſi munditia cordis. 599.
Flagellum hodie leue non ſufficeret. 682.
Formula mortifera. 188.
Formulam hodie egredi hæreticum reputatur. 188.
Formula. 333. 395. 397. 414. 518.
Franciſcus totum noctem duobus immoratus verbis. 204. 252.
F. Aloys. Granaten. præ omnibus fructuoſiſsima iudicat D. Seraph. Opera. 33.
Fuga in Aegiptum. 135.
Fundus quid. 243.
Furor et feruor. 361.

G

Gog & Magog cæteris diror:ſed. &c. 703.
Gradus quatuor ad perfectã vnitionẽ. 161.
Gratia vti ſe prodat. 497.
Gratia lætamur in pœnis. 500.
Gratia potentior in inſtaurando, quàm culpa in diruendo. 270.
Gratia ſupplet viribus. 112. 426.
Gratia nõ obtinebitur, quæ nõ ſperatᷓ. 266.
Gratiæ, ſi abutamur, exitiales. 344.
Gratiæ certitudo non niſi per coniecturas 176. 195.
Gratiæ dilatæ, vt maiores dentur. 181.
Gratias à Deo ne petamꝰ, niſi & modũ. &c. 193.
Gratiæ reprobis conceſſę, exitiales. 206.
Gratias vtiliter ab hominibus, vbi prius a Deo. &c. 211.
Gula ſpiritualis. 151. 374.
Gula vniuerſam occupat familiam, vt vniꝰ genio. &c. 429.
Gula fellis recordatione vincẽda. 275. 430
Gula exardeſcens. 427
Guloſus exatiatus, adhuc dolet. &c. 429.
Guſtus quare magis abundant initio. 192.

Guſtus cur reprobis conceſſus. 193.
Guſtum venantes, ibiq; perſiſtentes, quotupliciter peccent. 151. 344.
Guſtus cur negatur, cur aliquando ſubthrahitur. 194.
Guſtus appellatione quid veniat. 196.
Guſtus cur periculoſior ariditate. 247.
Guſtu ceſſante, qui ceſſat, mercenari'. 289.
Guſtus verus è perfecto ſui ipſius contemptu. 103.
Guſtus quæſiti orationis fructum præpediunt. 103. 151.
Guſtus quare ſubtrahitur. 195. 503.
Guſtu ceſſante, reſignemus nos in pijſſima. &c. 503.
Guſtu ceſſante ab oratione non ceſſandum. 563.
Guſtus perfectioribus ſubtracti, maioris ſignum gratiæ. 195.

H

Habitudo ſi inde ad malum, hinc ad bonũ inclinat. 448.
Habitudo guſtibus deſtructa. 195.
Habitudo praua non incuſanda. 545.

Habitudinis infirmæ aſſidui oratores. 202.
Hæretici vnde vſurpauerint ſcripturas. 353
Hæretici extremis adhærent. 357
Hæreſes ſemper ſequuntur Principatuum mutationes. 652
Hæretici intorquent ſcripturas. 400
Hebræi tandem conuertentur feruentiſſimè. 642. 678.
Hebræorum figura in heremo proſtratorũ, hodie in ſpũs viatoribus. &c. 85
Heliſæus non extimuit, vti Iezi. 181.
Hero proprij capitis. 200. 514
Hieronymi ſemper inſonabat auribus vox illa terribilis.&c, 118
Homo vrbs muris diſcincta. 512.
Homo diuinum animal. 421
Homo famã deſiderat extẽdere.&c. Ideoq; ſe arguit immortalem. 421
Homines flagello aptiores, quã ſaluti. 207.
Humilis falsò, vere ſuperbus. 468.
Humilitas omnis cuſtos virtutis. 117
Humilitatem Chriſtus in Cruce, vti magiſter in cathedra.&c. 156
Humilitas noſtra, Chriſti collata humilitati 157
Humilitas noſtra à Chriſti fit humilitate

digna

digna &c. 157
Humilitatem collaudant omnes in alijs, ſubijpſis &c. 597
Humilitate ſine virtutes cõgregare, eſt pulüerem &c. 156.

I

Idiotæ ſuperbiẽdi expertes occaſionis 190
Ieiunia vtilia. 88. 377.
Ignoratione nihil addiſcitur. 189
Ignoratio non eſt dicenda, vnde illuminamur. 189
Imaginatio vaga frenanda: quamq; ſit damnoſa. 106
Imperatores decem perſecutores. 626
Incipiens, proficiens, & pfectus. 176. 501
Indiæ nouæ ad fidem uocatæ. 616. 664. 698. 705.
Indicia ſpiritualis beneuolentiæ, & carnalis. 278
Indicia ueri contemplatoris. 176
Indicia veræ diſcretionis 337
Indicium quòd homo tentationi non conſentiat. 281
Indiſcretus moræ impatiens, vt ſe prodat: præmaturè autem ſe prodens &c. 412

Infernum quo ad pœnam, lubentiſsimè acciperet verè ac perfectè pœnitens; vbi Deo placeret. Nonnulliq; id petiere Sanctorum, vel ex iuſtitia, vel ex proximi charitate. Videntes tamen ita Deũ velle, mera ex obedientia miſericordiam rogant, Paradiſum &c. 23. 24. 35. vſq; ad 66. 310. 320. 491. 548. 571. 583. 678
Inferno vel ea acerbè punientur, quæ leuia dicimus. 514
Inferni cruciatus. 121. 122
Infirmi præ indiſcretione conquerũtur nõ poſſe &c. 382
Infirmitas vna die ſępe detegit diu. &c. 199
Infirmitas grauis orare docet acribus aculeis. 123.
Infidelitas ſpiritualis. 151
Ingratitudo hominis. 317
Inſtabilitas 102. 387. 389
Intueor, non malo fine: quid iſtoc mali eſt? 277
Interrogant nonnulli, vt derideãt. 530
Inuidia ſancta. 511
Ioſeph ſuſpicatus eſt. 133
Ira non eſt abſq; ſuperbia. 443

Ira alia ſecum aduehit vitia. 443
Ira domi peior. 527
Ira,furioſo tyrãno,in feras cõuertimur.446
Ira quàm deformis. 445
Ira ira non ſanatur. 537
Ira contremiſcunt,cor,labra. &c. 446.
Iracũdus Chriſtũ in Cruce intueatur. 446
478.
Iracundi domi,foris affabiles. 445
Iracundi non conticeſcunt, ni prius multo clamore.&c. 444. 531.
Iudices temerarij prẹguſtant infernũ. 541
Iudices temerarij ex ſe alios fingunt. 518
542
Iudiciũ mundi à diuino differt. 324.512.
Iudicium bonum naturale conducit admodum. &c. 377
Iudicio vniuerſali quid exigemur. 119.
Iudith orando certificata. 210
Iuſtificatio peccatoris mirabilior creatione. 265.324
Iuſtitiam concede, amore.&c. 537

L

Labores ſubtiles,ſignacula,corollæ verſico-

lores. &c. 522.
Lacrymæ ſuſpectæ, & veræ. 294
Lacrymæ affectatę, modici valoris. 299
Lacrymis non affluunt curioſis immerſi ſcientijs 299
Lacrymæ à ventre ſaturo, ſpiritus peregrinus. 299. 387.
Lacrymæ coram hominibus ſuſpectæ. 300
Lacrymis diuina cogitur iuſtitia. 324
Lacrymæ indiſcretæ. 387
Lapis quò magis centro. &c. 182
Laſciui intuitus, in oculis Chriſti lacrymæ. 310
Lectio Crucifixi literas habet prægrandes. 163
Lectione iuuatur meditatio. 107
Libellus de Mundi Contemptu Thomæ eſt à Chempis Can. Reg. 108
Libri fructuoſi. 108. 109. 457
Libertate ſpiritus efficimur ſerui ſeruorum. 579
Lingua ruptis habenis, præcipitanter excurrit. 369
Locuſtæ Lutherani. 648. 657
Loquacitate ſanctitas omnis amittit. 370
Loqui verum non prodeſt, niſi. &c. 366

Loqui frugiferè non poſſumus ſine Spiritus. aſsiſtentia. 366
Lotio pedum. 141
Luna Turcarum inſigne, ſubter Eccleſiam. 669
Lutherus innumerabiliũ radix errorũ. 359
Lutherus liberum negat arbitrium. 358
Lutherus vltimus Antichriſti præcurſor. 616. 655
Lutherus omnino Chriſti præcurſori contrarius. 655
Lutherus in Euangelio apertè à Chriſto ſignificatus. 657
Lutherus tabernacula præparauit domino. 674
Lutherus, dempta vnitate, ad numerum aſcendit nominis Antichriſti. 676
Lutherana hæreſis maximam ſeparauit ab obedientia Pontificis partem. 659
Lutherana hæreſis peior cæteris. 648
Lutherani fidem præſtant apoſtatis, ac nequiſsimis nebulonibus. 359
Lutherani indiès immutant articulos, & ſemper in peius. 360. 689
Lutherani minimè penetrarunt, vbi erat fides operibus coniuncta. 648

Lutherani ſimiles locuſtis. 649. & ſeqq. 657
Lutherani alienæ laceratores ſamæ crudeliſsimi, & Sanctorum. 651
Lutherani acriùs adhuc irruent in Eccleſiam. 651
Lutherani libertatem prædicant populis acceptiſsimam. 653
Lutherani longiùs recedunt à Chriſto, quàm Mahometiſtæ. 655
Lutherani multi Chriſtum nondum veniſſe affirmant. 658
Lutherani digni nō erunt, qui pœniteant: & quare. 689
Luxuria reddimur beluini: & vice animalis nocturni. &c. 431. 433
Luxurioſus circunducitur funibus conſtrictus. 433

M

Magdalenæ conflictus cordis in conuerſione. 320. cum ſeqq.
Magi. 135
Mahometes quando fuit. 628. 637. 638. 654
Mahometes non fuit verus Antichriſtus.

ſtus. 638. 655
Mahometes primus præcurſor. 654
Mahometana citò deſtruetur ſecta. 628
Mahometiſtæ Antichriſto adhærebunt. 638
Malum excellenter, peccatum. 139. 547
Malitia reproborum non poteſt diuinæ peruertere ordinem prouidentiæ. 707
Mane, quando ſurgis, illum tibi vltimum. &c. 114
Manna contemplantium, carnalibus abſconditum. 627
Manus laſciuijs extenſæ, Chriſtum Cruci affigunt. 310
Mãuale, quotidie præ manib⁹ habẽdũ. 419
Martyr moriendo coronatur. 627
Martyres cœpere in Lutherano ſchiſmate. 639
Medicina perperàm adhibita. 193
Meditare quotidie, cum anima tua confabulando. &c. 111
Meditatio, interioris initium diſciplinæ. 107. 110
Meditatio diuini ſuper incarnatione conſilij. 132
Meditatio Paſsionis è formula non proficit

cit. 150. 301
Meditatio Crucis fidentem reddit animam mortis tempore. 161
Meditationis initio occurrunt cogitationum tumultus: & quare. 111. 558
Medium pacificum. 411
Mens quare colligi vix poteſt orationis tẽpore: poſtea autem. &c. 196
Mens noſtra ferro comparatur. 203
Mens inſtar oportet mundiſsimi redigatur ſpeculi, in quo. &c. 239
Menſæ quare inſtituta benedictio. 429
Mercatoris exemplo teipſum quoti die. &c. 128
Miracula Chriſti vti contemplanda. 139
Miracula recuſare ex humilitate & cautela. 490
Miracula non ſunt ſanctorum propria, ſed Deo gratiarum actio. 593
Miraculum cæteris ſimul omnibus maius, mori in Cruce Dei filium. 154
Mirum magnum, videre omniũ locupletẽ gratiarum; demiſſum tamen. &c. 219
Miſerabiles quàm ſimus. 127
Moderni diſputantes, inſtar Chamœleontis. 402
Mori

Mori qui omnino nollet, in ſtatu ageret damnationis. 114
Morientium caſus. 115
Moriendi bene artem Crux docet. 160
Mortis meditatio triſtitiam tollit. 113. 114
Mortis tempore multorum proditur fructus peccatorum. 206
Moſes nequaquam periculo ſe expoſuit, dũ rogaret: Aut dele me. &c. 209
Mulier animam efflauit, de diuina audiens cum anima vnitione ſermonem. 257
Mundo hodie fiunt caſus multi, ceu decrepito. 201.
Mundus in homine paruus. 585
Mundus ruat potius, quàm Deum offendamus. 208
Munditiees cordis quid 600
Myſteria Chriſti quorundam cordibus impreſſa. 243
Myſteria diuina charioribus amicis reuelata. 619

N

Natiuitas. 133
Naturalis ſenſus bonus conducit admodũ vitæ internæ. 377

Obedien-

O

Obedientia quid. 283
Obedientia Chriſti. 283
Obedientia hominibus, vice Dei. 283
Obedientia hodie incognita. 285
Obedientia voluntaria. 409. 469
Obedientia triſtitiæ remedium. 451
Obedientes hodie pauci. 284
Obedientes admirabiles. 286
Ocium nunquam ocioſum. 281. 454.
Occupatus inutiliter, ocioſus. 522
Oculus hominis baſiliſci oculo peior. 277
Oculus rectè & viſui et fletui deputat⁹. 298
Odium ſuiipſius ſanctum. 148. 282. 548
Officium recitans mentem fige alicuius petitioni virtutis. 558
Onus ex obedientia impoſitum portatorē portat. 262
Opus nullum bonum, niſi diuinæ cōforme voluntati. 332
Opera, ſeu induſtria noſtra, nececeſſaria. 106. 406. 423. 436. 499. 520
Opera Sanctorū non iudicanda. 211. 404
Opera offert Diabolus bona, vti eſcā. 390
Opera externa internè dirigenda. 493
Opera, etiam neceſſaria, ex intentione meritoria

ritoria. 567
Opera nequaquam neceſſaria, ait Lutherus. 657
Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. 275. 665.
Orare in ſpiritu Chriſtiani proprium. 76
Orare vti fas ante agnitionem diuinæ voluntatis, ita poſt, non. 214.
Orare ex conſuetudine abſq; affectu. 553. 555
Oramus nos aliquando: aliquando in nobis orat ſpiritus. 561
Orantibus quare ſe offerũt vniuerſa diei negotia. 191. 390
Orando incaleſcit caput, frigeſiunt extrema. &c. 202
Orando, periculum ne lupus intromittatur loco paſtoris. 219
Orando quidam comminiſcũtur imaginariam Paradiſum. 557
Oratio liberum vnit arbitrium diuinæ prouidentiæ. 77
Oratio viuidum deſiderium. 77
Oratione ſola mens noſtra cõquieſcit. 107
Oratione fit homo potens, diuinam qui impleat legem. 78

Oratio-

Orationem continuam ſolum interrumpit peccatum. 79
Oratione completur nobiliſsima Chriſtiani actio. 80
Oratione deficiente, diuina hodie deficiunt chariſmata. 84
Oratione diuina cogitur iuſtitia. 84
Oratione peccata agnoſcimus. 199. 350 604
Oratio omnipotens. 88
Oratio finis omnium exercitiorum. 88
Oratio ſine attentione, diſtractio. 90
Oratio vera, in ſpiritu & affectu. 91
Oratio hinc non carpitur vocalis. 91
Oratio vti poſsit eſſe continua, auari exemplo. 93
Oratio, ſingulare internæ vitæ documentũ, in quo. &c. 93
Oratio ſuauis ſapiẽtia, fidem certificat, ſpem &c. 94
Oratio nobiſipſis nos recipit. 96
Oratio non habet laborem æqualem, & quare. 96
Oratio exigit vt ſuperuacanea reijciantur onera. 102
Oratio ſaltim nõ acquiritur. 102
Oratio

Oratio pro degentibus in Purgatorio admodum meritoria: & quare. 129. 228
Oratio ſæpe tutior in tumultuantiũ ſufferẽtiã cogitationũ, quàm in internarũ oblectatione ſuauitatum. 131
Oratio nunquam ſine fructu, ſaltem obedientiæ Chriſti. 131
Oratio Dominicalis. 167
Oratio ex amore naſcitur. 191
Oratio acedioſa. 197
Oratio pro Principibus magis fructuoſa. 212. 227
Oratio ſæpe exaudita, nobis id ignorantibus. 215. 560
Oratio quare bona cum ieiunio & eleemoſyna. 217
Oratio & humilitas inuicem ſe cõſequuntur. 220
Oratio pura plus ſemper obtinet quàm petat. 561. 563
Orõnes iaculatoriæ. 130. 162. 203. 559
Oratores aſsidui cachoſtomachi. 202
Ordinib' tribus renouabitur Eccleſia. 679
Ornare caput, & genas fuco. &c. Chriſti frontem transfigere. &c. 310
Ouum nondum plenè. &c. 205

P

Paradiſus & eius bona. 123
Pallibilis ſemper homo manet,quo ad inferiorem partem. 538
Pallio Chriſti,ager vbi abſcondita manet compunctionis gemma. 301
Paſsione Chriſti ſcripturæ apertæ. 634
Paſsiones cur in nobis permiſſæ. 471
Paſsones inordinatæ inficiunt animæ palatum. 165
Paſsiones ſæpe videntur extinctæ, quoniam non ſe offert occaſio. 532
Paſsionum naturalium ſemper manent primi motus. 533
Paſtores quare non audent increpare. 367
Patientia fortis orationi neceſſaria. 105
Patientia humilis Virginis. 133
Patiendis omnibus quidam ſe habiles arbitrantur, qui tamen puellam. &c. 572
Pater,cui decem filij,decem oporteret haberet & regna. 439
Patres filiorum carnifices,eos in gehennã enutriunt. 462.
Patres idololatrare faciunt filios. 438.
Paulus mortis captus deſiderio. 113

Paulus quare non exauditus, vt ſtimulus. &c. 230. 560
Paulus quare ſtatim raptus. 244
Paulus ex charitate anathema eſſe concupiuit à gloria. 491. 678
Pauperes nonnulli ſemper læti. 438
Paupertas ſpiritus beata, aridorũ. &c. 248
Peccatum quàm abominabole, in Cruce pſpicitur. 159
Peccatum non agnoſcitur, in illud introſpiciendo. 199. 350. 604.
Peccatum quanti ponderis. 318. 319.
Peccatum non approbando, ſed reprobando. &c. 565.
Peccatum ſolum uerè nõſtrum. 460
Peccatum voluntarium non poteſt eſſe par uum. 487. 496. 506.
Peccatum publicum, publica pœnitentia 487. 517.
Paccatum iræ non euitabit, cui ſatis non blaſphemare. 505
Peccatum, hoc nollem foret. 516
Peccatum ſuum aggrauauere plures ſanctorum, ſupra Dæmonum. &c. 68. 69. 73. 314
Peccatum recordantes, dolere debemus,

in quantum. &c. ſed in quantũ. &c. 550
Peccata leuiora ſi volumus vincere, caueamus & à licitis. 495
Peccata minima quare aliquando non poſſunt ſuperari. 198
Peccata dimiſſa, maioris occaſio gratiæ 269. 293. 325. 486
Peccata omnia rediguntur indiſcretioni 383.
Peccantes animo pœnitendi. 291
Peccator cum lacrymis, melior quàm iuſtus ſine. &c. 299
Peccatorem vnicum te agnoſces in Crucis intuitu. 146. 319
Peccator peccato aſſentiens, petit uiuat in ipſo Diabolus, morti Chriſtus adiudicetur 309
Peccator nollet Deum inueniri. 318. 434
Peccator, quantum in ſe, Deum deſtruit, cœlum. &c. 318
Peccator totum inficeret mundum, ceſſante impedimento. 319
Peccator omnium cauſa peccatuum. 66 vſq; ad 73. 470. 319. 482
Peccatores ſe multi profitentur, qui tamen moleſtari nolunt. &c. 578.

Pelagia laſciuiarum pelagus. 320
Perfecti fiebant Monachi illi priſci anni ſpatio. Hoc tamen intelligendum, quatenus plus uel minus abundat gratia, homoq; illi ſe diſponit. 285. 474
Perfectio aliquibus prodenda, aliquibus minimè. 414
Perfecti hodie pauci, quia non vacatur extirpationi. &c. 420
Perfectio idoneis omni conatu commonſtranda: & quare. 575. 576
Perfectio magna modico non acquiritur deſiderio. 584
Perfectus quomodo ſe ſemper videat imperfectiorem. 552
Petrus ſuccenſus deſiderio deguſtatę in mõte. &c. 123
Petrus Magiſtrum negat. 143. 306
Philoſophi quò magis curioſis, &c. eo magis à Deo receſſere. 131
Poenitentes poſſunt æquare innocentes. 269. 272. 488. 498
Poenitentes, ſeu Conuertitæ, quàm Deo teneantur. 264 & ſeq.
Poenitens verè, voluntariè non offendit Deum. 291

Pœnitens perfectus, aliud non cerneret, quàm ſuum peccatum. 319

Pœnitens qui multa admiſit illicita, caueat & à licitis. 321

Pœnitentiæ quanta vis. 272

Pœnitentia neceſſaria. 287

Pœnitentia vera internè magis quàm externè. 288

Pœnitentia externa abſq; interna, periculoſa. 289. 292. 379

Pœnitentia externa celebratiſsima. 292

Pœnitentiæ Patrum excedentes non imitandæ. 289

Præcepta inter & conſilia diſcrimē non inuentum cauſa fouendæ deſidiæ. 493

Prædicatio ad inſideles per diſcipulos & collegium magni cuiusdam ſerui Dei: qui non tamen ipſe ab antiqua recedet Eccleſia. 661. 662. 679

Prędicatores dudum non niſi de Trinitate & prædeſt. 353

Prædicatores canes muti. 367

Prædicare è formula. 414

Prælatus qui fuit, nonnihil ſemper ſibi arrogat. &c. 335

Prælatura nequaquam, ſed, vt bene poſsis

præeſſe,

præeſſe, merita ſunt deſideranda. 591
Prælati ſi eſſent, longè melius, haberet Eccleſia. 527
Prælati & Principes toti ſunt ſcandalo orbi, neq; ſanctos penes ſe, ſed moriones volunt. &c. 688
Præmio donabitur eodem, qui poſt intentum deſiderium, ante quàm ad perfectionem. &c. 105
Pręſentatio. 134
Præſumptio periculoſa. 182
Principes Lutherum fouentes, ab eo percutientur. 653
Principes è menſæ reliquijs tranſmittunt ijs qui iamiam ſunt morte plectendi. 193
Prodigus filius. 96. 129. 197
Proficis multùm, ſi longè abeſſe. &c. 186
Propoſitum forte neceſſarium vt orationē acquiras. 98
Propoſitum permanens non peregrinum. 472
Propoſito ſolido emiſſo certus iam es voti te compotem fore. 105
Propoſita iteranda. 98. 519
Propoſita intima ſalutis initium. 520
Proprius ſenſus periculoſiſsimus. 200

Proſperitas mundi fallax. 159
Prudentes terreni aſsiduis inſectantur detractionibus verè diſcretos. 403
Pſalmi iaculatorijs exuberant orationibus. 130
Pſalmorum liber interno exercitio vtiliſsimus. 166
Pſeudoprophetæ, anima Antichriſti. 675. 690
Pſeuprophetiæ de Antichriſto, cauſa vt veris non credatur. 615
Puellam ad honoris periculo nō liberarent, qui omnia pati ſe aptos. &c. 573
Pugnator ſtrenuus, etſi vulnera referat, nō cedit. 273
Puſillanimes ex ambitione fiunt audaces. 342
Puſillanimes odit Deus. 267
Puſillanimes diffidunt, quia nimis propriæ intendunt fragilitati. 425. 497
Puſillanimitas operit ſe pallio humilitatis. 267

R

Ratio in malo morſum ſentit, in bono perſuadetur à gratia. 566

Recreatio

Recreatio parca manu ſumenda. 523
Recuſantes ex humilitate chariſmata, maiori diſponimur gratiæ. 152. 376. 420. 490
Religioſus abſq; religione. 601
Remedium furioſorum, obedientia. 362
Reſeruant quidam idôlum quodpiam pecuniolæ, metu eius. &c. 536
Riccardus à S. Victore. 241. 592

S

Sacramentum iuxta conſiliū adeat̃. 375
Sacramentum adiri nō oportet ob delectationem, ſed vt Deo vniamur. 373
Sacramentum adeunt quidam, vti artifex tabernam. 372
Sacramento non cum inquietudine &c. 374
Sacramenta hodie veneficijs interpoſita. 356
Salomon, ſi in Dei guſtu diſcretè habuiſſet. &c. 344
Sancti in Deo vident omnia. 220
Sancti cur vult Deus vt inuocentur. 221
Sancti in canonem nō redacti aliquando id impetrant.

impetrant. &c. 222
Sancti triſtitiam fugiunt. 531
Sancti hodie multis ſcandalo, & quare. 416
Sancti non niſi oculus. 511
Sanctitas vera proditur etſi ſeipſam tegat. 587
Sanctones & hypocritæ vocantur hodie ſerui Dei. 462.
Sanctones & hypocritæ quidam ne vocentur. &c. 573
Sanctus nunquam aliquis miraculum patraſſet, niſi diuinæ participaſſet vnioni. 259
Sãctus benedicendo ægroto aduocatus, rogat. &c. 594
Saul pſallente Dauid refocillatus. 167. 212
Scientia abſq; praxi inutilis, & pernicioſa. 108. 464
Scire noſtrum umbra. 353
Scopo dirigentes ſagittas nullo negocio. &c. 338
Scrupuli nonnullis vice purgatorij. 350
Scrupuloſus mercenarius. 349
Scrupuloſus quantum amittat temporis: quî

quî ſe habuit; quî fuit. &c. 348
Scrupuloſus tentationem non diſcernit à conſenſu. 280
Scrupuloſi ne canibus reſponſitent. 101. 281
Scrupuloſi veritatem non poſſunt agnoſcere. 199
Scrupuloſi, vt equus vmbram. &c. 347
Scrupuloſi ſemper diſcruciantur. 550
Scrupuloſorum remedia. 350
Senſus indiſcretè coerciti acriùs. &c. 343
Septem in paſsione arcana 635
Septenarius numerus myſticus. 621
Seraphinus è cœlo demiſſus, ſtatim raptus ob noſtra. &c. 75
Seraphinus orationem docet præcellentiſſimè. 81
Seraphini Opuſcula apud Hiſpanos. 13. 18. 32
Seraphinus ſcripſit quædam alia. 19
Seraphinus ſummum perfectionis apicem ex P. Ant. eſt conſequutus. 20
Seraphinus moritur, annos natus. 44. 21
Seraphinus acu nõnulla tetigit, quę impleta cernimus. 30. 31
Seraphinus longè proteſtatur abeſſe velle à

pſeudo prophetarum &c. 615
Seraphini Opuſculorum ſeries, argumentum,ſtylus,vis,vtilitas,& quo ordine ſint legenda 26 vſq; ad 34
Serpens facilè ſuppeditatur,ſi caput,hoc eſt &c. 275
Serpens in palum ſublatus ſanat &c. 476
Seruus Dei magnus mittetur Eccleſiæ renouãdæ:ad Gẽtes multos deſtinabit è diſcipulis: antiqua tamen ipſe non recedet ab Eccleſia. 661.662.679
Similitudo iracundi pueruli ad ſcrupuloſum. 351
Specillis ſub rubeis omnia ſe offerunt eiuſdem coloris. 542
Speculum internum,vanas æmulando mulieres. 493
Speculationem docet Crucifixus eos,qui ſe altè demittunt. 157
Spiritu Chriſti coniunguntur abſentes. 188.238
Spiritus vbiq; ſe imiſcet fornicationis. 276
Spiritus fornicationis ſub ſpecie diſcretionis: ſuaq; tegit retiacula. 277
Spiritus fornicationis indiſcretæ adhortatur abſtinentiæ, quò incautos &c. 277

Spiritus fornicationis ſummæ nos derelinquit quieti, vt incautos &c. 384

Spiritus fornicationis nō niſi ab humilibus &c. 278. 282. 436

Spiritus fornicationis ſub ſpecie ſpiritalis beneuolentiæ. 278

Spiritus in carnē paulatim inflectitur 278

Spiritus fornicationis perſuadet vt ſæpe carnalia confiteamur. 279

Spiritus fornicationis videri facit nos conſenſiſſe. 280

Spiritus peregrinus: ardentiſsimo qui venit cum impulſu. 299. 361

Spiritus ab omnibus exolutus mundi catenis. 507

Spirituales pleriq; iuxta eorū ſenſum ſanctitatem fabricautur, & è formula. 333

Spirituales illuſi. 201. 357. 489. 667. 690

Spirituales, Deo permittente, verum prædicentes, è Dei ſeruis fiunt &c. 590

Statum vnicuiq; ſuum adnititur Diabolus exoſum facere. 388

Statui ōi ſunt cōmoda & incōmoda. 389

Status ſeptem Eccleſiæ principales. 623

Striges transformant, non verè, ſed apparenter. 356

Striges

Striges aliquando reipsà vadunt. 356
Superbia vti euincatur, ad Chriſti particulatim membra contemplatio. 480
Superbia ſæpe in luxuriam demergit. 383
Superbia ſicca. 461
Superbia præ omnibus tentantur ingenioſi 464. 474
Superbia vel poſt funera 465
Superbię rami. 465
Superbi quo præficiantur, prodigi. 462
Superſtitiones hodiernæ. 354
Superſtitum ſanctitas non creditur. 186
Suſpicandum non eſt, vbi ad nos &c.. 542

T

Technæ ſerpentis. 281
Teneri nõ adhereãt igni, hoc eſt carni. 279
Tentatio agnita, ſemper cum merito. 281
Tentatiuncula quænis ſilentio preſſa fit grauis. 287
Tentatio maior, maior & gratia. 385
Tentationes hodierni ſtatus Eccleſiæ. 629
Tepiditas frigiditate peior 395. 455
Tepiditas impoſsibilis iuxta Paulum, hoc eſt, difficillima curatu 425. 454. 205

Tepidi quo in errore verſentur, & ferè irremediabiliter. 104. 276. 397
Tepidi aiunt, Non eſt iam ætas ſanctorum 185. 393
Tepidi aiunt; Peccata hæc leuia: aqua abluuntur ſancta: Accipiemus poſtea Indulgentiam &c. 495
Tepidi inducere non poſſunt in animum, ritè pœnitere &c. 518
Tepidi arrogantiam cēſent, velle Deo ſimilari. 584
Tepidus in mundo ſibi placet, & defectibus. 585
Tepidus quis 391. 631
Tepidus diffusè deſcribitur. 392
Tepidus virtutes vitia, & ediuersò &c. 392
Tepidus peſsimus. 474
Tepidi verba ocioſa, & cauillis plena. 394
Theſauri ſapienriæ &c. tunc adaperti, cùm laceratus &c. 156
Timor ad amorem prouehit. 122
Timor non malus, immò bonus. 516
Timor immoderatus ex priuato nascitur ex amore. 349
Timore aliquãdo magis torquemur, quàm ipſis calamitatibus. 534

Timore in tempeſtiuè trepidabit qui tempore non timet. 340. 347
Triſtitia duplex. 448
Triſtitia varijs laxamẽtis non curatur. 451
Triſtitia iam ad lacrymas, iam ad fletum impellimur. 448

V

Vanitas & ſanctitas vnà non morãtur. 523
Verba bona pręſtant, quàm aſpera, tamen &c. 526
Verecundantur dici hypocritæ &c. 533
Veritas odioſa; ſed captiuari nõ põt. 370
Viator amore patriæ omnia à tergo &c. 123
Victoria ſuijpſius via breuior &c. 576
Virgo &c. fideliſsimi Crucis ſocij, in morte priuilegiati. 161
Virgini quare tribuit Eccleſia Chriſti titulos. 224. 226
Virginem orantes quare magis confidimus. 225
Virgo temerè iudicans conſentit &c. 542
Virtus ſibijpſi præmium. 160
Virtus viuida malè mundo cognita. 581

Virtute non ſumus Deo grati, ſed eius &c. 333
Viſio Heliæ. 218
Viſitatio. 133
Vita miſta mirabilis & perfectiſsima 254. 576. 602
Vita ſpiritalis hypocriſis reputatur. 188
Vitium ſecum aduehit pœnam. 160
Viuere è formula, ſeu arida coſuetudine
Vnio Deum inter & animam, vel ab expertis inexprimibilis. 255
Vnio Dei cum homine, omnium baſis mirabilium. 256
Volũtarij nimis, q̃ pręcedere &c. 102. 453
Vulneri maguo mediciaa magna. 517

Z

Zelus Moyſi. 329. 442
Zelus & ira ſimiles. 442

Eiuſdē interpretis, ad Chriſti crucia tuum inſignia, in pariete depicta, iugiter contemplanda, carmen adhortatoriū.

O quicunq; ducis cenſeris nomine Chriſti,
Quicunq; illius ſequeris veſtigia, queſo,
Hos age ſollicitus hos cōtēplare triūphos,
Iſta trophæa, tui hæc preclara inſignia Regis.
Hec altè cordi infige, his accingier armis,
Hac tete aſſiduè iuuet exercere paleſtra.
Tartareū his iugula, depugnās fortiter, hoſtē,
Proſterne his mūdū infenſū, carnēq; rebellē.
Et poſt tranſactos demū, victosq; labores,
Intrepideq;: aditā, obtulerit quā numina, mortē,
Suppliciūq;, tuo victor cū Pricipe cęlū
Ingredere, & vitę illius ſociare perenni.

Ad Crucis ſignum in aere prefulgidũ.

Hoc erit in cælo ſignum, cùm venerit oēs
Iudicet vt gētes Dominus, populosq́;, trib⁹q́;,
Cũctorũq́; hõiũ vitia et benefacta requirat,
Sõtibus atq; pijs pœnasq́; & premia reddat:
Terribile heu reprobis ſignũ, lætabile iuſtis.

Series chartarum.

ABCDEFGHIkLMNOPQ RSTVXYZ. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc.



PLACENTIAE,

defunćto iam ferè ab initio patre Vincentio , Apud Franciſcum Comitem F.

1 5 7 0.

8-1